NOVA ACTA ERUDITORUM

ANNO MDCCXXXIX

publicata.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud MAURIT. GEORG. WEIDEMANNUM, B. LANCKISII Hæredes, & CASP. FRITSCHIUM.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZZIUM & SEBAST. COLETI, Pariſiis apud BRIASSONUM, Ultrajecti apud JO. BROEDELET, & Amſtelodami in WAESBERGIORUM & WETSTENII officinis.

MDCCXXXIX.

WIEN
BIBLIOTH

Lectori Salutem!

Nunquam in manus tuas integrum absolutumque Actorum *Volumen tradimus, quin, Deo ita providente fieri, ut nec fatalis casus ullus, nec annorum longa series, nec invidorum pessima consilia, nec si quid aliud aut literis aut harum studiosis interitum parare solet, bonos & salutares rectioribus studiis conatus nostros interverterit ad hunc diem, & antiquo suo loco deturbaverit Musas nostras, effusissime gaudeamus. Scimus, & quotidie videmus, tristes lamentabilesque rerum etiam florentissimarum vicissitudines, quibus magna illa ac pæne infinita mortalium consiliorum moles volvitur, & tanquam in orbem gyratur, quicquid humanis ingeniis curarum prodire & cogitationum solet. Nec ab hac, si qua est, calamitate ipsæ literæ immunes sunt, quarum & ætates variæ, & varia fortuna, & progressus successusque omni tempore varii fuerunt, adeo quidem, ut vere dici possit, alia tempora alias scientias, aut harum saltem formas, gignere. Et, ut de his, quæ proxime nos tangunt, præcipue commemoremus, ejus generis librorum, quibus recentissime gestorum inter eruditos historia continetur, & nobilium ingeniorum gloria ad posteros transmittitur, nemo nescit, quam numerosum a Seculi inde spatio non exteræ tantum regiones, & in his Gallia maxime finitimumque Belgium, sed ipsa etiam Germania nostra, pertinax satis, etsi non semper felix adeo, exterorum æmula, proventum tulerint; & quam pauci horum ad ætatem justam, nedum ad eam, quam assecuti sunt Annales nostri, maturitatem, pervenerint. Id igitur divinæ primum providentiæ, sapientissimæ rerum humanarum omnium moderatrici, postea Augustissimi Patris patriæ, ut civium suorum, ita Musarum etiam, Tutelaris Dei, incomparabili clemen-*

)(

men-

mentiæ, denique eorum, qui labores nostros inde a tot annis consilio partim, partim approbatione, secundarunt, honestissimo nostri studio, tribuimus, quod a longissima annorum serie ad præsens usque tempus robur integrum servaverint, & veterem adhuc sedem, forsan etiam dignitatem suam, inter otia placidissima, teneant Musæ nostræ. Quam qui magnam esse ac in præstantissimis bonis habendam felicitatem intelligunt, iidem, dandam nobis operam, iudicabunt, ne ea deinde excidamus, sed ut recto gradu magnum illum virtutis, &, si qua nobis ex virtute parta est, famæ, cursum prosequamur, et sera posteritas eundem, quem cives & æquales nostri, ex laboribus nostris fructum referat. Nec sane, ut ad bene merendum de iis literis, quibus feræ hominum mentes ad mansuetudinem inflectuntur, nullo tempore ardor nobis studiumque defuit, nunc etiam animi viresque nos deficiunt; sed, tanquam fieri non posset, ut eadem, quæ res humanas omnes, mortalitas nos consequatur, longissime Annalium nostrorum florem prospicimus, &, in ipso senectutis limine iam constituti, eos imitari senes videmur, qui, quo propius abesse se a fatali illo die sentiunt, hoc magis eum fugiunt, & adversus levissimos morborum insultus debile & infractum corpus suum fortissimis remediis obfirmant. Bonum vides, & vix ulli reprehendendum, sed, si Deorum ope destituatur, vanum tamen irritumque, consilium. Sint igitur eidem præpotenti Numini, cuius gratiæ debemus, quod in hanc ætatem viximus, in futurum etiam tempus res nostræ omnes commendatæ, & ad huius unice gloriam curæ nostræ deinde & labores redeant. Hoc enim si consiliorum nostrorum certo & constanti præsidio utamur; prosperrimis semper illorum successibus gaudebimus, nec dulcem illum recte actorum fructum, plausum & suffragia bonorum, frustra expectabimus.

No. I. 1

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXXXIX.

MUSEUM ETRUSCUM, EXHIBENS INſignia veterum Etruſcorum Monumenta, æreis Tabulis CC, nunc primum edita & illuſtrata obſervationibus ANTONII FRANC. GORII, *Publ. Prof. Hiſtor.*

Volumina II.

Florentiæ, in ædibus Autoris, excudit Cajetan. Albizinius, 1737, fol. Vol. I plag. 17, Tab. æn. 200, Vol. II Alph. 4 plag. 14.

Duodecim anni ſunt, cum Ill. *Thomas Coke*, inter Proceres Britannos *Lowal* dictus, Florentiæ ſuis impenſis edendam curavit *Demſteri Etruriam regalem*, curam Operis ſuſcipiente Viro Cl. *Phil. Bonarrotio*, Senatore Florentino. Hoc Opere edito, ut alios, ita Cel. *Gorium*, inceſſit rerum antiquarum Etruriæ cognoſcendarum cupiditas. Itaque, cum A. 1726 Volaterris complura Tuſcorum veterum ſepulchra ſubterranea inventa cum urnis, anaglypho opere ſculptis, eſſent, ejusque rei fama ad *Gorium* eſſet perlata, eo ſe ipſe contulit, &, adhibito pictore Volaterrano, *Dominico Tempeſtio*, urnas omnes opere anaglypho & emblemate inſignes accurate delineavit. Sepulchri dominus erat *Petr. Francheſinius*, a quo urnæ iſtæ, autore *Gorio*, ad Senatum Volaterranum donationis jure tranſierunt. Poſtea aliæ Volaterris urnæ Etruſcæ inventæ ſunt, quarum delineationes ad *Gorium* pervenere; atque his rebus ita eſt illius

incen-

incensa cupiditas, ut omnem Etruriam comite pictore & chalcographo peragrandam susciperet, &, quicquid ad res Etruscas veteres pertineret, neque vulgatum jam esset, studiose colligeret. Ex eo itinere redux capit consilium edendarum antiquitatum Etruriæ, si antea Florentina Musea perlustrasset. Quod cum fecisset, & ita magnum hujus generis rerum numerum coegisset, exequi consilium, de quo diximus, cœpit. Uti volebat opera consilioque *Philippi Bonarrotii*; sed, cum is A. 1733 mortuus esset, contulit se ad *Ludov. Burgetium*, Etruscæ & Pelasgæ linguæ peritissimum, a quo multarum Inscriptionum interpretationes accepit. Ceterum, cum A. 1735 prodromum hujus Operis edidisset, & hac ratione de consilio Viri Cel. innotuisset, multæ sunt undique ad ipsum Etruscæ reliquiæ missæ, inprimisque ex thesauro Vaticano. Ex omni hac copia delegit Vir doctissimus, quæ his ducentis Tabulis nunc, necessariis observationibus illustratæ, exhibentur. Sed, cum in antiquitatibus Tuscis inprimis celebrentur Eugubinæ Tabulæ, non alienum ab hujus Operis consilio visum est Cel. *Gorio*, vel unius interpretandæ illustrandæque periculum facere, redactis in ordinem quindecim Etruscis literis. *Quindecim* diximus; nam sic putabat, donec pæne absoluto Opere decimam sextam literam reperit, de quo postea dicetur. Itaque non mirum est, in ea Tabula Alphabeti Etrusci, quæ est *Vol. II p. 417*, quindecim literas exhiberi, in altera *Vol. I p. 49* sedecim, quod ea absoluto reliquo Opere accessit. Hanc interpretationem suam adjecit cum observationibus, & simul Lexici Etrusci & Pelasgici edendi spem fecit. Jam, quod ad observationes *Gorianas* attinet, quæ *Volumine II* continentur, omnes Tabulæ *Demsteriani* Operis hic rursum eduntur, & multis locis fusius illustrantur. Neque enim omnia a *Bonarrotio* præstita sunt, & multa adhuc accuratius explicanda etiam post *Gorium* restant. Ceterum ex his monumentis patere Vir Cel. putat, Tuscos perspectam habuisse belli Trojani historiam, creditque autori *Straboni*, Etruriam ab *Homero* perlustratam dicenti, & multa in *Iliade* & *Odyssea* commemorata *Homerum* ab Etruscis didicisse suspicatur.

Mens. Ian. pag. 3.

...ruscum.	*Latinae Litterae.*
A . A . A .	A.
Ǝ . ʒ . E . E . Ɛ .	E.
	H.
ϴ .	TH. T.
	I.
. d . ♀ .	K.
. ⅄ . L . L . ʌ .	L.
. M .	M.
	N.
	P.
d . ▷ . D . P .	R.
Ƨ . Ƨ . ʒ . Ʒ .	S.
+ . + . ✝ .	T.
. ꟻ . ꟻ . ꟻ . ʌ . ꟻ . ꟻ .	V.
. 8 . Φ .	PH. F.

tur. Plerasque autem fabulas cum Græcis Romanisque communes habuiſſe Etruſcos, etiam ex monumentis perſpicitur, quæ *Demſteri Etruriæ regali Tom. I Lib. I Cap. 17* inſerta ſunt. Sed, ut ad ipſum Opus veniamus, primum locum occupat Tabulæ Eugubinæ interpretatio & illuſtratio; de qua, non alienum erit, quædam commemorare. Et hiſtoriam quidem harum Tabularum hic ſcribere non eſt neceſſe; quando & nota eſt doctis hominibus, & non uno loco ab eruditis hominibus traditur. Eæ ſcriptæ videntur *Gorio* ducentis ante bellum Trojanum annis. Sed ab A. 1444, quo hæ Tabulæ Eugubii, Umbrorum urbe, inventæ ſunt, in Etruſca lingua veteri illuſtranda laborari cœptum eſt, multa Alphabeta facta, quorum nonnulla adhuc in Bibliothecis latent, aliis aliunde eam derivantibus. Dedit hujus laboris hiſtoriam Cel. *Fontaninus* in *Antiqu. Hortæ Lib. II Cap. 7*; ubi tria Alphabeta proponit, primum *Gabrielis* & *Baldii*, alterum *Pauli Merulæ* & *Gruteri*, tertium *Coſmæ de Arena. Philippus Bonarrotius*, qui has Tabulas *Etruriæ regali* accurate deſcriptas inſeruit, *Tom. I Lib. I Cap. 20 pag. 91*, etſi primus omnium verum vidit in *Addendis ad Demſter. §. XLI*, tamen non omnes difficultates de medio ſuſtulit. Felicius ſucceſſit res Cl. *Burgetio*, qui quatuor & viginti literas fecit. Horum veſtigiis inſiſtens, ſuam ſymbolam conferre voluit *Gorius* noſter. Is ſedecim tantum literas facit, duodecim ſimplices, & quatuor duplices. Nam, cum videret primo, Etruſcas literas parum atque adeo nihil diſcrepare a literis Phœniciis ſive Cadmeis (conf. *Vol. II p. 418*), deinde ipſum ſcribendi modum eundem eſſe cum primævo ſcribendi genere cum Orientalium, tum Græcorum, nempe a dextro ſiniſtrorſum, probabile viſum eſt Viro doctiſſimo, cum figura literarum ſcribendique modo etiam numerum literarum eſſe ſervatum. Age vero, ipſam Tabulam literarum Etruſcarum ex mente Viri Cel. exhibeamus. Ceterum de ſingulis his literis, earum figura, uſu, poteſtate, ex inſtituto agit *Claſſ. V Diſſ. I Vol. II pag. 405 ſeq.* & multa non indigna cognitu tradit, quæ huc omnia, per ſingulas literas eundo, transferre non poſſumus. Ea autem cuique literæ poteſtate, quam ipſe ſumit, tributa, & ita literis ordinatis,

Pag. 403.

TAB. I.

omnes Etruſcas Inſcriptiones interpretari ſe poſſe putat, idque ſe, uti ſupra dictum eſt, facturum promittit, ſi hoc ſpecimen doctis hominibus probaverit. Ignorabat *Gorius* poteſtatem literæ ᛘ & ᛡ. Sed, cum jam pæne abſolutum Opus eſſet, adeoque hæ literæ eſſent *Vol. II p. 417* inter eas relatæ, quarum poteſtatem ignoraret, mira felicitate incidit in gemmam, quæ *Tab. 198 n. 4* exhibetur, in qua circa imagines Heroum, quos *Achillem* & *Ulyxem* eſſe apparebat, & ceteræ literæ declarabant, ſculptæ eſſent, quibus adjutus, priorem illam *ch*, alteram autem *x*, eſſe intelligebat. Hoc tam luculento exemplo deſtitutus *Burgetius* cum eſſet, non eſt mirum, ſi eas literas cum aliis confundebat. Neque tamen vel ſic omnium figurarum vim ſe tenere putat, quando ipſe præter illas duas quasdam literarum figuras proponit, quas quo referat, negat ſe habere. Sed, ut ad Eugubinæ Tabulæ ſecundæ, quæ incipit: *Eſunu*, interpretationem redeamus, ei inſcriptionem hanc fecit: *Orthium carmen lamentabile;* quia ſic nuncupatur in tabula Pelasgica, quam interpretatus eſt *Burgetius v. 26, 36, 46.* Interpretatio autem, quam, quia gratum feciſſe *Bibliothecæ Italicæ* Genevenſis Autores doctis hominibus intelleximus, cum interpretatio-
Pag. 66. nes hujus generis *Burgetianas* Bibliothecæ ſuæ inſeruiſſent, nos quoque adjiciendam cenſuimus, hæc eſt: 1 *Eſtote filii percuſſi ſimul,* 2 *incendite nunc impoſitas* 3 *urnas odoramentorum, remedium, fuga* exitii late *diffuſi.* 4 *Pandite guttur viri,* qui *adeſtis.* 5 *A fratre oſtenſus ignis* 6 *Fratribus, ſparſus fuit.* 7 *Pueri pandite guttur valide;* 8 *Pueræ, adſtantes ſacris, clamate gutture.* 9 *Matres omnes ter cantu* majore *ululate in ſacris.* 10 *Clamate viræ omnes, Fratrum inauſpicata.* 11 *Ululate filiæ, diſſipata clamantes arva, everſa.* 12 *Deſolatum far nimia ariditate, uredine ſacrum, clamate;* 13 *Speciosi proventus deſiderati in arvis: ſpecioſa* 14 *camporum vaſtata ſunt: fœtus ſpecioſi duplo* 15 *extremo* exitio *ſubverſi ſunt: clamate gutturibus, everſi ſunt.* 16 *Clamate, æſtu optima ſubverſa ſunt: proventus* 17 *ſubverſi ſunt arbores feraces ſubverſa ſunt plus* 18 *annis tribus: exuſtione exſtincti proventus, alterati* jam *tribus* 19 *annis: exſtinctæ arbores feraces, fumantes*

tes per annos 20 *exstincta: ululate, fugatæ sunt : extemplo* 21 *abiere fructus annui pingues : persiccata sunt dona, fugit far:* 22 *ararum eversa* sunt *sacra tua necessaria, summe Jovis Pater,* 23 *exitium depelle : dexter tua serva: per Fratres* 24 *Sacerdotes, per Patres apparentes* sacris, *totam per Juventam,* 25 *alumnam per Juventam produc tua necessaria alimenta :* 26 *ululate, clamate, tua necessaria, summe Pastor* 27 *publice, depulsor : produc tuam necessariam nardum.* 28 *Heu dispersum officium vide per Fratres* 29 *Sacerdotes, per Patres apparentes* sacris, *totam per* 30 *Juventam, alumnam per Juventam sacram.* 31 *Vivifica armentorum fœtus, desolatos arvorum fœtus : clamate.* 32 *Adspira, matura fœtus, consolida: tuos pauperes* 33 *penuria laborantes intuere: solida, profer frumenti copiam :* 34 *Sirium subtrahe a fœtibus: epulas* offeremus *trementes : omnes tuos pauperes* 35 *intuere; averte, averte lucem, Pastor publice.* Monumentorum Etruscorum apparatus in *quinque Classes* descriptus est. *Prima* continet *CXIX Tabulas*, quibus simulacra Deorum exhibentur, in quibus multi sunt, quorum *Livius* inprimis aliique mentionem faciunt, tanquam *Ancharia*, *Valentia*, *Voltumna*, & *Voltumnus*, *Tages*, divinationis ille autor, *Volturnus*, *Juturna*, *Vacuna*, *Juno Feronia* &c. *Classi* huic præmittitur Dissertatio erudita *de Tyrrhenorum origine, in Italiam adventu, & idololatria.* Singulæ autem *Tabulæ* Deorumque simulacra egregiis observationibus ex priscis Autoribus illustrantur; de quibus singulis dicere neque necesse est, neque locus patitur. *Classi secundæ* præponitur Dissertatio *de Mythologia Etruscorum*; ipsa autem *quadraginta Tabulas* complectitur, quibus variæ e Græcis quoque Autoribus notæ fabulæ exhibentur. In *tertiam Classem* conjecta sunt monumenta ea, quæ sacra Etruscorum veterum exhibent, ut sacra Cabiria, Mithriaca, Acherontica, h. e. sacra Anchariæ, sive Bellonæ, sive Furinæ, & alia. Hæc *Classis septem & viginti Tabulas* habet, Dissertationemque *de Physiologia Etruscorum* in capite præfert. In *quartam Classem* redactæ sunt reliquiæ, ad mores Etruscorum publicos illustrandos pertinentes. Hic fœdera exhibentur, triumphi, ludi,

 co-

eorumque apparatus cum histrionibus, mimis, &c. saltationes, nuptiæ, triclinia, & multa vasorum genera, quæ omnia cum suis Dissertationibus, tum communi aliqua *de moribus Etruscorum priscis*, explicantur & illustrantur. In *quinta Classe quinque* tantum *Tabulæ* conspiciuntur, quarum in tres priores monetæ Etruscæ descriptæ sunt, in reliquas duas autem gemmæ cælatæ. Huic præfixa est ea, quam supra commemoravimus, *de prisca Etruscorum scriptura* Dissertatio, quæ etiam de artibus & inventis Etruscorum exponit. Age vero, quoniam supra est, cum de literis Etruscorum commemoraremus, hujus Dissertationis mentio facta, qua de his, quas diximus, literis agit, nunc eam ejus partem, quæ de numis agit, in compendium mittamus. Etruscorum moneta dubio procul est ipsa Roma antiquior, quod non, ut Romana, percussa est, sed ex ære fuso conflata, ut facile adspectus docet. Conf. *Bonarrot. ad Dемst.* §. *38*. Non minor est antiquitate raritas, eaque nostris temporibus cum antiquissimis communis, quandoquidem, incredibile dictu, nemo veterum ejus aut mentionem facit, aut explicationem tradit. In his autem Etruscis numis reperiuntur *Saturni* & *Jani* capita, navis item, ut in Romanis, quorum signorum ratio e *Macrobii Saturn. I*, 7, doctis hominibus cognita est. Inprimis autem memorandum æs grave *Tab. CXCVI n. 6*, quod cum rate præfert caput Deæ galeatum, simulacro Romæ simillimum, quod in numis Consularibus occurrit. Galeæ adjecta est mitella, quæ cum etiam in simulacro Valentiæ *Tab. VII* cernatur, non improbabile videtur Viro doctissimo, hanc esse Valentiæ effigiem. De hac effigie avide dicit se exspectare doctorum hominum judicium, quando alii *Rheam Saturni*, alii *Jani* uxorem, esse putent. Nobis quidem, ut fateamur, multo verosimilior fit Cel. *Gorii* de Valentia sententia, neque solum propter miram similitudinem, sed etiam propterea, quod hæc effigies eadem est, ut Vir Cel. monuit, cum effigie urbis Romæ in Consularibus numis. Constat autore *Plinio Hist. Nat. III*, 5, & *Solino Cap.* 1, vetustissimam fuisse opinionem, Romæ nomen ab Græcis esse, cum ante Valentia dicta esset, ab *Æsculapii* filia. Vid. *Salmas. ad Solin. l. c. pag.* 5.

pag. 5, Rutgersium Var. Lect. Lib. I Cap. 20, *Meibom. ad Jusjurand. Hippocrat. pag. 54.* Quod si est, mirumne, si Valentiæ effigies in Romanis numis cernitur? Ceterum hoc insigne pondus ex ære exstat in Museo Capponio Romæ, & ad libram Romanam pendit uncias quadraginta. Cum autem libra Romana hodierna veterem excedat, facile creditur, antiquitus hunc numum duabus æris libris constitisse. Inter Etruscas monetas autem antiquissimæ procul dubio sunt, quæ vel ab usitata forma recedunt, ut quæ est *Tab. CXCVII num. 2*, ovalis illa figuræ, vel pro Deorum imaginibus notas quasdam & emblemata præferunt. Sic in nonnullis cernitur delphinus seu tyrso, delphino congener piscis, qui cum Tyrrhenorum nomine congruit, quos primo Tyrsenos vocatos scimus, ut docet *Bochartus Geogr. sacr. Lib. I Cap. 33.* Conf. *Bonarrot. ad Demst. Monum. §. 38*, & ipse *Demster. Etr. reg. Tom. I Lib. I Cap. 3.* Hujus piscis hanc vim volebat *Spanhem. de usu & præst. numism. T. I Diss. 2 pag. 112*, ut in urbe maritima cusos numos ostenderet. In quibusdam etiam numis, ut *Tab. CXCVI n. 5*, tali expressi sunt, quos Vir Cel. originis Tyrrhenorum a Lydis symbolum esse putat, a quibus talos aliosque ludos inventos tradunt. Occurrunt præterea in his numis musca, apis, seu potius cicada & tridens, bipennis, rota, ancora, gallus, &c. Cl. *Bonarrotius* caput bifrons in his numis putabat esse signum regiminis earum urbium, quæ a duobus præsidibus regerentur. Quæ conjectura, quanquam non absurda Cel. *Gorio* videtur, tamen aliquid difficultatis ei videtur habere. Ea hæc est, quod antiquissimis temporibus apud Etruscos, uti apud Græcos, Romanos, aliosque populos, nulla alia nisi Deorum capita heroumque in numis exprimebantur, eaque aut ipsa, aut per symbola. Itaque magis placet ei, *Herculis* & *Mercurii* bifrontis imagines in his numis expressas esse. Nam Etrusci *Herculem* ponderibus præfecerunt, & eorum exemplo alii. Vid. *Fabretti Inscr. p. 527 seq.* quod eum justitiæ amantissimum putabant. Idem muneris sustinuisse *Mercurium* scimus, adjecto altero, ut, quod inter omnes constat, mercaturæ, divitiisque, præesset. Gemini autem fingun-

guntur, ut æquas in negotiatoribus partes respicere credantur. Venit etiam Autori in mentem, hoc duplex caput posse ad *Vertumnum* referri, aut ad *Vertumnum Janum*que simul, quas Etrusci tanquam Mercaturæ præsides venerati sunt. Eorum etiam Romæ in vico Tusco aliisque locis erant simulacra, ubi negotiari homines solebant; quam in ceteris etiam Italiæ civitatibus consuetudinem fuisse, *Acro* ad *Horatii* illum versum commemorat:

Vertumnum Janumque liber spectare videris.

Sed totum hoc, quicquid est, eruditis dijudicandum relinquitur. Nomina, quæ in numis Etruscis occurrunt, sunt urbium, a quibus cusi sunt numi, eaque aut integra, aut eorum saltem initia. Sic in uno numo reperitur antiquum *Velitrensium* nomen, in altero *Tudertum*, & in aliis alia. Sed, de his qui cognoscere cupiunt, quia literæ Etruscæ hic commode exprimi non possunt, ad ipsum *Gorium* & ad *Bonarrotii Addenda ad Monumenta Demsteriana* remittimus.

HERMANNUS HUGO, S. J. DE PRIMA scribendi origine, & universa rei literariæ antiquitate; cui Notas, Opusculum de Scribis, Apologiam pro WÆCHTLERO, Præfationem, & Indices, adjecit C. H. TROTZ, JCtus.

Trajecti ad Rhenum, apud Herm. Besselingium, 1738, 8. Alph. 2.

Quodsi communi eruditorum consensione refert plurimum, primas artium ac scientiarum origines, earundemque per tot Seculorum decursum ad nostram usque tempestatem conservationem ac progressus perspectos habere; id de illa omnino arte est dicendum, per quam propitio Numine id consequimur, ut primos quarumcunque disciplinarum natales, fata,

fata, modo prospera, modo adversa, & per quos illæ studiosius excultæ fuerint, ex remota antiquitate cognoscere, & docere alios, queamus. Sine literis ac scriptione esset, omnis hominis memoria brevioris ævi cancellis circumscriberetur, de illis, quæ fando ad nos transmittuntur, dubitandum nobis esset, num fraude hominum, aliorum credulitati insidiantium, an labilis memoriæ vitio, alia dempta, alia addita fuerint. Uti singulari supremi moderatoris beneficentia ejusdem ævi homines oris ac linguæ consortio stupenda quadam ratione sociantur, ita literarum ductus, muta illa signa, faciunt, ut cum priscis mortalibus cogitationum societate conjungamur, non aliter, ac si verba atque sermonem cum ipsis cæderemus, illorum res ac molimina oculis nostris præsentes tueremur, eorundemque circulis interesssemus. Qui primam scriptionis inventionem, ejusdemque varium in omni vita humana, tum publica, tum privata, usum, & qua via, mutatis subinde characteribus, inque alias linguas transfusis, vel commixtis, ad nostram memoriam fuerit transmissa, doceret ante *Hermannum Hugonem*, familiæ Lojoliticæ sodalem, inventus est nemo. Fuit is Bruxellis apud Flandros oriundus, in lucem hanc editus A. 1578, qui, optimis studiis ac diversarum gentium linguis innutritus, eas literas, quæ ab humanitate nomen habet, apud Antverpienses docuit. Inde sacro initiatus ordini, munus, quod ipsi inter cohortes militares demandatum erat, omni fide ac industria administravit, ut, sæviente dira febri, cum ab illis, quorum corpora æstus depascebat, se avelli minus pateretur, contagioso morbo correptus, vitam cum morte commutaret d. 10 Sept. (*Wittenius* d. 11 ejusdem nominat) A. 1629, ætatis 41. Præter *Alegambium*, de vita *Hugonis* atque scriptis quædam memoriæ prodiderunt *Wittenius* & *Jo. Fabricius* in *Hist. Biblioth. Fabric. P. VI p. 546.* Liber ejus *de prima scribendi origine*, quam primum in lucem prodiit Antverpiæ A. 1617, 8, non solum æqua virorum doctorum judicia meruit, verum etiam adeo cupidos emtores invenit, ut a multo jam tempore in tabernis librariis fuerit desideratus, &, si quando in publicis librorum auctionibus occurreret, ingenti redimeretur pretio. Utilitas igitur pariter atque raritas illius

Operis Celeberrimum *Trotzium*, charum iis omnibus nomen, quibus in deliciis ſunt elegantiores literæ, movit, ut *Hermanno Beſſelingio*, typographo apud Trajectinos induſtrio, ſuaſor exiſteret, ut libellum hunc in publicum eruditorum lucem revocaret, pollicitus, ſe, quicquid haberet, quod ad illuſtrandum ornandumque *Hugonem* facere poſſet, liberali manu collaturum. Quæ annotationes, licet ſatis ſint eximi., & ex primis remotæ antiquitatis fontibus petitæ, limatiores tamen futuræ fuiſſent, niſi nimia typographi feſtinatio, & cura recenſendorum Operum *Marani*, ab ipſo ſuſcepta, lucubrationes has præcipitaſſent. Promittit tamen Cel. *Trotzius*, ſe in poſterum ea, quæ ab *Hugone* ſunt omiſſa, ſingulari Commentatione ſuppleturum. Præmiſit Operi huic Apologiam pro *Wæchtlero*, in qua *Barbeyracii* accuſationes, tum *Wæchtlero*, tum ſibi, intentatas, diluit, eundemque, prout merebatur Germanorum gloriæ juratus veluti hoſtis, ſale ſatis acri conſpergit. Hanc ſequitur Præfatio, in qua hiſtoriam vitæ *Hugonis*, ejusdemque ſcripta, ſpeciatim vero fata noſtri libri, enarrat, ſimulque neceſſitatem cognitionis antiquitatum ſedulo urget; quam excipiunt Dedicatio & Præfatio *Hugonis*, primæ editioni præmiſſæ. Ut præcipua momenta libri ipſius, qui jam novo ac nitidiore habitu comparet, excerpamus, cum in eruditorum manibus a longo inde tempore verſetur, neceſſum non eſt; id vero in præſentia agendum, ut, quid in iterata hac editione præſtitum ſit, quanta fieri poſſit brevitate, enarremus. Notæ eruditiſſimi *Trotzii* partim *illuſtrant* Hugonem, &, quæ protulit ille, luculentis teſtimoniis ac argumentis *confirmant*, partim dicta ejusdem *emendant*, partim, quæ deeſſe videbantur, *ſupplent*. Ordine ſingula exemplis comprobabimus. Primo quidem de iis dicemus, quæ ad illuſtrandum *Hugonem* pertinent. Docuerat *Hugo*, Ebræos priſcos ſtilo ferreo literas ſaxis ac laterculis inciſiſſe, inque hujus ſuæ ſententiæ confirmationem excitaverat locum *Job. XIX, 23, 24*, ubi vulgatus interpres adhibet vocem *cælte*, quam lectionem ſanam eſſe, &
Pag. 65 ſeq. ferrum ſculptorium a *cælo*, vel antiquo *cællo*, intelligi, demonſtraverat. Eam explicationem ulterius confirmat *Trotzius*, prætereaque addit locos ex *Jer. XVII, 1*, & *2 Reg. XXI, 13*, in quibus

quibus pariter ad morem ſcribendi ſtilo ferreo, ac ſcripta delendi, alluditur. Calamos ſcriptorios fuiſſe juncos ſive arundines, copioſiſſime prope Memphim, Gnidum, & Nilum, provenientes, oſtenderat *Hugo*; hos Græcis ſcriptoribus καλάμους, δόνακας, & δονακεῖς, *Clementi Alexandrino* σχοινοὺς, & ſcriptoribus medii ævi κονδύλους, appellari, nos docet *Trotzius*. Quod autem *Auſonio* dicantur *fiſſipedes*, formam eorum reſpicere, quoniam in medio partis infimæ findebantur, ut duos haberent apices inſtar pennarum noſtrarum. Veteribus Indis in more fuiſſe poſitum, ſcribere in ſindonibus, tribus tantum, quod ajunt, verbis indicaverat *Hugo*; *Trotzius* addit, ad hujus ſcriptionis ſimilitudinem quam proxime accedere chartam *bombycinam*, quæ nomen ſortita a βομβίκος, *bombyce*, ſive *goſſipio*, vulgo *cotton*, ſcriptoribus medii ævi dicta βάμβαξ, & βόμβαξ, Italis *bambacio*. A quo tempore charta hæc in uſu eſſe cœperit, accurate quidem demonſtrari poſſe negat; ex *Montefalconio* tamen obſervat, illius uſum Seculo *XIII* & *XIV*, exoleſcente charta papyrea Ægyptia & corticea, ſatis fuiſſe frequentem. In eo tamen *Montefalconium* erraſſe notat, quod chartam *bombycinam* cum noſtra vulgari confuderit, cum *bombycina* ex pannis detritis, vulgo *boomwolle*, noſtra ex linteis in fruſta ſectis, inque mortario ligneo contritis, conficiatur. De membranis, quibus olim ad ſcribendum utebantur, obſervat, illas olim in ludis adhibuiſſe pueros, *bicolores* dici *Perſio*, quoniam ab interiore parte albæ, ab exteriori croceæ, fuerint, quod teſtimonio *Juvenalis Sat. VII*, 23, confirmat. Qua occaſione notat, *Iſ. Voſſium ad Catul. pag.* 52 confundere membranulam, quæ titulum libri & nomen Autoris referebat, cum involucris librorum, quæ *Grangæo* autore pariter dicuntur membranæ. *Hugo* ex *Scaligero* notaverat, chartam dictam eſſe a χαίρειν, quam ſalutationis formulam literis ſuis præmittebant Græci. Eam derivationem propterea minus valere exiſtimat *Trotzius*, quia ante papyri inventionem formula iſta apud Ebræos in uſu fuerit. Ebræi adhibuerunt ſuum שלום, quod licet proſperitatem omnem includat, inde tamen derivationis iſtius ratio infirmari haud poteſt. Eſt enim tantum quæſtio de uſu vocis χαίρειν apud Græcos;

Pag. 71.

89 ſeq.

97.

 illam

illam autem chartæ nomen dedisse, præter Autores memoratos probat *le Moyne Var. Sacr. Vol. II pag. 90.* Aureum aliquem liquorem nonnunquam olim adhibitum probaverat *Hugo*; *Trotzius* ex *Mabillonio* addit, membranas purpura infectas fuisse, ut
Pag. 108 seq. auri & argenti color in illis foret illustrior, hunc vero morem proprium fuisse Principibus & magnatibus, nec tamen promiscue ab illis adhibitum; inprimis hunc honorem codicibus sacris habitum, inde ad Diplomata transiisse. Qui hos characteres exprimebant, dicebantur Græcis χρυσογράφοι & χρυσογραφεῖς, ars ipsa nuncupabatur χρυσογραφία. Epistolarum usum *Mo-*
112. *sis* jam ætate obtinuisse, ex *Exod. XVIII, 6, 7,* judicat *Lightfootus*, quem sequitur scriptor Britannus Historiæ universalis, a Rev. *Westerbaanio* in sermonem Belgicum conversæ; ex verbis autem *Jethronis: ego socer venio ad te*, de epistolarum origine nihil certi colligi posse, existimat Cel. *Trotzius*, cum possint esse verba præsentis ad præsentem, quod simili locutione *Plinii Lib. I Epist. V* adstruit. Verum, quod pace doctissimi Viri dictum velimus, hac ratione durior quædam prolepsis & trajectio verborum admittenda esset: quare, licet nolimus verba hic per literas directa fuisse ad *Mosen*, potuerunt tamen ipsi per internuntios significata esse. Sequenti enim v. memoratur, quo modo *Moses* obviam processerit *Jethroni*, ipsumque multa cum honoris significatione exceperit. Sententiæ huic uti fovet συνάφεια, ita etiam LXX Interpretes eam sua autoritate muniunt, vertentes illud ויאמר אל משה, *ἀνηγγέλη δὲ Μωύσῃ, λέγοντες, annuntiatum est Mosi, dicentes*, legati scilicet; eandemque ex magistris & Christianis interpretibus multi suam faciunt. *Tractoriarum* epistolarum meminerat
120 seq. *Hugo*; *Trotzius*, quales illæ & quotuplicis generis fuerint, edocet, datas fuisse ostendens ab Imperatoribus & Principibus illis, qui confecta militia domum redibant, itemque prosecutoribus animalium & equorum sacro usui necessariorum, illisque imperatum, ut necessaria omnia præberent, designato temporis spatio, quo quisque in unoquoque loco residere posset. Injecerat
123 seq. mentionem *Hugo* literarum *Uriæ*; *Trotzius* animadvertit, hinc similes literas, quæ *Bellerophontis* dicuntur, ortas. Quæ dixerat

rat *Hugo* de *equis curſualibus*, illuſtrat *Trotzius*, docens, cui uſui inſervierint, & inſtitutos primum ab *Auguſto*, a *Trajano* poſtea in meliorem ordinem redactos, oſtendens. De poſtis notat, vocem in uſu jam fuiſſe A. 1232; num vero earum origo in legibus Langobardorum & Capitularibus *Caroli M.* ſit quærenda, ſubdubitat, accedens potius ſententiæ *Buſſierii*, exiſtimantis, *Ludovico XI*, Galliarum Regi, inventum hoc adſcribendum eſſe, nec tamen hunc primum inveniſſe eas, ſed inventas potius renovaſſe. Notas veterum non a primitivæ eccleſiæ ſcriptoribus, quod S. Rev. *Cyprianus*, Prof. tunc Helmſtadienſis, in Diſſ. *de Sigillis Cap. I §. 12* exiſtimat, ſed a *Cicerone* potius, arceſſendas eſſe judicat, introductas tum, cum *Catonis* oratio contra *Catilinianam* in ſenatu haberetur, ut illa a librariis velocius excipi poſſet. Qua occaſione *Jo. Nicolai* librum de *Siglis* a judicio nimis duro *B. H. Reinoldi*, Prof. quondam Viadrini, vindicat, hoc tamen monens, *Nicolaum* ſæpe *Hugonem* exſcripſiſſe, non indicato ejus nomine, quod adductis exemplis *pag. 180, 182, 199*, probatum dedit. Ad ſerviles notas delapſus erat *Hugo*; quas *Trotzius* repetit ex *Lev. XIX, 28*, *Devt. XIV, 1*; quæ cum religioſæ fuerint, ad ſervilem conditionem indicandam traductæ fuiſſe dici minus poſſunt, niſi quod in civili vita ea ſæpe ſunt imitatæ profanæ gentes, quæ in Deorum cultu obtinebant. Notabant autem ſe profani homines ſignis deitatis cujusdam, cujus ſe cultui addicebant. Notæ ſerviles erant τῆς τȣ̃ δεσπότȣ πικρίας σύμβολα, ut ait *Diogenes* in *Bione pag. 285 edit. Caſaub.* Imperatorem *Conſtantinum M.* morem facinoroſos in frontibus ſignandi abrogaſſe docet, non ea de cauſa, quo minus impedirentur erecto vultu cœlum tueri, nec quod homo fronte potiſſimum divinam præ ſe ferret imaginem, nec in favorem prægnantium, ſed ne infamiæ macula in præſtantiſſima corporis parte expreſſa conſpiceretur, qua de cauſa eam in manus & ſuras derivarit. Ubi *Hugo* commentatur de notis judiciariis, *Trotzius* ex *Iſid. Lib. I Orig. Cap. 24*, & *Rufino Invect. II*, in breviculis militum ſuperſtites litera T, mortuos ac occiſos ſigno τȣ̃ Θ, notatos fuiſſe obſervat, ad quem locum ex *Reineſ. Var. Lect. Lib. I Cap.*

Pag. 136 seq. — 146-148. — 169 seq. — 189 seq. — 195. — 218 seq.

7 annotat, veriſimile eſſe, pro T legendum eſſe Υ, cujus utriusque literæ mutationem per eſſe facilem addit, ut ſic ὑγιὴς alteri τῷ θάνατος opponatur. Mortuorum autem nomina ex breviculo expuncta non eſſe, quoniam per gloriam perpetuo vivere judicabantur. Occaſione *teſſerarum frumentariarum* monet, ab illis probe diſtinguendum eſſe *titulum æneum*, qui, *Valentiniano* & *Valente* imperantibus, ſublatis teſſeris fuerit introductus, in quem annonæ modus & nomina accipientium incidebantur, quod contra *Salmaſium* ad *Vopiſci Aurelianum Cap.*
Pag. 232. *XXXV pag. 503* demonſtrat, unde etiam *frumentum æneum* a tabulis æneis dicebatur. Modum conſtituendi jus hoſpitalitatis hunc fuiſſe tradit: Hoſpitii jura inituri, ἀστράγαλον, *ta-*
236. *lum*, in duas æquas partes diſcindebant, quarum alteram hoſpitium præbens ſervabat, alteram hoſpitii jure gaudens accipiebat, qua dimidia parte tali producta, jus hoſpitii, quoties opus erat, renovabatur, ſimulque ad hæredes devolvebatur.
235. 236. Duravit hic mos ad illud usque tempus, quo diverſoria in uſu eſſe cœperunt, ſaltem non amplius infamia, uti apud Græcos, habita, ſed iis ſigna quædam fuerunt appenſa. Olim
302 ſeq. clavis fixis annos conſulares notaſſe Romanos, dixerat *Hugo*; hoc teſtimonio *Livii Lib. VII Cap. 3* ſtabilit *Trotzius*, quem ritum diu poſt inventas literas inter ruſticos, priſtinæ ſimplicitatis tenaciſſimos, ſervatum fuiſſe, ex *Perizonii Animadv. Cap. V* obſervat. Licet autem, illis inventis, clavi non amplius figerentur annorum numerandorum ergo; mos tamen hic inter Romanos conſervatus, ut Dictatores crearentur, qui clavis fixis graſſantem peſtilentiam ſedarent. In ritus hujus rationem ſe aliquando curatius inveſtigaturum eſſe, Conſultiſſ. *Gaſſerum*, JCtum Halenſem, recepiſſe affirmat; cum autem, ſitne id ab eo factum, ipſe ignoret, ſuam profert conjecturam, clavos illos fixos fuiſſe ſymbola ſolennis expiationis, quæ non ſacrificiis ſolum, ſed donis muneribusque fuerit parata, cum clavi huic fini ſervierint, ut ex illis donaria Diis dedicanda appenderentur. Ab hac ſententia non alienus videtur *Giſb. Cuperus*, cujus verba in *Harpocr. pag. 45* hæc ſunt: *Apollini, peſte ſedata, caprum dono dabant, ramum lauri ſupra januam figebant, Apollinemque precabantur,*

ut

ut pestem averteret. De cifris sequitur fere sententiam *Kircheri*, Seculo demum XIII illas ab Arabibus Hispanos accepisse, indeque cum reliquis orbis Europæi populis communicatas fuisse, quam ipsam tuetur *le Moyne* in *Var. Sacr. T. II p. 786, 800.* Ante Seculum vero X Europæis jam cognitas fuisse, contra *Kircherum* evicit *Jo. Wallisius*, Anglus doctissimus; quin *Is. Vossius*, quod ante laudatus *le Moyne* memorat, jam Seculo VI inter Europæos in usu fuisse, ex veteri Codice MSto *Boetii de Arithmetica & Musica* evincere conatus est; quod argumentum pluribus persecutus est Cel. *Jo. Frid. Weidlerus* in Diss. *de Characteribus numerorum vulgaribus*, Vitembergæ A. 1727 publicata. Ad *Cap. XXIX*, in quo quæritur, num literis & numeris arcana quædam vis insit, notat, forsitan ὀνομαντεία occasionem præbuisse legem de fœmina adulteria suspecta *Num. V*, cujus nomen ubi per aquas deletum, indicio erat, ipsam ream esse. Servis fausti ominis ergo imposuere nomen *Onesiphori*, in nuptiis faustum fuit nomen *Juliæ* ob fœcunditatem. Veteres Christiani librum Evangeliorum ad divinationem adhibuerunt; unde illum multo honore sunt prosecuti. In electione Episcoporum evolvebatur ac prælegebatur Caput aliquod, unde de illorum moribus ac vita omen ac præsagium caperetur. In incendiis ac morbis ab illo haud parum auxilii exspectabant. Superstitionem circa crucem, qua ad patranda miracula abusi sunt olim, milites, ut a tormentis bellicis immunes præstarentur, ægroti, ut sanitatem recuperarent, & hujus generis alia, notat. Adversaria dicta putat, quod veteres plerumque adversam chartæ paginam puram reliquerint, & id quidem ea de causa, quia ob summam chartæ tenuitatem periculum erat, ne scriptura deleretur. Accedebat, quod chartæ scriptæ aliter ac hodie conglutinarentur, ut hinc exterior pars munda relinqui debuerit. In adversaria conjiciebant prisci ea omnia, quæ fortuita erant, inde vero in mundum redigebant; quare adversariorum in judiciis probatio erat nulla. Originem albi amicorum Germanis adscribit, ejusdemque usum multiplicem ostendit. *Bullam* vocem ortum suum habere a βυλὴ, liquida geminata, quoniam in illis Imperatores aliquid decre-

Pag. 307 seq. | 308 - 311. | 322 - 323. | 347 seq. | 354 seq. | 372 seq.

Pag. creverint, illas autem non aureis semper scriptas fuisse literis.
376-378. *Commentarios* in memoriæ subsidium adornatos fuisse, demonstrat. In his Principes nomina omnium illorum perscripsisse, quibus aliqua reipublica administratio commissa fuerat; adhæc præsto fuerunt ipsis commentarii beneficiorum, in quibus omnia concessa & data a Principe perscripta fuerunt. *Elogium* ex ἔλλο-
386-388. γειν derivat Noster, Græcis ἐκλόγιον notare docens rationem, quare quis hæreditatem adire, pariterque quare ab illa excludi ac exhæredari potuerit. Ante *Justiniani* tempora vocem jam in usu fuisse, contra Cel. *Ottonem* probatur. *Cap. XXXIII* agit *Hugo*
573 seq. de rarioribus quibusdam Inscriptionibus, & de variis illarum generibus disserit, quæ omnia illustrat & confirmat *Trotzius*. Ex quibus tantum notamus id, quod habet de statuis mercurialibus, quæ quadratæ fuerunt, quoniam *Mercurius* literas, musicam, artes palæstræ, & geometriam, invenisse dicitur. Hanc ipsam causam fuisse, quare viris doctis & illustribus *hermas quadratas* erexerint; unde Atticum illud τετράγωνος ἀνήρ, *vir quadratus*, id est, vir bonus & rectus. Apud Romanos *Gracchum*, autore *Plinio*, primum milliaria singula lapideis columnis dimensum esse, quorum usum ipse procul dubio addidicerit ab Indis, qui lapidibus numerum milliarium, & basi nomen Imperatoris, aut conditoris, aut reficientis, inscripserint. Addit etiam quædam de *milliario aureo*, cujus autorem primum facit *Augustum Dio Cassius*. Typogra-
579 seq. phiæ inventionem tribuit Germanis, & quidem Argentoratensibus, nec illos hanc debere Sinensibus, quorum institutum a nostro prorsus diversum sit. Qua occasione laudat institu-
582-584. tum L. B. *de Canstein*. Imperatorem *Fridericum III* aurum vestimentis inserere primum typographis permisisse, eosdemque eruditis æquiparari voluisse, inde esse, quod in locis, ubi Academiæ sunt erectæ, albo civium inscribantur, ac sub jurisdictione Rectoris Academici vivant. Parisienses typographos tandem post litem 100 annorum, ab A. 1618 usque ad A. 1725 d. 10 Dec, id obtinuisse, ut membra Academiæ sint declarati, pri-
585. vilegiis Academiæ gavisuri. Porro *Fridericum* typothetis aquilam & galeam apertam, typographis gryphionem, globulos typo-

typographicos pedibus tenentem, concessisse. Ex Germanis pariter *Franc. a Bocholt*, Montensis Ducatus opilionem, artem æri incidendi excogitasse, cui successerit *Israel a Mekenich* & *Martinus Stockius*, præceptor nobilissimi *Alberti Dureri*, denique artem incidendi ligno, seu xylographicam, Germanos & primos invenisse & coluisse. Veteres de librorum ornamentis sollicitos fuisse admodum, eorumque ligamenta nonnulla prorsus argentea et aurea fuisse. Speciatim de ornamentis Pandectarum Florentinarum Noster differit, &, qua pompa proferantur, commemorat. De voluminibus circa teretes scipiones convolutis, apud Romanos, Græcos, & Ebræos, item umbilicis, eorundemque extremitatibus, quæ *cornua* dicebantur, variis coloribus, auro etiam, ornata, multa erudite expromit. Libris in aversa chartarum parte frustulum membranæ agglutinabant, purpureo vel alio colore tinctum, cui ab exteriori parte index sive titulus libri, nomenque Autoris, literis aureis inscribebatur. Loris eos pulcherrimis constringebant, ne dissoluti pulverem, tineas, & blattas, admitterent, operculo, non tam ornatus causa, quam ut a pulvere & tineis tuti essent, indebant, cedro denique libros & chartas illinebant, quo tineas arcerent, eorundemque fini coronidem appingebant. Papyri conficiendi artem jam *Eustathii* tempore, qui floruit A. C. 1160, in desuetudinem abiisse docet. De arte compingendi, qualis medio ævo obtinuerit, & quo modo successu temporis perfecta sit, haud proletaria subjungit.

Pag. 585 seq. (Franc. a Bocholt); 586-589. (Veteres de librorum ornamentis); 589-597. (De voluminibus); 599-604. (Libris in aversa); 607-610. (Papyri conficiendi)

Jam, quæ in libro *Hugonis* emendata sint a Cel. *Trotzio*, paucis dicemus. Autor asseveraverat, *Adamum* vel *Sethum* inventores literarum primos fuisse, addit tamen simul, earum usum non adeo necessarium illa tempestate exstitisse, cum rara fuerint studiorum negotiorumque commercia; cujus sententiam propterea Noster rejicit, quod illius rei nec vola nec vestigium in sacris literis reperiatur, & primi parentes rudi illa ætate omnia facili memoria complecti potuerint. *Eumenium*, Pergami Regem, primum omnium membranas, pergamenas dictas, conficiendas curasse, ex *Plinii Lib. XIII Cap. 11* assertum iverat *Hugo*. Huic vero opinioni intercedit *Trotzius*, quoniam, referente *Josepho Ant. Jud. Lib. XII Cap. 2*, *Eleasar* pontifex LXXII Interpretes una 91 seq.

23 seq. (Jam, quæ in libro Hugonis)

cum membranis ad *Ptolemaeum* miserit, & Iones jam animalium pellibus ante *Ptolemaei* aetatem usi fuerint, uti *Herodotus* in *Terpsichore Cap.59* docet, & quoniam chartis papyreis Aegyptiacis ob fragilitatem interposuerint membranas, variis coloribus, inprimis purpureo, ad nitorem infectas. Prior ratio, quoniam pro certo ponit, scripturam V. Testamenti in Graecum sermonem a LXXII Senibus conversam fuisse, quae traditio multis fabulam sapit, non omnibus fortassis arridebit. *Hugo*, de *Siglis*
Pag. verba faciens, notaverat *Cujacium*, vocem *Siglum* non a *si-*
174-176. *gillo*, sed a voce *singula*, derivantem; cujus derivationis rationem Noster defendit, interque *notas* & *siglas* hoc discrimen intercedere contendit, ut per *siglas* intelligantur figurae, quibus ad celanda mysteria sua utebantur JCti, per notas vero literarum compendia, illa cumprimis, quae per singularias literas exprimebantur. Ob-
226. servaverat *Hugo*, στυλοκοπεῖν *Hesychio* idem esse, quod aliquem infamia notare, quo sensu *Athenaeo Lib. VI Cap. 6 Polemon* dicatur στυλοκοπὰς, quoniam illius nomen columnae ad probrum fuerit inscriptum. At ex *Casaubono* evincit *Trotzius*, nomen hoc *Polemoni* non in probrum, sed gloriam, adhaesisse, utpote qui in perquirendis, describendis, publicandisque vete-
343-345. rum monumentis totus fuerit occupatus. *Natalitiorum actorum* famam obscuram esse, dixerat *Hugo*; contrarium probat *Trotzius*, ad *Suetonium* provocans, unde, ante *Cajum Caligulam* obtinuisse illa, patere arbitratur. Originem illorum refert ad *Servium Tullium*, qui, quo nascentium numerum sciret, instituit, ut propinqui nata prole numum aliquem in aerarium *Junonis Lucinae* inferrent, ubi contra quis vivis excessisset, in *Veneris Libitinae*, cum quis togam virilem sumsisset, in *Juventutis*. Ut actorum horum notitia certa esset, ideo fuisse necessarium putat, ne quis alienos liberos in actis pro suis profiteretur, praemiisque πολυπαιδίας frueretur, nec id familias tantum illustres spectasse, verum etiam plebejas, cum praemia liberorum omnibus omnino fuerint indulta. Ubi Autor agit
353. de *albo praetorio*, eumque in finem adducit id, quod *Dio Lib. LIX*, & *Sueton.* in *Calig. Cap. 49*, de duobus libellis, quos *Protogenes*, *Caligulae* servus, circumtulerit, commemorant, exemplum

emplum illud ad album prætorium minus pertinere, oſtendit. Pag.
Differentiam, quam inter *Annales* & *Hiſtoriam* conſtituit Autor, ut *Hiſtoria* ſit temporum, quæ vidimus, vel videre potuimus, *Annales* eorum temporum deſcriptio, quæ noſtra ætas haud novit, rarius obſervatam fuiſſe, adductis teſtimoniis probat, obſervans, *Annales* olim a Pontificibus conſcriptos fuiſſe. *Condicta* non fuiſſe programmata, publice fixa, quod *Hugo* exiſtimat, ſed JCtis *condicere* idem ſignificare, quod *denuntiare*, docet, cum moris fuerit apud Romanos, rus colentibus per viatorem diem certum ſtatuere, quo in judicio lege agerent. Quam vero ſignificationem vox condictio poſt illa tempora induerit, erudite ediſſerit. Nomen *digeſtorum* non *Juſtinianum*, nec *Salvium Julianum*, quod cum *Alciato* putat *Hugo*, ſed *Alſenum Varum*, primum adhibuiſſe, indeque ad volumen juris, quod antiquorum JCtorum diſputationes, legum reſponſa, & deciſiones, continet, tranſiiſſe, probat. *Indictiones* denotare ſacras literas, quæ & codicilli fuerint dictæ, *Trotzius* non concedit.

359. 360.
378. 379.
382 ſeq.
403-407.

Reſtat, ut, quæ addiderit libro *Hugonis*, videamus. De diverſa ſcribendi apud veteres ratione quædam in medium protulerat *Hugo*; quibus addit *Trotzius* jocularem ſcribendi modum per *circulum*, qui in teſtamentis a dominis ratione ſervorum manumittendorum fuit adhibitus. Quo ipſo in loco quædam addit de primo inventore literarum Gothicarum, quem vulgo *Ulphilam*, ſive, ſecundum *Jornandem*, *Gulphilam*, vel *Vulphilam*, Gothorum Epiſcopum Arianum, eſſe exiſtimant, qui & Scripturam ſacram in linguam Gothicam converterit. Obſervat tamen ex *Baſnagio*, ante id tempus Gothos jam habuiſſe literas *Runicas*, a voce priſca *Rynner*, ſulcos ſignificante, dictas, quæ ob mirabilem formam ſuam myſticæ & occultæ audiant. De inſcriptionibus & ſubſcriptionibus epiſtolarum, quas Autor plane ſilentio prætermiſerat, quasque *Lipſius* in *Inſtitut. epiſt. Cap.* 4 non ſatis explicuerat, quæ ad inſtitutum facere videbantur, addit. De ῥαψῳδομαντεία vel ῥαψῳδομαντικῇ, quæ ex *Homero, Virgilio*, alioque illuſtri Poeta, & poſtea ex ſacra Scriptura, inſtituta eſt, quædam commemorat, illiusque divinationis antiquitatem idoneis exemplis oſten-

62 ſeq.
63 ſeq.
128 ſeq.
240 ſeq.

Pag. 244-250. ostendit. *Caput XXVII* ab *Hugone* destinatum est notis Grammaticorum; quoniam autem argumentum hoc non pro dignitate videbatur executus, multa Noster de notis illis, earumque antiquitate & usu, commentatur. Distinguit inter signa *interpunctionis*, & signa *critica*, sive *correctoria*. Inde observat, interpungendi signa olim fuisse nulla, vel voces singulas punctis interjectis distinctas fuisse, quod ex Codicibus MStis & Inscriptionibus appareat. Rationem hanc affert, quoniam linguam intellexerint, adeoque legendo facile constiterit ipsis, ubi sonus morari, vel protrahi, & proferri, deberet. Adhæc majusculis literis scribebant, & notis excipiebant, quæ dictabantur, ut hinc non ita commode interpunctionum signa interseri potuerint. Originem interpunctionum ab *Aristotele* repetendam non esse, contra *Clericum* contendit. Apud Græcos primum eas adhibuisse *Aristophanem*, Grammaticum Alexandrinum, ipsi est verisimile; apud Latinos *Ciceronis* jam ævo in usu fuisse, contra *Clericum* negat, cum ipse *Cicero* libros suos signis illis non distinxerit, nec in Pandectis Florentinis, quæ paulo post *Justiniani* tempora conscriptæ videntur, distinctionum notæ ullæ compareant, ut hinc ne quidem illa tempestate in usu fuisse videantur. Ante
249-255. *Hieronymum* codices sacros interpunctos haud fuisse, testimonio *Cassiodori* munit. Et, si qua interpungendi ratio post hujus tempora obtinuerit, fuisse tamen illam ab hodierna distinctam admodum, & sequentibus Seculis barbaris oblivioni prorsus datam esse. Ad *Caroli M.* usque tempora in libris & Diplomatibus nullam verborum distinctionem apparere, ex *Mabillonio de re diplomatica Lib. I Cap. 11 pag. 52* docet, hujus autem auspiciis factum esse, ut *Paulus Warnefridus* & *Alcuinus*, Diaconi, aliquot libros distinctionibus ornaverint, hanc autem interpungendi peritiam demum ab inventæ artis typographicæ tempore ad perfectionem suam adductam esse. Qualis vero veterum interpungendi ratio, & quomodo a nostra diversa fuerit, deinde fusius prosequitur. Quæ præterea *Capiti* huic subjecit de Criticis, eorundemque apud priscos munere, librorum correctoribus ac censoribus, iisdemque tum privatis, tum publicis, & qua ratione id jus sibi vindicaverit Clerus Romanus,

manus, itemque de signis criticis, eorumque usu, & quæ affinis sunt argumenti, considerationem merentur. In *Caput XXXI*, in quo varia scripturarum nomina exponuntur, varia supplementa conjecit, cujus generis sunt, quæ de *apostolis*, *assignatione*, *cambio*, *codice*, *corpore*, *desiderio*, *inscriptione*, *regestis*, *subscriptione*, ac aliis, commentatur. Maxime huc spectat fusior *de Scribis* Dissertatio, qua Opusculum hoc auctius atque ornatius reddidit. In hujus *Cap. I* agit de scribis, eorumque apud Ebræos conditione. Docet, hoc munus olim obiisse summum sacerdotem, succedente tempore *scribam sacerdotum* a *scriba regio* distinctum fuisse. *Publicum* scribarum munus administrasse Levitas, qui etiam Synedrio interfuerint, *scribam castrensem* multa polluisse autoritate. Scribas privatorum in contractibus & instrumentis, libris eruditorum, legibus & genealogiis Judæorum, describendis occupatos, huicque muneri destinatos fuisse Kinæos, qui post captivitatem Babylonicam in *scribas legis* & *scribas populi* divisi fuerint. Illos operam suam locasse describendis libris sacris, corrigendis, exemplis conferendis & literis numerandis, ubi de Codice αὐτογράφῳ *Esræ*, qui Bononiæ asservari dicitur, monet, illum nomen mentiri. Eosdem fuisse dignitate conspicuos & legum peritos, qui in lege describenda summam adhibuerint ἀκρίβειαν. Scribas populi libellos divortii scripsisse, ac inter viros principes numeratos fuisse. Apud Persas scribam regium proximum ab Rege locum tenuisse. In N. Testamento nominari γραμματεῖς τοῦ νόμου & τοῦ λαοῦ, quorum illi *publici*, hi *privati*, fuisse videntur. Νομικοὺς non fuisse sectæ Karæorum addictos, γραμματεῖς τοῦ ἱεροῦ & ἱερογραμματεῖς, *Josepho* dictos, fuisse procul dubio ex præfectis templi, ejusdemque rationes, reditus, & expensas, curavisse. Codicem sacrum non ita accurate descriptum fuisse, quin nonnullæ mendæ in historicis maxime ac chronologicis irrepserint. *Cap. II* docet, scribas publicos apud Græcos & speciatim Athenienses honestæ fuisse conditionis, ac *Petiti* argumenta, contrarium de Atheniensium scribis asseverantis, sub judicium vocat, nec *Spanhemio* assurgit, affirmanti, apud Syracusanos vilioris eos fuisse conditionis. Distinguendum esse docet inter scribas *publicos* & *privatos*, *publicos* fuisse vel *primarios*, vel *secundarios*,

Pag. 270-295.
422 seq.
424 seq.
425-428.
428-436.
436-440.

Pag. *rios*, quorum munus copiose describit. Munus scribarum apud
440 seq. Athenienses perpetuum fuisse, quod Ill. *Spanhemius* ex Inscriptione quadam apud *Sponium* colligit, cum hac restrictione accipit, si referatur ad statum reipublicæ, qualis fuit imperante *Hadriano*, qui Atheniensibus multa indulserit beneficia; aliam fuisse rationem sub republica libera. Dignitatem scribarum haud
441-451. exiguam fuisse, ex *Act. XIX*, 35, monstrat, nec illum ex scribis fuisse, qui in ludis Olympicis munere suo sit functus, contra *Gregorium* disputat; quæ autem de dignitate scribarum disceptaverat, ex Inscriptionibus probat.
451-462. *Cap. III* agit de *scribis Romanorum*. Apud Etruscos, itemque Romanos sub Regibus, munus hoc in usu fuisse, erudite docet. Quod autem *Cornelius* in *Eumene Cap. 1* dicit, mercenarium fuisse, non de statu sub Regibus, neque sub Imperatoribus, sed sub republica libera, intelligendum esse, cum tempore vero scribas majorem sibi autoritatem collegisse, qui licet a *Catone* in ordinem fuerint redacti, crevisse tamen eorum dignitatem sub Regibus, ut ipsis Senatoribus fere æquarentur.
462-471. Inde de scriba *ædilitio*, *prætorio*, *senatus*, *castrensi*, *navali*, *pontificis*, eorumque dignitate, disserit. Scribas
471-476. Imperatorum, licet libertinæ essent conditionis, id tamen suis servitiis ac assentationibus assecutos fuisse, ut ipsis Imperatoribus tandem formidabiles evaderent. Inde varia scribarum no-
476-480. mina, *notariorum*, *memorialium*, *cancellariorum dictatorum memoriæ*, exponit, scribarumque dignitatem ad interitum usque imperii fere permansisse, indeque ad barbaros transiisse, monstrat. In aula Romana *Cancellarium* olim proximum a Papa fuisse; quia vero is aliquando de pari cum Pontifice contendisset, dignitatem illam suppressam, in ejusque locum *Vi-*
481 seq. *cecancellarium* constitutum fuisse. *Notarios* ecclesiæ acta martyrum & disputationum cum hæreticis habitarum, item quæ in conciliis agebantur, consignasse; acta martyrum ab hostibus maxi-
483-487. ma ex parte suppressa esse. Inde se convertit ad *scribarum decurias*, monens primum, quæ *Salmasius* de decuriis scribatus habet, *Valesio* per plagium haud surrepta, tum, quæ decuriæ initio gratis conferebantur, inde pretio redemtas, docens. Decuriæ
487-490. scribarum & apparitorum appellabantur olim *militia*, & quidem

dem *literata*, quam militiam poterat aliquis vendere, & ad hæredes ſuos tranſmittere; quantum vero pro introitu, quod ejuſdem decuriæ ſociis accidebat, dandum fuerit, definiri non poteſt. His ſcribis ſolvebantur a Quæſtoribus ſalaria publice conſtituta, quæ aliquando etiam appellabantur *annona*, quia rebus ad victum neceſſariis, frumento, oleo, vino, carne, ac aliis, conſtabant. In militia obtinuiſſe *quatuor diſtinctos ordines*, illorum, qui *docere poterant*, *horreorum*, *depoſitorum*, *caducorum*, quorum officia ſigillatim exponit. A publicis ſcribis pergit ad *privatos*, qui vel ſervi, vel libertini, fuerunt, quosque vel ad deſcribendos libros, vel rationes componendas, vel teſtamenta ſcribenda, adhibuerunt. Priores dicebantur *notarii* ac *librarii*, quorum hi libros deſcribebant, illi dicta curſim excipiebant notabantque. Bibliopolæ quoque alebant librarios ſuos, quorum alii erant ἀντίγραφοι, alii καλλίγραφοι; illi nova exempla ex aliis deſcribebant, hi pulchre omnia exarabant, inque mundum redigebant. Matronis etiam erant ancillæ librariæ, quarum mentio in Inſcriptionibus, quæ ex hoc labore ſuo dotem ſibi quærebant. Jus ſcribarum, poſteaquam ſervile eſſe deſiit, ſibi tandem vindicarunt monachi, cumprimis Ciſtercienſes, quibus præerant Abbates, iisdemque periti correctores adjungebantur, qui nomina ſua adſcribebant, quo munere aliquando fungebantur ipſi Epiſcopi. Virgines etiam Deo ſacras operam ſuam aliquando huic muneri addixiſſe, ex MStis monſtrari poteſt. In cauſas mendarum in MStis conſpicuarum dum inquirit, illas repetit partim ex *Clerico*, partim ex *Mureto*, *Baluzio*, *Brencmanno*, non tamen omnes arceſſendas eſſe a librariis, ſed vel ab apographis, vel dictantibus, vel compendioſa ſcriptura, vel a correctoribus, vel aliis cauſis, oſtendit. Inde delabitur ad *tabelliones*, qui Græcis dicebantur δικανικοὶ, item πραγματικοὶ, &, qua in re munus illorum ſitum fuerit, edocet. Commentationi coronidem imponit tractatio de pœnis ſcribarum, quibus afficiebantur, quoties vel aliquid delebant, vel immutabant in tabulis publicis, vel ſine ſuperioris venia rerum publicarum copiam faciebant ad inſtrumenta publica inſpicienda vel de-

Pag. 490-494. | 495 ſeq. | 496 ſeq. | 498. | 499 ſeq. | 500-505. | 506-508.

describenda, vel qui falsa testamenta dolo malo scribebant & supponebant, quibus fere *digitorum nervi incidebantur*, quam pœnam constituit *Alexander Severus*, quæque ipsa post id tempus parata fuit illis, qui hæreticorum libros describebant. Quæ Pag. 508 seq. hanc Commentationem excipiunt, spectant diversa scribarum nomina, illa potissimum, quæ ab *Hugone* sunt omissa. Hæc sunt potissima Operis hujus *Trotziani* momenta, ex quibus unusquisque de pretio ejus judicare poterit. Ubicunque aliquid ex antiquitatum latifundiis est explicandum, ad primos semper fontes recurrit, diversas virorum doctorum sententias profert, easdemque confligit, ac illam, quæ argumentorum pondere ceteris superior est, eligit, atque rationibus communit, illis semper scriptoribus nominatis, qui argumentum aliquod ex instituto excusserunt. Antiquitatum reique literariæ studiosi invenient hic abunde, quibus sitim suam restinguant, JCti plurima, Theologi ac institutorum priscæ ecclesiæ cupidi haud pauca, quæ in commodum suum convertere possint. Prouti igitur Cel. *Trotzio* de tam eximio fœtu ex animo gratulamur, ita autores ipsi ac suasores existimus, ut interiorum literarum studium in posterum cum Juris disciplina amico fœdere conjungere, &, quod adhuc multa cum laude fecit, literatum orbem eruditis suis lucubrationibus ornare, pergat.

A REVIEW OF THE DOCTRINE OF Eucharist, &c.

h. e.

RECOGNITIO DOCTRINÆ DE EUCHARIstia, ex Scriptura & Antiquitate repetita, a DANIELE WATERLANDO, S. T. D. Regis Magnæ Britanniæ a Sacris.

Londini, apud W. Innys & R. Manby, 1737, 8.

Alph. 1 plag. 14½.

Notum est ex Historia literaria Britanniæ, illustrem hodie Præsulem Wintoniensem, D. *Benjaminem Hoadley*, novas de

de S. cœna lites ante aliquot annos ſeviſſe, aut, ut rectius dicamus, antiquatam jam in Socinianis diſputationibus renovaſſe controverſiam, ac e tenebris in lucem revocaſſe. Is nimirum præ ſe tulit, per cœnam Domini *communionem* ſanctorum hominum, & cum Servatore, & inter ſe, unice roborari, & ejus finem, quem Chriſtus ante oculos poſitum habuerit, præter aliquam *ſui recordationem*, nullum eſſe alium. Quid? quod, in hac *memoriæ* mortis Chriſti *renovatione* ipſam S. cœnæ *naturam & eſſentiam* poſitam eſſe, conſtituit. Hac vero arida S. cœnæ explicatione credulam a ſanctiſſimis epulis ſuperſtitionem abſtergere & amoliri, easdemque profanis, quibus Anglia dudum abundavit, hominibus gratiores acceptioresque reddere, voluit. Hac igitur oblata S. R. *Waterlandus* occaſione, quam quidem nominatim non deſignavit, totius ſacroſancti de Euchariſtia dogmatis recenſionem inſtituit, ex ſacra Scriptura & Hiſtoria ductam, quam vetuſtatis nuntiam & antiquæ veritatis lucem eſſe, ſapientiſſimi quique decernunt. Præmiſſa eſt libro huic *Introductio* lectu non indigna, ipſa vero pertractatio *decem & quatuor Capita* complectitur. Dabimus operam, ut ex hac compendiaria, quam molimur, enarratione Lectores noſtri rerum illic enodatarum pleniorem ſibi acquirant notitiam. *Introductio*, quæ totius rei propoſitæ rationem reddit, *quatuor* momenta præmunit ac præfulcit. *Primum* eſt,
Scripturam *unicam* eſſe *fidei morumque regulam*. *Alterum*, ad Pag. 2 ſeq.
intelligentiam Scripturæ multum valere, ſi ſciatur, quid *Scriptores*, qui ante nos vixerunt, *illuſtriores*, iidemque *veteres* inprimis, tum vero etiam *recentiores*, docuerint, ſicut una & mente & voce de re aliqua conſenſerint. *Tertium*, inter bina
hæc extrema, *ſuperſtitionem* ſcilicet *ſimpliciorum*, & *impieta-* 11 ſeq.
tem profanorum hominum, prius omnino tutius eſſe, cui pro re nata faveatur; præſertim cum hic diſertis verbis *1 Cor. XI, 27, 29*, etiam atque etiam cavere jubeamur, ne indigne ſacra utamur cœna, neve divinum ejus pretium ulla ratione diminuamus.
Quartum, idemque ultimum, eſt momentum, injuriam Sacra- 16.
mentis fieri, ſi *poſitiva officia*, quam *religioſos ritus*, ea nominare malimus. Quo quidem loco planum fit, Euchariſtiam 17.

 non

Pag. 17. non *nudum* aliquod *officium*, sed *sacrum quendam ritum*, esse,
in quo Deus nos amplectatur, seque nobis amplectendum offe-
20 seq. rat. Tum vero etiam docetur, non *unum officium*, verum
omnia in universum, quæ Servator præscripsit, *officia*, in eo re-
quiri homine, qui S. cœna digne uti velit. Hæc ubi, facem præ-
ferente S. R. Autore, fundamenta jecimus, res ipsæ tractatæ nos
23. ad se vocant. Et in *Capite* quidem I *nomina S. cœnæ notissima,*
& præcipua quadam consideratione digna, ex antiquitate repe-
tuntur. Nec vero recitantur tantummodo nomina, sed etiam de-
clarantur, temporum simul habita ratione, quibus nata esse viden-
tur. Sic dicta est Eucharistia A.D. 33 *fractio panis*, A. D. 57 *κοι-*
27. *νωνία, communio*, ex *1 Cor. X, 16*, A. D. 57 *κυριακὸν δεῖπνον, cœ-*
29. *na dominica*, *ex 1 Cor. XI, 20*, A. D. 96 *προσφορὰ*, *oblatio*,
32. 40. A. D. 104 *Sacramentum*, A. D. 107 *Eucharistia*, A. D. 150
45 seq. *Θυσία*, *sacrificium*, A. D. 150 *ἀνάμνησις*, *μνήμη*, *comme-*
49. *moratio, memoriale*, A. D. 249 *Pascha*, & A. D. 385 *Missa*.
53. 56. In *Cap. II* ipsa *S. cœnæ institutio ex locis N. F. testatissimis*,
58 seq. *Matth. XXVI, Marc. XIV, Luc. XXII*, & *1 Cor. XI*, exponitur,
65. &, quemadmodum in locum agni paschalis suffecta sit, ex si-
66 seq. militudine cum rerum circumstantium, tum phrasium in-
71. de ductarum, demonstratur. *Caput III* de *commemoratione*
74. *aut recordatione Christi in Eucharistia* præcipit. Hanc
finem institutæ S. Cœnæ *unicum* ac *proprium* ex Socinianis
Volkelius, Schmalcius, aliique, contendunt, atque adeo totam
72. ejus *naturam* & *essentiam* in illa sitam esse sciscunt. At S. Rev.
Autor *proximum τὴν ἀνάμνησιν τοῦ κυρίου* finem esse, verbis
sacrosanctis, *Luc. XXII, 19*, *1 Cor. XI, 24, 25*, confirmat, ea-
demque accuratius, quam *Socinianæ* familiæ adscripti homines,
interpretatur. Verba Domini, *εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, tria* si-
73 seq. gnificant. Primo: *In memoriam mei*. Itaque memoriam *personæ*
75. 77. Jesu Christi, non modo ut *magni* & *boni* viri, nec tantum ut
magni prophetæ, nec modo ut capitis, *domini*, ac *magistri* no-
78. stri, verum etiam, id quod majus & gravius est, ejusdem, ut
veri Θεανθρώπου, hic renovare jubemur. Quam in rem ido-
80 seq. neos *Justini Martyris* & *Origenis* locos S. Rev. Autor testatus
73. 83. est. Eadem verba secundo *in memorationem mei* possunt denotare,
quæ

quæ cum *celebratione* conjuncta esse debet. Atque hæc, ne-
cesse est, ut locis, *Act. XX, 28, Phil. II, 5-8, Col. I, 14-20,* Pag. 87.
Hebr. I, 2, 3, IX, 13, 14, consentanea sit. Locutio Christi
tertio *in memoriale mei* designat, Deo gratum & acceptum. Ut
olim in Vet. Testamento in *sacrificiis memorialia* erant *typica,* 73-89.
Lev. XXIV, 7, Num. X, 21, ita nunc *Eucharisticum* & *Antitypi-
cum memoriale* in N. Testamento habemus. Ut in Vet. Te-
stamento erat *ἀνάμνησις ἁμαρτιῶν*, ita nunc sub N. Testamen- 91.
ti œconomia in illius locum *ἡ ἀνάμνησις τοῦ Χριστοῦ* successit.
Huc eodem pertinet annuntiatio *mortis Domini* practica,
1 Cor. XI, 26, quæ in *Capite IV, de commemoratione mortis Do-* 72.
mini nostri in S. cœna inscripto, separatim exponitur. *Mors* 95.
hæc eo est loco habenda, quo *sacrificia* olim *expiatoria* erant.
Servator autem hoc suum *expiatorium sacrificium* pro pecca- 96.
tis humani generis obtulit. Atque isto verbo *καταγγέλλειν*
docemur, quemadmodum & Deo Triuno immortales gra- 106.
tias agere, habere, ac referre, & hominum nos servitia præbere,
debeamus. In *Cap. V de consecratione elementorum, panis &* 113.
vini, agitur. Quo loco 1 vera consecrationis natura in *preci-
bus & gratiarum actione* ponitur, 2, eadem ut a *ministris Ec-* 118.
clesiæ perficienda sit, exponitur, ac 3, *quid efficiat,* ostenditur.
Ejus nimirum *efficacitas* in *relativa* quadam *sanctitate* sita
esse debet, quam symbola adipiscantur. Hoc quidem vacat
dubio, per Dominicam orationem ad sanctiorem usum illa *de-
stinari.* At vero per verba institutionis symbola consecrata
cum rebus a visu remotis, corpore & sanguine Christi, arcana
quadam ratione *uniuntur & conjunguntur, καὶ ὁ γεγονὼς ἄρ-
τος ἐπιδέχεται τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ γίνεται ἡ εὐχαριστία σῶ-
μα Χριστοῦ κ. τ. λ. Iren. Lib. V Cap. 2 pag.* 294, & calix 136.
consecratur, *εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ, Ignatius ad Philad.
§. IV. Caput VI* de *spirituali* præcipit *manducatione ac bibitio-
ne, qua Jo. VI mandata legitur.* Sensus verborum hic est,
ut putat S. Rev. Autor: *qui mortis, quam in cruce sustinuit Do-* 146.
*minus, particeps redditur, idem etiam resurrectionem illius
participare debet.* Cum his confert, quid veteres olim de hoc 149.
loco senserint, & quid *recentiores* præcipuorum, in quos orbis 187.

Chriſti diviſus eſt, cœtuum doctores eadem de re decreverint. His explanatis, propius ad rem propoſitam in *Cap. VII* ventum eſt, quippe quod *ſacramentalem aut ſymbolicam in Eu-*
Pag. 197. *chariſtia* declarat *manducationem*. Hujus quidem ita explicatur natura, ſicut teſtatis ac pervulgatis *Reformati*, ut dici cupit, *cœtus* ſententiis ac ſcitis conſentaneum eſt, quæ huc redeunt fere: *Symbola ſunt nuda ſigna rerum ſignatarum, oculos fu-*
200. 202. *gientium, id eſt, corporis & ſanguinis Domini. Dum Chriſtus dixit:* Hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus! *hæc*
203 ſeq. *quidem verba non* literaliter, ſed figurate, *ac* interpretative, *ſunt intelligenda, ut elementa utramque materiam ab oculis avocatam,* cum effectu ſalutari, dignis *repræſentent convivis.* Ut hoc, quod ſumſit, S. Rev. Autor efficiat, *ſtilum ſanctiorem*, phra-
204. 206. ſin in *ſacrificiis* receptam, & alia argumenta, quæ cauſæ ſuæ ſervire putat, in auxilium vocat. In eo præcipue totus eſt, ut locos reverendorum civitatis Chriſtianæ luminum, *Ignatii, Ju-*
214 ſeq. *ſtini Martyris, Irenæi, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Cyrilli Hieroſolymitani,* & aliorum, deſcribat, ſibique favere planum faciat. Hos Patres ſacræ civitatis conſcriptos provocat, ut dignum eum judicent, cujus rebus ſtudeant, & patrocinentur. Sed, cum ei obſequi ſponte noluerint, hoc facere invitos & recuſantes coegit. A re propoſita noſtra ſejunctum eſt, nervos illarum rationum, quas noſtri Theo-
248 ſeq. logi dudum confecerunt, hic denuo incidere. Ex hiſtoria diſſenſionum, circa ſenſum verborum Servatoris commotarum, quæ hic loci contexitur, omnes, quotquot a partium ſtudiis alieni, nec a purgata judicandi facultate prorſus relicti ſunt, intelligent, noſtræ eccleſiæ explanationem reliquis haud dubie anteferendam eſſe. Namque naturali vocum poteſtati, in re tam eximia, & ad animi ſalutem valente, obedimus, neque griphis & captionibus, quas in axonibus ſuis *Solon* haud ferret, utimur. Manifeſtæ hic adſunt *propoſitiones*, quas artis ratiocinandi magiſtri vocant, *exhibitivæ*. Pronomen enim δεικτικὸν, τῦτο, in *ſubjecto* poſitum, ad binas res alteri exhibendas uſurpatur, quarum *principalis*, oculos fugiens, in *prædicato*, altera vero, quæ ſenſui patet, diſertis verbis non exprimitur, & *vehiculi* no-

nomine insigniri solet. Sic *Philargyrus* ostendit tibi marsupium pecunia refertum, *hoc est*, inquiens, *pecunia*. Hanc pecuniam, quæ res princeps est, velo nimirum tectam, non vides; marsupium, quod in se pecuniam continet, & usurpas oculis, & manu contrectas. Non dissimili ratione Servator in S. cœna sub externis signis vult *sumi* corpus & sanguinem suum. Ergo sub his iisdem vult etiam *dari* ac *porrigi*. Jam, re bene putata, sic rationes subducimus: corpus & sanguis in Eucharistia aut *absens*, aut *præsens*, est. At vero absens esse nequit; qui enim *dari* possit & *porrigi* aliquid alteri, quod *re vera absens* est? Ergo reliquum est, ut, cum poculum benedictum & fractus panis *convivis*, sive *probis*, sive *improbis*, *datur*, & ab his *sumitur*, *reapse* quoque ac *vere præsens* sit corpus & sanguis Domini, ac *simul detur* & *accipiatur*. De *modo* hujus secretioris præsentiæ non disputamus amplius hodie, nec vero idcirco, quod hic nos præterit, rem ipsam in dubium vocandam, aut plane negandam esse, arbitramur. Satis habemus, quod verba Domini sic interpretamur, quemadmodum *propositiones exhibitivæ*, in omnibus cultioribus linguis usitatæ, requirunt. Ita vero mediam quoque viam, quæ inter barbaram *transsubstantiationem Romano-Catholicam*, & inter *præsentiam mere significativam*, solaque mente contrectandam, apud *Reformatos* receptam, interjecta est, in Ecclesia nostra *Evangelico-Lutherana* deligimus, qua omnium sine dubio tutissime itur. Contestamur veterum sacræ civitatis antistitum locos, qui nobis facile, & sine ulla contorsione, adsunt, in contrariam vero partem inviti rapiuntur. Non miramur profecto, ex *umbratica Reformatorum* doctorum *præsentia* in *Socinismum*, qui nuda signa, solius memoriæ juvandæ gratia instituta, in S. cœna admittit, acutos delabi homines. Nonne enim umbraticæ & memoriales epulæ proxima se invicem affinitate contingunt? Quæ cum ita sint, Sociniani, ut sunt vaferrimi mortalium, tam leves umbras ingeniosis, quas unice diligunt, expositionibus ullo sine negotio dissipabunt. Quid? quod animum inducimus facile, ut credamus, illustrem Adversarium, contra

 quem

quem S. Rev. Autor tam levia arma tulit, copias ejus sine magna opum suarum jactura penitus confecturum, aut ei, manu diu cum hoste conserta, tandem in hujus fore castra transeundum, qui transfugam in fidem hac antiqua imperatorum recipiat formula: *quisquis eris, noster eris!* His excerptis & monitis, ad *Caput VIII*, praeeunte Autore, nobis deveniendum erit, ubi locus *1 Cor. X, 16 seq.* explanatur & vindicatur. Sensus hic certus & fixus esse debet: *qui credunt, omnes in* Christi & mortis *ejus communionem perveniunt, sic ut* beneficiorum *ab eo partorum* re vera compotes *fiant*. Qua data occasione, novas Venerandi *Moshemii*, Theologi Julii, quas in notis ad *Rad. Cudworthi de vera ratione Cœnae Domini* libellum, Latine a se versum, illi interpretationi objecit, dubitationes acerbe & aspere nimium accusat, ac si sanctioris capitis argumentum non *explanasset*, verum *perplexum* ac *obscurum* reddidisset, quo *Lutheranam*, quam vocat, *notionem* exsculperet; ut alia acerbius dicta omittamus. Rationes Viri Celeberrimi colligemus: *durae* sunt *locutiones* Paulinae, sine causa *distinctae* voces adhibentur, nec *propositiones* ea, qua fas est, accuratione *limitatae* sunt, si in verba *Reformati* coetus doctorum hic jurandum esset. Et sane, qui in his dubiis parum firmitatis inesse sciscit, is vero naso careat, necesse est. Ipsa purgata ratio statim, ut audit, hoc spernit scitum: est *causa* quaedam *absens*, quae in re aliqua efficienda, *mihi vere praesente*, hac ipsa hora versatur. Christi corpus & sanguis est αἴτιος τῆς σωτηρίας, id est, *causa*, quae *nunc* in salute, quam dudum peperit & *acquisivit*, *Act. XX, 28*, mihi *applicanda* occupatur, cujusque in animo *jam* percipio efficacitatem, & tamen *haec causa* a me *abest*. Quodsi causae cujusdam *actu* in me sentio efficientiam; illa quidem causa non potest non *actu* mihi adesse. At, si abesse eam a me constituo, omnes etiam *effectus*, a *praesente* illius *actione* pendentes, hac posita sumtione, nego. Itaque sententia, quae a recta abhorret ratione, sancto homini male obtruditur. Verbis luditur mente vacuis, neque ideae illis, id quod tamen fieri debebat, cum cura & solertia illigantur. *Effecta causae nunc* efficientis

cientis *mihi præsentia* quidem sunt, verum *ipsa mihi causa præsens* haud est. Nonne hoc idem est, ac si sciscas: sentio, aliquid a causa quadam nunc effici, & non sentio? Si enim *causam*, quæ nunc in lucem aliquid profert, *præsentem* esse non percipio, neque id, quod profertur, *actu præsens* mihi esse, & a me percipi, præ me ferre queo. *Effectus*, qui *actu* præsens est & sentitur, a causa existit, *actu* eum conficiente. Quæ si plane absens esset, nec sentiretur; consequens est, ut nec effectus sentiri posset. Ergo nec hic præsens esset. Ex quo perspicuum est, *corpus* & *sanguinem Domini* in symbolis omnino *præsentia* esse debere, ubi recipitur, *effecta* re vera in S. cœna *præsentia* esse. Hoc vero dato, dandum erit & illud, dubia *Moshemiana* ejusmodi esse, ut usitatam *Reformatorum* explicationem, cui S. Rev. Autor favet, velut levem aliquam nebulam disjiciant ac dissipent. Prememus hoc argumentum diutius, ne bonæ causæ deesse videamur. Sumtiones *Reformatorum* hæ sunt: *Symbola* S. Cœnæ *signa* sunt *absentis* corporis & sanguinis Jesu Christi, & rerum *effectarum præsentium*. Hoc sumto, symbola erunt *signa signorum*. Namque *effecta* sunt signa, quæ de causa testantur. E. hæc & *signata* res erunt, & *ipsa signa*, quæ ingenii lusio, ut levissime dicamus, ipsa nive frigidior est. *Signum* rei cujusdam signatæ aut est *mere repræsentans*, ut typi V. Testamenti τὰ ἀντίτυπα N. Testamenti repræsentabant, &, ut subtilioris Arithmeticæ artis, quæ *Algebra* dicitur, periti, signo − *minus*, & signo + *plus*, designant; aut est *conferens*, quod ipsam rem signatam, at occultam, confert. Sic, exempli gratia, medicus, data cuidam chartæ inclusa medicina, his utitur verbis: *hoc est medicamentum*. Ubi charta etiam est signum medicinæ, sed inclusam eam conferens. Medicina est *causa* sanitatis reddendæ. Quis vero tam inficetus & inconcinnus sit, ut dicat: *charta est signum sanitatis*. Hæc autem, medicina non sumta, consequi nequit. Ita, nisi in S. cœna corpus & sanguis Christi, quorum poculum benedictum, &, qui frangitur, panis, signa sunt, re vera sumatur, nec sanitas mentis, & obsignatio veniæ peccatorum, arctiorque cum Servatore

vatore unio ac conjunctio, vere obtineri & confirmari poterit. Vides, ei sententiæ, quæ *veram* corporis & sanguinis *præsentiam* in S. cœna tuetur, maximam deberi reverentiam. Neque vero illud Rev. *Mosbemii* studium, quo *commatum 16, 17, & 18*, vinculum divellendum judicavit, & *commate 18* novam orationis partem inchoari censuit, eam accerbam, quam hic inviti legimus, censuram commerebatur. *Præcisam* enim & *constrictam* S. *Pauli* orationem sæpenumero esse, præter alios, *Jo. Lockius*, civis Viri Clarissimi, in copiosa, quam suæ Britannicæ *Epistolarum* quarundam *Paulinarum Paraphrasi* præmisit, *Præfatione* præclare annotavit. Non igitur cum scribendi genere viri divinitus acti & eruditi, id quod tot loci extra controversiam collocant, *Mosbemiana* pugnat interpretatio. Vir inclytus debitis eam præsidiis communivit, ea usus modestia, ut illam obtruserit nemini, secundis quippe aliorum judiciis publicæ luci expositam. Nos vero eximio Magnæ Britanniæ Theologo istud sine mora concedemus, totam S. *Pauli* orationem *aptam* esse inter se, ac *cohærentem*. Tunc hæc sententia, hæc vis rationis *Paulinæ* nihil amplius habebit dubitationis. Propositio *primaria commate 14* habetur: *fugite plurium cultum Deorum*, sigillatim a *religiosis conviviis*, quæ in honorem ipsorum parantur, *vos abstinete*. Vis dehortationis universa in hoc sita est: nam *religiosa convivia notæ sunt professionis*, & *indicia* ejus *sacræ*, ad quam quisque pertinet, *societatis*. Sic, verbi causa, *S. cœna* est *nota professionis Christianæ*. *Nos* enim, dum *ex calice consecrato bibimus*, *sanguinis Christi compotes reddimur*, & *fractum panem manducantes*, *corporis Christi participes evadimus*, *commate 16*. Ita nimirum nos, in honorem *præsentis* Dei nostri S. cœna utentes, *v. 31 unum corpus*, unam societatem Christianam, constituere, præ nobis ferimus, *comm. 17*. Neque aliter se res habet, si *Judæos* spectemus. Hi, victimas in honorem *veri Dei* cæsas comedentes, in *aræ* partem se venire profitentur, cui verus Deus se interfuturum promisit, *comm. 18*. E. hæ *religiosæ epulæ* sunt *nota professionis Judaicæ*. Jam, his jactis fundamentis,

Pag. 314 seq.

a pari

a pari rationem ducit S. Servatoris orator, *comm. 19, 20.* Haud dispari nimirum modo *mensæ Diis a profanis* hominibus instructæ ***nota*** sunt *ethnicæ religionis.* Hinc ducit S. *Paulus* hoc corollarium: ***nolo, vos in dæmoniorum venire societatem!*** Majus est & gravius aliquid, quod *comm. 21* sciscit: ***ὀ δύνασθε, ne potestis quidem*** poculi ac mensæ & Domini, & deastrorum, participes fieri. Quænam hic vis demonstrandi subest? Hæc, ut putamus: namque *illæ* utriusque generis *epulæ* sunt ***binæ res contrariæ,*** & inter se repugnantes, eamque ob causam simul consistere nequeunt, *2 Cor. VI, 14.* Nemo simul & vero Deo, & falsis Diis, servire potest. Gentes profanæ serviunt falsis Diis, utpote quos in religiosis conviviis suis *præsentes* sibi esse credunt. Vid. *Platonem Lib. II de Legib. pag. 576,* & *Ovidium Lib. VI Fastor. v. 305.* E. vero Deo servire nequeunt. Vos, qui S. Cœna utimini, vero servitis Deo. E. falsis & commentitiis Diis servire nequaquam potestis. Nemo simul & victimam, ad placandum verum Deum cæsam, hoc est, corpus ac sanguinem Christi, & hostiam, deastris expiandis immolatam, participare potest. Profani homines hostiam deastris mactatam participant. E. victimam Deo vero oblatam participare non possunt. Vos, qui S. Cœna utimini, victimam Deo cæsam sumitis. E. in hostiarum deastris mactatarum communionem venire nequaquam potestis. Aut toti fallimur, aut hæc connexio & argumentatio omnibus nervis & partibus suis cohæret, nec plura requiruntur ad vim ejus capiendam. Diutius, quam putavimus, in his pensandis morati sumus, sed rerum nos gravitas abduxit. Quæ reliqua sunt, indicabimus verius, quam declarabimus, brevitatis rationem habituri. In *Capite IX* ostenditur, ut *venia delictorum in Eucharistia detur.* Atque hæc doctrina cum ex S. Scriptura, tum ex antiquitate, probatur, ac vindicatur. Verum in *Capite X* docetur, quemadmodum *gratia sanctificans in Eucharistia conferatur*, eadem tractandi ratione adhibita. *Caput XI,* quod, nulla re interveniente alia, dictam hanc disquisitionem consequitur, *Eucharistiam* ut ***ritum*** quendam *fœderalem* considerandam contemplandamque

Pag. 320. 332 - 335. 347 seq. 363. 35 seq. 424.

proponit. Rationes hujus sententiæ ductæ sunt 1 ex natura
Pag. 435 *communionis*, quæ Deum inter, ac sanctum hominem, S. cœ-
seq. na utentem, intercedit, 2 ex antiqua sanguinem in *fœderibus*
bibendi consuetudine, 3 ex ipsis *verbis institutionis*, & 4 ex
analogia, quæ inter S. *cœnam*, & inter *sacrificialia* Judæorum
ac gentium profanarum *convivia*, a S. *Paulo 1 Cor. X, 16*, di-
lucidandi gratia in medium prolata, sese offerre videtur. *Rad.
Cudworthus* præcipuus Autor est, qui in separata illa, eademque
brevi & minutæ molis, Commentatione, quam paulo ante no-
minavimus, S. cœnam *epulum sacrificiale* esse, voluit. Hanc
autem notionem cum viri nonnulli eximii falsitatis convicerint,
445 seq. S. Rev. Autor faciendum sibi esse putavit, eam ut rursus assere-
ret ac tueretur. Nostrum quidem hic loci non est, tantas com-
ponere lites, verum hoc non possumus non monere, quod le-
gibus repugnet logicis, si ex *similibus* exemplis, quæ rem ge-
neratim tantum ac universe illustrare debent, ipsæ proprietates
ejus singulares arcessantur, ac veluti corollaria ex illis principiis
ducantur. S. *Pauli* mens, id quod jam in antecedente vidimus
oratione, huc valet: omnes tres, quæ hodie vigent, religiones,
Christiana, Judaica, Ethnica, in eo conveniunt, quod singulæ *re-
ligiosa* habeant *convivia*. Ex hac vero generali convenientia
non vult concludi: *Judaica & Ethnica convivia religiosa* sunt
sacrificialia. Ergo S. *cœna*, quam *Christiani* celebrant, ejus-
dem quoque generis epulum est. Hanc conclusionem ex ne-
cessaria consecutione ductam haud esse, in logicis scriptis versa-
466. tum præterit neminem. At nihilo minus tamen *Capite XII
Eucharistiam* eo vult loco a nobis haberi, ac si *sacrificium* es-
468. set. Ubi primo historia litium, a D. *Grabio*, qui A. 1702 ad
Iren. Lib. IV Cap. 32 pag. 323 edit. Oxon. S. cœnam *propri-
um* sacrificium nominaverat, motarum, recensetur, deinde, *spiri-
475. tuale* illam *sacrificium* jure ac merito & esse & dici, demon-
stratur, collectis & *veterum* & *recentiorum* hac super re judi-
478. 532. ciis. *Caput XIII præparationem*, quam *S. communio* requirit,
535. enucleatam exhibet. Hanc nimirum præcedere debet 1 *Ba-
536. 538. ptismus*, 2 *debita* rerum ad S. cœnam pertinentium *cognitio*,

3 *sana*

3 *sana* & *genuina fides*, inprimis 4 *vera pœnitentia*, quæ his maxime indiciis declaranda, nimirum *restitutione ablati*, *facili* Pag. 546.
delictorum in nos admissorum condonatione, studio *unitatis sa-* 552. 557.
cræ & publicæ conservandæ, ac denique *caritate* ac *misericordia erga pauperes*. Reliquum est *Caput XIV*, in quo *de obli-* 558.
gatione ad S. cœnam frequenter accedendi disputatur, per *Se-* 562.
cula octo priora separatim eundo. Seculo I, dum Apostoli in 566.
vita manebant, ii, qui Christo nomen dederant, ad S. cœnam crebrius accedebant, aut *quotidie*, aut saltem quavis *die dominica*. Seculo II reperiuntur documenta, ex quibus perspicuum red- 567.
ditur, *quavis hebdomade*, sigillatim *die Solis*, Christianos S. usos esse cœna. Eadem Sec. III *quovis die*, Sec. IV aut etiam *quotidie*, aut *quater per hebdomada*, aut *sæpius*, Sec. V aut *quotidie* 570.
itidem, aut *dominicis* minimum *diebus*, Sec. VI *tribus* majori- 571. 577.
bus per annum *diebus festis*, natali *Domini*, *Paschate*, ac *Pente-* 590. 592.
coste, Sec. VII *his* etiam *festis*, a *Græcis* autem *omni hebdomade*, & Sec. VIII aut *quotidie*, aut *omni dominica die*, celebrata fuit. Accedit appendicula, in qua significatur, ut hodiernæ Ecclesiæ 594 seq.
S. cœnam frequentare soleant. Antequam hoc dimittamus Opus, non alienum erit, docere, qui summa ejus capita commemoravit, 597 seq.
notulas quasdam necessarias consulto, ac re bene putata, hic admiscuisse, ne arida & jejuna *Reformatæ* sententiæ narratio majorem, quam meretur, autoritatem eidem conciliaret. Has præterea majoris cujusdam scriptionis nuntias esse jussit, quam, si Deus faverit, meditandi, &, oblata commoda occasione, in lucem protrahendi, non abjecit consilium. In ea nimirum explanationi S. cœnæ inter *Lutheranos* receptæ, solis principiis *Hermeneuticis* in auxilium vocatis, suppetias feret, planum facturus, omnes illos causa cadere, quotquot inconsulta eam temeritate & olim adorti sunt, & hodieque adoriuntur. Optamus ex animo, ut, qui in luce apud nos vivit, ac tot aliis scriptis reipublicæ & sacræ & eruditæ adhuc serviit, & utriusque pomœriis amplificandis plurimum contulit, hunc, quem molitur, librum brevi explicet, ex eorum haud dubie numero futurum,

unde plurimum roboris capere res Christiana possit, & ipsis veritatis *Evangelicæ* osoribus & violatoribus omni ex parte satisfacturum.

D. Joh. Wilh. Hoffmanns Sammlung ungedruckter Nachrichten und Urkunden, &c.
h. e.

D. JOANNIS GUILIELMI HOFFMANNI Collectio Documentorum ineditorum, Historiam, Jurisprudentiam publicam, ac feudalem, aliaque S.R.I. Jura, illustrantium.

Pars I.

Halæ Magdeburgicæ, impensis Orphanotrophei, 1736, 4.
Alph. 3 plag. 15.

Est hoc nobis, qui Seculum hoc vivimus, in magna felicitatis parte ponendum, quod literariæ nostræ reipublicæ cives optimi quique ac nobilissimi de proferendis undecunque tabulis publicis, & rerum gestarum monumentis, non publicatis ad hunc diem, at, quæ ad seram transmittantur posteritatem, dignissimis, certatim cogitent. Ipsa experientia testatur, quantum Juris publici ac feudalis prudentia exinde lucis capiat, dumne illi, qui talia colligunt, nubem pro Junone amplectantur, &, qua ratione utilia ab inutilibus rite secerni debeant, turpiter ignorare se prodant. Præsens eruditissimi, & magna omnia bonis literis minantis, *Hoffmanni* Collectio earum una est, quæ summo jure eruditi orbis applausum merentur. Nullum hic Documentum, quod vulgare quidquam spiret, nullum, quod ad æternas damnandum tenebras putari debeat, legenti obveniet. Tam bene didicit Doctiss. Autor, nihil, quod non publice prosit, agere. Plurima hæreditatis jure ex locupletissima Illustris olim Fratris, *Christiani Godofredi*, Bibliotheca ad se pervenisse, pro insigni suo candore, ipse *Hoffmannus* docet. *Primum* hoc *Volumen* quinque *Documentis*, tanquam tot gemmis, superbit. Singulis Præfationem præmisit, continentem scitu utilia

Le-

Lectoribus, ad illa ſcripta paulo propius acceſſuris. Nos, quid boni ſecum ferat hæc Collectio, pro inſtituto noſtro breviter dicemus. Sunt hæc, quæcunque hic leguntur, ſermone ſcripta nobis patrio; ſed, exterorum cauſa, titulos Latine exprimemus. Ipſam frontem ornant *Acta, ſeu accuratior notitia, de dignitate Imperatoris Romani, a Carolo V per Legatum Francofurti ad Mœnum A. 1558 depoſita.* Quæ ſit vera cauſa, qua motus *Carolus V*, imperio ſeſe abdicavit, certatum quondam fuit, & adhuc ſub judice lis eſt. Generalis ratio ab ipſo Cæſare perhibetur ingraveſcens ætas, & valetudo parum proſpera. Admodum igitur memorabile hoc factum eſt, præcipue cum ipſi ſacri Rom. Imperii Principes Electores, ſicut ex his Actis patet, incerti atque ancipites hæſerint, quomodo ſine detrimento ac deminutione jurium ſuorum, & quibus potiſſimum ſolennibus, res tam nova, nec inter Germanos unquam audita, peragenda eſſet. Neque tamen, quod mireris, unus eſt ſcriptorum hujus ævi, qui de nobili hoc argumento tam plene atque copioſe ſcripſerit, ut nihil deſiderari poſſit. Quæ enim *Guilielmus Godelevæus* in brevi Commentatione *de Abdicatione, ſeu renuntiatione imperii & regnorum, a Carolo V Imper. facta*, attulit, non carent erroribus ſuis, nec de ipſo abdicationis actu, ejusque ſolennibus, quæ die 14 Martii in templo S. *Bartholomæi* celebrata ſunt, is ipſe quidquam tradit; nec *Ulrici Obrechti* Diſſertatio *de Abdicatione Caroli V* iis ſufficit, qui rem ipſam ſcire, non qualescunque meditationes politicas, cupiunt. Longe profecto certiora, ac meliora, docet ineditum hoc Opuſculum; &, præclara multa inde diſci poſſe, olim non ita cognita, non ſine cauſa perſuaſum ſibi habet præſtantiſſimus Editor. Confirmat hoc ipſe exemplo quodam. Scilicet plerumque creditur, ante tempus depoſiti a *Carolo V* imperii non initum fuiſſe ab Imperii Septemviris pactum ſingulare, quod *Capitulationem* vulgo vocant, cum fratre ejus, *Ferdinando I*, Romanorum Rege, imo hoc, accepta imperii Germanici dignitate, plane recuſaſſe *Ferdinandum*. Sed, neutrum horum ita geſtum, haud obſcure ex Actis illis probari poteſt, quæ Doctiſſimus *Hoffmannus* ex antiquo MSto libro, cujus Au-

torem fuiſſe quendam ex Conſiliariis, qui Electoribus Francofurti adfuerunt, ſuſpicatur, felici ſucceſſu, & propitia Minerva, in lucem produxit. Sequuntur dein *Acta de* D. Ottonis a Pack *examine in urbe Caſſellana inſtituto*, *propter exemplum fœderis cujusdam inter* Ferdinandum, *Regem, & Electorem, Principemque, Pontificiorum ſacris addictum*, *quod cum* Philippo, *Haſſorum Landgravio, ille communicaverat.* In hiſtoria Reformationis parum honorifica injicitur mentio *Ottonis* illius *Packii*, quem *Georgii*, Saxoniæ Ducis, Procancellarium fuiſſe, conſtat. Cauſa hujus rei affertur ſuppoſitum ab eo fœderis cujusdam exemplum, inter *Ferdinandum*, Regem, Electores Moguntinum & Brandenburgicum, aliosque Principes, Vratislaviæ ſanciti; quod *Packii* factum ſumma inter utriusque religionis Principes diſſidia excitaſſet, niſi, detecta fraude ac malitia, nonnullorum ſtudio ſaluti patriæ fuiſſet proſpectum. At enim oſtendit præſtantiſſimus Editor, rationes, quæ vulgo proferri ſolent, non ita eſſe comparatas, ut, fœderis hujus formulam temere fictam eſſe a *Packio*, luce meridiana clarius appareat. Acta illa, quæ *Seckendorffius*, quod ad potiora capita, in compendium redegerat, jam vero integra & incorrupta præſens *Volumen* exhibet, occaſionem acutis Lectoribus præbere poterunt, in hujus hiſtoriæ fundamentum paulo curatius inquirendi. Excipit hæc Acta *Inſtrumentum pacis Luneburgicum*, noſtro ſermone: *das Lüneburgiſche Zate-Bock. Zate*, vel *Sate*, eſt Inſtrumentum pacis, & unio, cujus vocis origo derivanda a verbo *ſatzen*, vel *ſetzen*. Deſcriptionem hujus Documenti protulit Cel. Editor ex vetuſto quodam Chronico; quæ, licet obſcura valde & intricata ſit, hoc tamen indicat, quod in Ducatu Luneburgico confectum fuerit communi olim ſuffragio Inſtrumentum, in quo diſſidia Principis & Statuum, itemque horum & Unterſaſſiorum, ut ſolita utamur voce, compoſita ſint, pace in perpetuum ſtabilita. Quam difficulter inveteratæ turbarum inteſtinarum radices ex univerſa Germania evelli potuerint, ſatis norunt Germanicarum rerum periti. Interea ergo temporis complures regiones ac provinciæ operam dederunt, ut, quam in omnes patriæ terras fruſtra fere

re-

revocari audiebant pacem, eam suis saltem finibus restituerent, & concordia, qua parvæ res crescunt, alienos olim animos feliciter conjungerent. Idque in Ducatu Luneburgico hoc magis videbatur necessarium, quod intercesserant *Bernhardo* & *Henrico*, ejus ditionis Principibus, graves cum multis ex ordine equestri, & civitatibus, cumprimis Luneburgensi, simultates, ob præcipuas regiminis partes, fidelitatis & obsequii præstationem, jura & privilegia, &c. coortæ. Hæc autem omnia ex scriptoribus, qui de turbis istis quomodocunque tradiderunt, parum recte cognosci poterunt, nisi plenioris Commentarii instar hoc consulatur Instrumentum, ex Codice descriptum membranaceo, cujus copiam Vir quidam summus politissimi Editoris B. Fratri benevole fecerat. Ad eundem, de quo diximus, Ducatum *quartum* quoque Opusculum pertinet, inscriptum: *Fasciculus Documentorum Luneburgicorum*. Sunt illa maxima ex parte ad Seculum decimum quartum referenda, ac præcipue res urbium Luneburgi, Hannoveræ, & Ulsenæ, commemorant atque illustrant. Habebunt & hic Lectores, quod notatu ipsis dignum videatur, sicuti nec Documento *quinto* & ultimo, quo traduntur nobis *Acta & notitia de Comitiis, Augustæ Vindelicorum A. 1582 celebratis*, deesse existimamus, quæ publici Juris amatoribus uberrimos afferre fructus queant. Septem esse rationes, quæ commoverunt *Rudolphum II* Imperatorem, ut Status Imperii Augustam convocaret, & monet *Hoffmannus* noster, & ex his ipsis Actis luculenter patet. Prima inter eas est necessarium auxilium, quo Turcis, plena sceleris consilia contra Germaniam ineuntibus, occurri facile possit; altera crescentes in dies in terris Burgundicis turbæ; tertia ereptæ Imperio Germanico provinciæ, cumprimis quod ad Livoniam attinet; quarta justitiæ provehendæ necessitas in Cameræ judicio; quinta res ad matriculam Imperii spectantes, itemque moderatio ejus, & ab ea exemtio; sexta ingens in re monetaria confusio, & septima controversiæ, de præcedentiæ & votorum jure a Statibus quibusdam excitatæ. Quæ sane capita singula in hoc Actorum fasciculo copiose diligenterque proposita legimus: eorumque illustra-

lustrationi inserviunt quodammodo breves, quæ a Doctiss. Editore hinc inde accesserunt, animadversiones. In iisdem Comitiis rerum, ad Calendarium pertinentium, injecta quoque est mentio. Sed ideo nihil horum *primo Volumini* adjecit Consultiss. *Hoffmannus*, quod varia hujus argumenti scripta inedita in posterum divulgare apud animum constituit.

LA FIGURE DE LA TERRE
déterminée, &c.

h. e.

FIGURA TERRÆ DETERMINATA, PER Observationes, a Dominis DE MAUPERTUIS, CLAIRAUT, CAMUS, LE MONNIER, *Sociis Academiæ Regiæ Scientiarum, Abbate* OUTHIER, *qui cum Academia commercium epistolare habet, & Domino* CELSIO, *Prof. Astron. Upsal. qui illos comitatus est, jussu Regis, sub ipso circulo polari factas, literisque consignatas a Domino* DE MAUPERTUIS.

Parisiis, ex Typographia Regia, 1738, 8 maj.
Plag. 14, Tabb. æn. 10.

Magnum certe & immortale opus non solum fortiter alacriterque aggressi, sed &, maximis superatis difficultatibus, feliciter executi sunt Viri præstantissimi, qui auspiciis Regis Galliæ, ad orbem ultimum Arctoum missi, & a Rege Sueciæ liberalissime adjuti, id egerunt, ut de incerta huc usque terræ nostræ, quam inhabitamus, figura nos tandem certiores redderent. Tota, qua patet, cultior Europa, ad tantos eorum conatus attenta, tantamque patientiam, diligentiam, prudentiam, mirata, optatum nunc eventum læta intuetur. Nec quidquam reliquum esse dixeris, ad tam nobilem quæstionem penitus expediendam, quam ut ii pari fortuna usi revertantur, qui pari consilio, iisdemque auspiciis, ad medias novi orbis regiones pro-

profecti sunt. Globosam esse Telluris figuram, inter omnes constat. De eo quæsitum, varieque inter Philosophos disputatum fuit, utrum exacta sphæra, an sphæroides, utrum sphæroides latum, an longum, Terra sit, & quam ad minorem major diameter proportionem habeat. Oblongam esse Terram polos versus, & ovo fere similem, antiqui hariolati sunt: quod nuper non mediocriter confirmare visa est Meridiani, per observatorium Parisiense transeuntis, dimensio, ab Academicis celeberrimis, *Piccardo* & *Cassino*, facta. Contra ea tellurem esse sphæroides latum, *Hugenius* & *Newtonus*, magno juniorum consensu, docuerunt, egregiis usi argumentis, partim a gyro Terræ diurno desumtis, de quo nemo hodie dubitat, partim a deprehensa corporum gravitate, in regionibus terræ extremis, quam mediis, majore. Nec parum huic sententiæ favet ipsa arcus meridiani dimensio, a *Norvoodo* in Anglia facta, & cum *Cassinianis* numeris comparata. Scilicet hoc certum est, gradus Meridianorum ab æquatore polos versus, si terra sit sphæroides oblongum, decrescere, si latum, crescere debere. Et *Cassinus* quidem, in parte australi Meridiani Gallici, gradus singulos, tanquam inter se æquales consideratos, 57097, in septentrionali 56960, hexapedas Parisienses æquare, comperit; a *Picardo* minime dissentiens, qui gradui inter Lutetiam & Ambianum interjecto 57069 hexapedas adscribit. *Norvoodus* vero in Anglia, atque adeo in parte Meridiani magis septentionali, gradus non minores, sed majores, invenit, 57300 hexapedas Parif. æquantes. Et novissime *Musschenbrækius*, errores *Snellii*, partim ex propriis, partim ex ipsis *Snellianis*, observationibus correcturus, in Hollandia magnitudinem gradus Meridiani 57033 hexaped. Paris. constituit. Quæ a *Ricciolo*, *Fernelio*, & ab antiquioribus, traditæ sunt dimensiones, multo minus exactæ, nulliusque usus, deprehenduntur. At nec *Cassiniani*, *Norvoodiani*, *Musschenbroeckiani*, numeri, ad definiendam Terræ figuram, concordant: nempe quia fieri nequit, ut vel oculatissimi observatores, instrumentis instructi quantumvis humana opera absolutis, graduum parum a se invicem distantium exiguam differentiam rite persentiscant. Ergo id agendum erat, ut viri cumprimis idonei gradus quosdam maxime distantes, prope

 polum

polum & æquatorem, ad menſuram denuo revocarent, autoritate & liberalitate ſummorum Principum ſuſtentati. Profecti ſunt ad ſeptentriones Cel. *de Maupertuis*, cum collegis, quos ſupra diximus. Dimenſi ſunt gradum Meridiani, per ipſum circulum polarem tranſeuntem: peractoque opere, de eo, quod effecerunt, publice nunc rationem reddunt. Complectitur ille gradus 57437 hexapedas Pariſienſes; ideoque 377 hexapedis gradum *Picardi* excedit, 512 hexapedis exceſſurus, niſi correctionem neceſſariam, cum propter aberrationem fixarum, a *Bradlejo* demonſtratam, tum propter præceſſionem æquinoctiorum, & refractionem, *Picardus* neglexiſſet: rurſusque 950, vel, omiſſa aberratione *Bradlejana*, 1000 hexapedis major eſt, quam ſecundum calculum & principia *Caſſini* eſſe debuiſſet. Ex quo ſequitur, Terram omnino verſus polos notabiliter depreſſam, ſphæroidis non longi, ſed lati, figuram habere. Summam diximus. Nunc etiam per partes eundum, & capita paucis attingenda ſunt. Diviſit Cel. *de Maupertuis* Volumen totum, quod nunc exhibemus, in *Libros tres*, præmiſſa Diſſertatione hiſtorica, de omni itinere & ſuſceptis laboribus. In Præfatione de præſenti inſtituto, ac de uſu ampliſſimo diſſerit, qui ex ſolutione celeberrimæ quæſtionis, de figura Terræ, & magnitudine diverſa graduum Meridianorum, cum in Geographia & navigandi arte, tum etiam in Aſtronomia, maximeque in theoria lunæ perficienda, expectandus eſt; dimenſiones ſuperiorum commemorat, &, quid adhuc deſideratum fuerit, oſtendit, voluntatemque Regis munificentiſſimi, de quæſtione illa finienda, per Cardinalem *de Fleury* & Comitem de *Maurepas* ad Academiam delatam, exponit. Ejusdem ſententiæ nonnulla in Diſſertatione hiſtorica reperiuntur. In qua deinceps ſucceſſum itineris & nonnulla de rebus Lapponicis Autor enarrat. Holmiam, ineunte æſtate A. 1736, cum ſociis delatus, ſtatim de opere exordiendo cogitavit: cumque ad partem notabilem Meridiani dimetiendam ſeries triangulorum formanda eſſet, cum baſi quadam ſatis longa connexorum, cujus menſura, ope hexapedæ, quam exactiſſime haberi poſſet, primo quidem ſpes omnis fuit in ora & inſulis ſinus Botnici. Deinde vero, explorata ora, quod parum ex aqua emi-

eminere universæ insulæ deprehenderentur, abjicienda illa spes, & in desertas squalidasque Lapponiæ regiones penetrandum, porroque in horridos & præruptos montes enitendum, ingentique exquisitissimorum instrumentorum apparatu eo delato, construenda triangulorum series, angulique omnes quam curiosissime mensurandi fuerunt. Quibus rebus per æstatem confectis, commodaque basi in magno Torneæ fluvio determinata, eademque cum serie triangulorum, a Tornea urbe, septentriones versus, ad oppidum Kittisium pertingente, rite connexa, ut amplitudinem arcus Meridiani, inter utrumque oppidum intercepti, accurate definire possent solertissimi mensores, primo quidem Kittisii, deinde etiam Torneæ, complures observationes Astronomicas instituerunt, Sectore novempedali, & Quadrante bipedali, aliisque instrumentis, Londini, cura *Grahami*, quam perfectissime elaboratis, usi. Postremo, cum Torneæ fluvius glacie obtectus esset, basin, jam antea determinatam, ope perticæ, quam diligentissime iterum iterumque dimensi sunt: integroque fere anno circumacto, Holmiam redierunt. Atque hæc de Dissertatione historica, Operi præmissa: in qua quæ passim immiscentur, de rebus Lapponicis, & de luminibus borealibus, ibi observatis, ne longi simus, omittenda sunt. *Liber primus* distributus est in *Partes duas*: in quarum *priore* exponuntur ea omnia, quæ moliti sunt Viri Clarissimi, ad describenda & connectenda triangula, ad observandos angulos, atque ad dimetiendam magnitudinem cum baseos, tum ipsius arcus meridiani, inter parallelos Torneæ & Kittisii oppidorum intercepti. Basis reperta fuit 7406 hexap. 5 ped. 2 dig. amplitudo arcus Meridiani 57′, 28″: ejusdemque longitudo 55023, 47 hexaped. Quibus assumtis numeris, eam longitudinem gradus integri computaverunt, quam supra indicavimus. In *posteriori Parte* repetitæ operationes sistuntur, quibus & priores operationes, & numeros, & ipsa instrumenta, sub rigidissimum examen denuo revocarunt: adjectumque sub finem Problema est, quod jam A. 1735 in *Commentariis Academiæ Scientiarum* Autor noster proposuit, de invenienda figura Terræ, ex cognita magnitudine duorum graduum Meridiani. *Alter Liber* varias complectitur observationes, quibus ele-

elevatio poli Torneæ & Kittisii, magnitudo refractionum sub circulo polari, & differentia Meridianorum Torneensis & Parisiensis, definita fuit. *Spolius* & *Bilbergius*, A. 1695 a Rege Sueciæ Torneam missi, exiguis & parum elaboratis usi instrumentis, elevationem poli constituerunt 65°. 43′; quam etiam duobus scrupulis minorem constituere ex suis observationibus debuissent: iidemque refractiones, in illo climate, altero tanto fere majores sibi reperisse visi sunt, quam reperiri in Gallia solent. At nostri elevationem poli Torneæ 65°, 50′, 50″, refractionesque nihilo, quam in Gallia, majores, invenerunt: differentiam autem meridianorum Paris. & Torn. satis recte unius horæ & 23 scrup. constitui posse arbitrantur. Jovem quidem & ejus satellites, ex vaporibus horizontis nunquam satis adscendentes, contemplari non potuerunt: at, præter nonnullas occultationes fixarum, etiam eclipsin lunæ horizontalem, d. 16 Martii A. 1737, Veneremque per duos menses non occiduam, diligenter observarunt: atque ex his, multisque aliis lunæ, solis, & fixarum, observationibus, ea definire potuerunt, quæ ostendimus. Denique acus magnetica, Torneæ A. 1737, 5°. 5′ declinare, occasum versus, deprehensa est: quam A. 1695 *Bilbergius*, versus eandem plagam, 7 integris gradibus declinare observavit. Restat *Liber tertius*, gravitati corporum, sub circulo polari, examinandæ destinatus. Ubi Cel. *Maupertuis* primo quidem generatim de gravitate verba facit, & de ejus in diversis terræ regionibus diversitate, quam, ex minus veloci pendulorum prope æquatorem oscillatione, princeps *Richerius* prodidit, & summi Philosophi, ex diversa ipsarum partium terræ gyrantis celeritate & vi centrifuga, deduxerunt. Deinde, postquam docuisset, quantum intersit, ut observationes *Richerianæ* similes, cum alibi, tum in locis maxime septentrionalibus, accurate instituantur, præsertim cum *Picardus* nullam penduli accelerationem in Dania observarit, neque observationes huc usque factæ rem omnem conficere videantur: hoc igitur postquam docuisset, ad suas ipsius collegarumque observationes exponendas pergit, quæ ope penduli, a *Grahamo* ad hunc finem inventi, in pago quodam Finniæ, cujus latitudo est 66°, 48′, institutæ, ac postea Parisiis, in pari aeris

aeris per thermometrum explorata temperie, repetitæ ſunt. Ex quibus conſtat, motum penduli, in pago commemorato, cui *Pello* nomen eſt, quo tempore cœlum fixarum circumagi videtur, motum ejusdem penduli, Pariſiis oſcillantis, 59, 1 ſcrupulis ſecundis ſuperare. Quæ quidem acceleratio 6″, 2, major, quam per *Newtonianam* Tabulam, & ″4, 2 minor eſt, quam per noviſſimam *Bradleji* Tabulam reperiri debuiſſet. Hinc porro concludit Autor, gravitatem, in vico illo ſeptentrionali, ad gravitatem, quæ Pariſiis obtinet, ſe habere, ut quadratum numeri oſcillationum, pari tempore utroque loco factarum, hoc eſt, ut 10014 ad 10000, pendulique, quod ſcrupulos ſecundos oſcillando indicat, (cujus longitudo Pariſiis eſt linearum 440, 57) in pago Finnico longitudinem eſſe debere linearum 441, 17. Poſtremum in hoc Opere locum occupat ſolutio ſequentis Problematis: Cognitis figura Terræ & proportione gravitatis ſub æquatore ad gravitatem in quavis data latitudine, angulum invenire, quam vera gravium directio cum directione gravitatis primitivæ conſtituit. Eam autem gravitatem Vir doctiſſimus primitivam vocat, quæ ubivis terrarum obtineret, ſi ipſa quidem Terra immota eſſet.

GEORGII AUGUSTI LANGGUTHII, A. M. Antiquitates Plantarum feralium apud Græcos & Romanos.

Lipſiæ, ex officina Langenhemiana, 1738, 4.
Plag. 12.

Cum inſignis non ſolum utilitas e plantis percipiatur, quæ victum æque ac amictum, imo habitacula, & præſtantiſſima ad conſervandam & reſtituendam ſanitatem remedia, majoribus noſtris præbuerunt, ſed eædem mirifica etiam voluptate ſenſus afficiant; nemini mirum eſſe debet, omni tempore homines plantarum fuiſſe ſtudioſiſſimos, & in locis, quæ illis abundabant, receſſum ſibi elegiſſe, quod inprimis Poetis familiare fuit, qui his potiſſimum delectabantur, nec aptiorem animabus defunctorum locum excogitare potuerunt, quam campos Elyſios, quos omni elegantia arborum florumque inſtructiſſimos fingebant. Hinc omnibus fere

rebus cum ſolennitate quadam peragendis, ſacris & profanis, lætis triſtibusque, plantas ſtudioſe adhibebant; quod ſigillatim de plantis in funerum pompa uſitatis hoc Schediaſmate oſtendit Doctiſſ. Autor, qui ſub generali plantarum nomine, duce *Aug. Quir. Rivino*, avo ſuo, inſigni noſtræ quondam Academiæ ornamento, arbores, frutices, ſuffrutices, & herbas, comprehendit. Myſtagogi inſtar Lectorem primo ad domum ægrotantis deducit, inde, cadavere defuncti propius inſpecto, ipſum funus comitari jubet, &, qua ratione rogus exſtructus ſit, quove nutrimento ignis alatur, oſtendit, nec niſi cineribus in urnam collectis, & in monumento quodam depoſitis, ludoque funebri peracto, inde recedere ſinit, mox ad cœnam funebrem deducturus, qua peracta, rite luſtratum demum dimittit hoſpitem ſuum. Ubique potiſſimum ad plantas, ibidem obvias, oculos animumque dirigit, de quibus luculenta cum Græcorum, tum Latinorum, Poetarum inprimis, quorum carmina feralium ſolennitatum plena ſunt, & aliorum etiam Scriptorum, teſtimonia, multo cum ſtudio collecta, & ingenioſe applicata & explicata, adducit. Pro foribus ægrotantium *Rhamnum*, *Jano* ſacram, ad noxas a foribus abigendas, & *Laurum*, *Apollini*, Medicinæ inventori, dicatam, ſuſpendi notat, horumque rituum cauſas altius repetit. Inde, quamprimum animam efflavit æger, pollinctorem arceſſi animadvertit, cujus unguenta, ex *Caſia*, *Myrrha*, *Thure*, *Amomo*, & *Opobalſamo*, parata, & inſigni cum luxu effuſa, curatius perluſtrat. Januæ appoſitas *Cupreſſum* & *Piceam*, tanquam funeſtæ domus indicia, docet; cadaver vero corona, ex *Olea*, *Lauro*, *Populo alba*, *Lilio*, & *Apio*, pro diverſis defuncti meritis & honoribus, contexta, ornatum, in veſtibulo deponi monet, nec lecti ſtructuram, &, cui ille imponebatur, feretri, ex *Cupreſſo*, *Quercu*, & *Arbuto*, negligit, priorem etiam, ſimul cremari ſolitum, *Papyro*, *Scirpo*, & alia omni materia alendæ flammæ idonea, farciri commemorans. Ubi ipſum funus ducitur, faces ex *Pinu* & *Papyro*, tibiæque ferales ex *Loto* & *Buxo* paratæ, attentionem Cl. Autoris excitant; donec ad rogum accedenti, fragrantia plantarum, in rogum conjectarum, novæ contemplationis opportunitatem ſuppeditat; ubi iterum *Caſiam*, *Myrrham*, *Thus*, *Coſtum*, *Nardum*, *Crocum*, *Amomum*, & *Cinnamomum*, libe-

liberali manu ſpargi videt. Ipſe rogus ex variis lignis, inprimis ſucco & reſina abundantibus, ut facilius citiusque comburereretur cadaver, & fragrantibus, ad uſtrinæ graveolentiam temperandam exſtruebatur, ut vix ulla arborum procerarum ſit, quam ſubinde rogo adhibitam non indicent Autorum teſtimonia. Cineribus interim immittendis, præter balſama ſupra recenſita, flores fragrantes, ut *Roſas*, *Violas*, *Oleam*, ſimiliterque plantas, miſcebant. Ipſa, in quibus condebantur reliquiæ, loca plerumque in hortis & ſilvis, ſub umbra arborum opacarum ſibi eligebant, easque tumulis ſuis inſeri jubebant, aut variis minimum plantis hæc monumenta ornabant, *Apio*, *Potho*, *Lilio*, *Roſa*, *Malva*, *Aſphodelo*, *Viola*, *Hyacintho*, *Amaraco*, & *Narciſſo*. In cœna funebri ex plantarum numero *Faba*, *Lens*, *Apium*, & *Lactuca*, ſolenniter apponebantur. Denique, ut ii, qui propius ad mortuum acceſſerant, inde polluti rite iterum luſtrarentur, ex plantarum cenſu *Laurum*, *Oleam*, & *Squillam*, adhiberi conſueviſſe evincit. Cauſas variorum horum rituum eleganter exponit, & teſtibus idoneis confirmat perinduſtrius Autor. Neque vero in his acquieſcit, ſed Botanices etiam culturam ſibi cordi eſſe teſtatur, dum in ſubjectis annotationibus ubique de plantarum hic commemoratarum charactere & variis ſpeciebus erudite diſſerit, atque inprimis ex veterum Botanicorum ſcriptis, quænam proprie plantæ, noſtris ſubinde temporibus minus cognitæ, his nominibus deſignentur, eruit, ſicque dignum ſe Celeberrimi quondam *Rivini*, cujus in rem Botanicam merita orbis eruditus ſemper venerabitur, nepotem exhibet. Non dubitamus, Lectores, quibus mores antiquorum accurate inveſtigatos cognoſcere volupe eſt, ſtudium Cl. Autoris ſuo ſuffragio probaturos, & nobiſcum optaturos, ut artem Botanicam, cui natus factusque videtur, nobili ſuo ſtudio porro augeat & ornet, & conſilium, quod de reliquis Plantarum antiquitatibus pari ratione edendis cepit, quam primum exequatur.

LES OEUVRES DE VIRGILE, TRADUction nouvelle, &c.

h. e.

VIRGILII OPERA, RECENS IN SERMOnem Gallicum translata. Adornavit hanc verſionem,

&

& Notas, partim historicas, partim geographicas, adjecit, Abbas DE LA LANDELLE DE S. REMY.

Tomi IV.

Parisiis, apud Gregorium Dupuis, 1736, 8.
T. I Alph. 1 plag. 2½, T. II Alph. 1, T. III Alph. 1,
T. IV Alph. 1 plag. 2, cum Fig. æn. 1.

Pauca sunt, quæ de elegantissima hac interpretatione, præter id, quod vel titulus indicat, moneri possint. Vitam præfixit herois sui doctissimus Abbas, cujus in Latina lingua conscriptio male *Donato*, melius incerto, tribuitur. Ipse vero, si tres vel quatuor annotatiunculas minimi momenti exceperis, nihil omnino supplevit. Majoris autem faciendæ sunt animadversiones, quæ in ipso Opere comparent, & digniores adeo, quæ nos paulisper morentur. Ad *secundam Eclogam* tres potissimum rationes afferuntur, cur locus colloquii in Sicilia fingatur. Quoniam scilicet pabulo abundarit hæc insula, pastores habuerit ceteris celebriores, & inprimis etiam, quod *Theocritum* genuerit, quem ut exprimeret, omnem *Virgilius* operam in hac ipsa *Ecloga* navaverit. Ad *quartam* notatur, unam eandemque Deam esse *Junonis* atque *Dianæ* sub nomine notam, cum nomen utrumque a gravidis atque puerperis fuerit invocatum; quæ inde conclusio quam vera sit, alii judicabunt. Ad *nonam Cinnam* & *Varum*, quos Poetas fuisse alii opinantur, per illustres aulicos explicat Noster, quorum Poeta gratiam aucupetur, *Alfenum* scilicet *Varum*, & *Cinnam*, *Pompeji* nepotem. *Tomo II* quatuor priores *Æneidos* versus jure suo minoribus literis exprimendos curavit, suppositos illos esse, ac *Marone* indignos, procul dubio indicaturus. Ibidem ad *Lib. II v. 567* de duobus & viginti versibus, a *Tucca* atque *Vario Virgilii* amicis, resectis, copiosius commentatur. *Tomo III pag. 9 Justi Lipsii* sententiam suam facit Clarissimus Autor, qua ursos quævis animalia ferociora dicta fuisse arbitratus est, causam prætendens, quod ursi proprie ita appellati Afrorum in partibus haudquaquam reperiantur. Quod tamen *Lipsii* judicium *Herodoti*, *Strabonis*, *Solini*, aliorumque, clarissimis repugnat testimoniis, & jam diu a *Salmasio* in *Exercitationibus Plinianis* solida per argumenta fuit rejectum. Plura possent indicari, quæ partim eximiam Abbatis nostri in rebus præsertim historicis atque antiquitate notitiam indicarent, partim etiam leviores quosdam errores, qui, ab hoc etiam erudito humani nihil alienum esse, ostendunt, præ se ferrent. Nihil tamen eorum tanti est, ut Lectores, majoribus forte rebus intentos, merito suo debeat detinere.

(o)

No. II.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXXXIX.

MATTHIÆ BELII NOTITIA HUNGARIÆ novæ Geographico-Historica. Partis primæ, Cis-Danubianæ, Tomus tertius.

Viennæ Austriæ, impensis Pauli Straubii, 1737, fol. Alph. 7 plag. 5, cum Tabb. æn 7.

Nondum fatigatus magni per Hungariam itineris molestiis *Matthias Belius*, adhuc jucundum in regione amœnissima domicilium habet, & cœlestibus illis nobilium provinciarum urbiumque ita fruitur deliciis, ut alios quoscunque peregre viventes in magnam hujus voluptatis venire partem patiatur. Quem ei nuper tres Hungariæ Comitatus, Pestiensis, Pilisiensis, & Solthensis, secessum præbuerunt, *Volumine* hoc *tertio*, in manus Imperatorias demississime & eloquenti formula tradito, descripsit, nihil omittens eorum sive naturæ, sive artis, decorum, unde dudum præcipuus quidam illis terris honor partus est. Quæ, si omnibus placere proprio ornatu & nitore poterant, quantum accepisse gratiæ putemus a Musæ *Belianæ* elegantia, illis in ipsa senectute ignibus calentis, quibus ad magna omnia excitari ætas juvenilis solet! Itaque, cum novi hujus *Tomi* lectio nos tenet, & illa sive rerum præstantissimarum copia, sive dictionis expolitæ suavitate, capimur, tantum abest, ut laudum nos pœniteat, quibus dignissimum olim *Belianæ* industriæ incomparabile hoc monumentum judicavimus, ut jam nova quasi eximiarum virtutum accessione novam injici nobis ingenii & doctrinæ *Belianæ* admirationem sentiamus. Ut amplissimam,

ſimam, ita illuſtrem inprimis & præſtabilem, hujus *Voluminis* partem facit regiæ *Budenſis* urbis hiſtoria, iis fortunæ converſionibus, & viciſſitudinibus fatorum, memorabilis, quibus, ſi Trojam aut Carthaginem excipias, vix ulla unquam urbs majores ſuſtinuit. Hanc, ab ultima origine ad noſtra usque tempora continuo filo deductam, tam clara poſuit in luce, tamque certis rerum ſive communitam, ſive exornatam, monumentis dedit, ut nullius poſt *Belium* ſcriptoris diligentia opus eſſe magnæ huic urbi videatur. Nec incultas jacere urbes ceteras, *Peſtum*, *Viſſegradum*, *Vacziam*, atque *Colocſam*, paſſus eſt, quarum hiſtoria largiſſimam Autori, belli pacisque tempora expendendi, ac de graviſſimis rerum publice geſtarum momentis dicendi, materiam ſuffecit. Sed magni inprimis res laboris fuit, emergere ex illis tenebris, quæ rem Hungariæ eccleſiaſticam obtexerant, & *Archiepiſcoporum Colocſenſium*, *Vaczienſium*que *Epiſcoporum*, ſive res geſtas, ſive ipſa tantum nomina, ab oblivione vindicare; quo uno ſatis docuit exemplo Noſter, quantos in omni genere hiſtoriarum diligens aut Diplomatum inveſtigator, aut lector optimorum Scriptorum, facere progreſſus poſſit. His omnibus, *Beliana* cura & induſtria non eleganter minus, quam accurate, illuſtratis, inſignem autoritatem illud inprimis conciliat, quod, quæcunque hic traduntur, annuente Illuſtriſſimo Hungariæ Locumtenente, *Franciſco Stephano*, Magno Hetruriæ Duce, a ſummis Peſtienſis, Piliſienſis, & Solthenſis Comitatuum, urbisque Budenſis, magiſtratibus primum diligenter recognita, & ex voto Autoris approbata, deinde etiam locupletata ſunt inſigniter; quo factum, ut de robore & veritate narrationum nemini jam dubitandi ſupereſſe cauſa videatur. Acceſſere & huic *Volumini*, præſtabili *Samuelis Mikovinii*, Geometræ excellentis, opera, Comitatuum ac urbium præcipuarum Geographicæ imagines, non ex ingenio, ut vulgo fit, confictæ, ſed ad leges Geometricas Aſtronomicasque delineatæ, veras locorum longitudines latitudinesque deſignantes. Quarum rationem ut plenius cognoſcerent Lectores, utque certius conſtaret de omni illa arte, qua in Mappis ſuis conſignandis uti ſolet Vir egregius, novum huic *Tomo de Mappis ſuis, Notitiæ Hungariæ*

Beli-

Belianæ partim insertis jam, partim inserendis postea, *Monitum* præmisit, quo urbium *Posonii*, *Schemnitzii*, *Budæ*, & *Pesti*, quarum Mappæ hunc & priores *Tomos* ornant, latitudines ac longitudines ex geometricis astronomicisque observationibus deductæ exhibentur, atque sic de Mappis ceteris omnibus, in quibus illhuc totus est delineandis, sperare bona omnia jubemur. Secuturi jam ducem *Belium*, cujus vel sola ratio scribendi, ad veterum prorsus elegantiam composita, ad legendum Opus universum allicere facile illarum rerum curiosos potest, primum, quid rerum memorabilium in hoc *Volumine* quærendum sit Lectori, & quo ordine in his tradendis usus sit perdoctus Autor, generatim dicemus, tum, ne nullum Lector ex his nostris fructum referat, historiæ *Budensis*, qua nulla nobis esse in Opere hoc *Beliano* illustrior videtur, momenta potiora delibabimus. Mos est doctissimo Autori, narrationum suarum *Partes* duas, *generalem* alteram, alteram *specialem*, facere. Eundem ordinem in describendis tribus, quos diximus, Comitatibus tenuit, *Partis generalis Membro physico*, quicquid pertinet ad *situm*, *naturam*, atque *opportunitates* horum *Comitatuum*, explicans, *politico* vero *incolas* atque *magistratus* describens. Et quidem, cum naturam locorum contemplatur, montes illius regionis, *Naszal*, *Pilisienses*, *Pestiensis*, *S. Gerhardi*, *Joanneus*, *Uröm*, *Pilis*, cœnobio Paulinorum S. Crucis memorabilis, & *Abrahami*, porro sylvæ *Monyorodienses*, fluvii item, *Danubius*, Insulas *S. Andreæ*, & *leporariam*, seu *S. Margaritæ*, formans, porro *Vajas*, *Tibiscus*, *Zagyva*, *Galga*, *Rakos*, & *Tapju*, vinorum etiam genera, res frumentaria & pecuaria, venationes, aucupia, piscatura, & metalla, copiosam ei disserendi materiam præbuerunt. Postea ad *incolas* & *magistratus* progressus, Hungarorum, Germanorum, Slavorum, Dalmatarum, & Thracum, aut olim fuisse in his terris, aut nunc esse, confluxum, imperii vero summam superioribus Seculis penes Reges fuisse, postea ad supremos Comites translatam, docet, quorum primum *Franciscum Veseleni*, alterum *Paulum Eszterhazy*, tertium *Nicolaum Palffy*, quartum denique, hoc ipso tempore illis honoribus effulgentem, *Franciscum Stephanum*, magnum Ducem Etruriæ, nominat, ipsum

 simul

ſimul Diploma illud, quo ſummo huic Principi ab Auguſtiſſimo Imperatore collata eſt hæc dignitas, legendum nobis exhibens. Longe plenior eſt & bonarum rerum ditior *Pars ſpecialis*, *Proceſſus* illorum Comitatuum *quatuor*, *Vaczienſem*, *Ketskemetenſem*, *Piliſienſem*, & *Solthenſem*, totidem *Membris* complectens. De *Vaczienſi tribus Sectionibus* actum eſt; quarum prior *liberæ & regiæ urbi Peſtienſi*, *Proceſſus* hujus unicæ, altera *Epiſcopali oppido Vaczia*, tertia hujus *Proceſſus Vicis*, dicata eſt. *Peſtienſis* hiſtoriæ memorabiles ſunt tres periodi, *Hungarica*, *Barbarica*, & *Auſtriaca*, *poſt urbem a barbaris vindicatam.* Sub *Hungaris* calamitoſiſſimum agro *Peſtienſi* fuit bellum illud ſervile, a *Georgio Szekely* conflatum, ſed a *Joanne Bornemiſza* poſtea reſtinctum, cujus & originem, & triſtiſſimos ſucceſſus,
Pag. 52 ſeq. non ineleganter deſcripſit *Taurinus*, illorum temporum Poeta tolerabilis, cujus Carmen integrum hic legitur. Periodus *Barbarica* ab A. 1526 ad 1684 procedit, quo *Peſtienſem* urbem tyrannidi Turcarum virtus Hungarorum eripuit, nunquam, ſi Deo ita viſum fuerit, in diras illas & crudeles manus redituram. *Auſtriacorum* & omni tempore, & tum maxime, experta eſt molle placidumque imperium, cum a *Leopoldo* Impera-
89-95. tore privilegia ei prorſus eximia conceſſa ſunt Diplomate amplo & clementiæ pleniſſimo, quod, ut perpetua munificentiæ Imperatoriæ memoria exſtaret, ab Opere ſuo abeſſe noluit illuſtris Autor. *Vaczia*, nobile oppidum, a *Vaczio*, eremita, nomen ſortitum, ab ultimis inde temporibus ad noſtram usque
114-130. ætatem Epiſcopos habuit, quorum ſeriem, nulli ad hunc diem cognitam, dici vix poteſt, quam feliciter, Annalium ac Diplomatum ope, contexere induſtria *Beliana* ſciverit. Sed obſcura eſt Academici Gymnaſii, olim hic florentiſſimi, memoria. Varia urbis fortuna fuit, nunc a Turcis captæ, nunc ab Auſtriacis, quibus & nunc paret, recuperatæ. Vicos *Proceſſus Vaczienſis* Autor tres & quinquaginta nominat, nec ſine cura deſcribit. *Proceſſus Ketskemetenſis*, adhuc ſatis inculti & ſabuloſi, oppida tria ſunt, eademque parum illuſtria, *Ketskemetum*, *Körös*, & *Czigledum*, vici ſeptem & viginti. *Proceſſus Piliſienſis* hiſtoria, rerum memorabilium ditiſſima, & maxi-

maxi

mam *Tomi* hujus partem complens, in *Sectiones quinque* abiit; primam *de Buda, libera regiaque urbe & metropoli Hungariæ*, alteram *de Processus Pilisiensis oppidis*, tertiam *de arcibus*, quartam *de vicis*, quintam denique *de dominatione nuper Principis Eugenii*. *Buda* cum alia *vetus* sit, alia *nova*, suum duxit Autor, de singulis singulatim exponere. Sed copiosum inprimis dicendi apparatum *Buda nova* obtulit, quam ab A. 1267 ad 1524 sub Hungarorum, ab A. 1524 ad 1686 sub Barbarorum, ab A. 1686 ad præsentem usque ætatem sub Austriacorum, imperio fuisse constat. *Tribus* igitur his *Periodis*, tanquam tot *Capitibus*, omnem illam rerum Budensium varietatem amplitudinemque distinxit Noster. Inter Arces *Pilisiensis Processus*, præter *Budensem*, numerantur *Vissegradum*, *Sambek*, &, quarum saltem rudera supersunt, *Solmar*, *Török-Balint*, & *Taby*. Oppida sunt *S. Andreæ*, & *Ratzkevy*; vici viginti quatuor. Ad *Dominationem Principis Eugenii* pertinent *Promontorium Eugenianum*, & *Insula Csepel*, cujus vici sunt novem, oppidum vero non nisi unum, *Ratzkeve*. Superest *Processus Solthensis*, ita dictus ab oppido seu castro *Solth*, frequentissimis Danubii eluvionibus expositus, & pauperrimos ob id colonos alens. Præcipua hujus pars est *urbs* & *Archiepiscopatus Colocsensis*, cujus antiquitatem Noster, incrementa, ac vicissitudines, diligentissime exposuit, id inprimis curæ habens, ut *Archiepiscopos Colocsenses*, quorum hic octo & quadraginta ab oblivione vindicantur, nomina & res gestas ex probatissimis Diplomatum monumentis erueret. Oppida præterea hic *Processus* duo, *Solth*, & *Pathay*, vicos vero septem & viginti, numerat. Habes tanquam in tabula illarum rerum omnium, quas *tertius* hic *Tomus* complectitur, ipsam faciem delineatam; quam mirifice ornant *Naldi Naldii*, Florentini, *Epistola de Laudibus Augustæ Bibliothecæ*, ejusdemque de argumento eodem *Libri quatuor*, versibus scripti, ad Serenissimum *Matthiam Corvinum*, Pannoniæ Regem, jam olim a *Petro Jænichio* in *Meletematum Thorunensium Tomo III* ex Codice Thoruniensi editi, jam vero partim ob elegantiam suam minime vulgarem, partim ad id, ut, quæ in historia Budensi de lau-

laudibus *Corvini* plenius commemoraverat Autor noster, lucem hinc acciperent, hic repetiti, *& ad calcem hujus *Voluminis* adjecti. Quibus, ne ad commendationem & ornatum quidquam deesset, accessit in ære insculptum *Corvini* monumentum honorarium, cum ipsa ejus imagine, in quam Vindobonæ *Belius* forte fortuna inciderat, eleganti penicillo adumbrata, &, si conjecturæ locus, prorsus ad vivum expressa. Claudit hoc *Volumen Francisci Mariæ Cæsaris*, Poetæ Cæsarei, vel grandi illo & magnifico in *Eugenium* Heroa Carmine dudum inter Poetas principes insignem locum promeriti, *ad Cl. Belii Hungariam novam Elegia*, & satis per se ipsa amabilis, & ob id inprimis, quod veras Operis *Beliani* laudes canat, plausu omnium dignissima. Jam, memores promissi nostri, paulo ante dati, & ipsa rei dignitate invitati, subsistemus paululum in *Budensis* urbis, tam veteris, quam novæ, historia, & ex immenso illo velut mari guttulas nonnullas delibabimus.

Pag. 165. *Budam veterem* Romanorum olim *Aquincum* fuisse, sententia est *Ortelii & Cellarii*,

166. a quibus dissentit Noster. Eidem origo vocis magis a Germanico *Bad*, ob insignem thermarum in illa regione frequentiam, quam a *Budinis*, Scytharum populis, aut *Buda*,

168. fratre *Attilæ*, repetenda videtur. Germanis vero urbem hanc *Offen* dictam ab *Ova*, tempore *Henrici III* Hungariæ imperante, *Sal. Schweigerus* in *Itinerario*, plerique a fornacibus, ad calcem exurendam constructis, putant. Exstincto *Attila*, varia Hunnorum, postea & Avarum, prælia Budæ veteri interitum pararunt, ut ejus ab illo tempore vix nomen sit auditum; donec avitos agros, & in his ipsam Budam, Hungari recuperarent, quo-

179. rum Rex *Stephanus* circa annum 1022 huic urbi sedis regiæ honorem restituit, quem, etsi non satis constet, an sub posteris Regibus constanter sustinuerit, illud tamen constat, omnibus, quicunque successerunt, summopere adamatam, maxime vero *Belæ IV*, cujus pater *Andreas*, Hierosolymitanus, primus Dominicanorum Ordini liberrima hic esse sacra jussit. Desiit postea

184. memorabile esse nomen Budæ veteris, misere vastatæ a Barbaris, jamque pristini splendoris vix vestigia servantis. *Leopoldi M.* liberalitate tenue oppidulum genti *Zichiorum* cessit, quos & hoc

hoc ipſo tempore dominos agnoſcit. Spectanti hanc urbem *Belio* variæ Romanorum veterum reliquiæ obvenerunt, tumbæ inprimis duæ, cum inſcriptionibus, quas hic adduxit. Situm Pag. 187.
urbis, & ipſam loci conditionem, noſſe cupienti pleniſſime ſatisfaciet Autor noſter, horum non narrator tantum accuratus, ſed exornator etiam facundus, &, ut paucis, quæ vera ſunt, eloquamur, inimitabilis. Quam perdidit *Buda vetus*, hoc illuſtrior ad *Budam novam* gloria tranſiit; nec ullam Hungariæ urbem aut caſtellum alit, unde firmiora olim adverſus Barbarorum invaſiones ipſi præſidia venerint. Hujus hiſtoriam negligentius, quam par fuerat, perſecuti ſunt Scriptores Hungarici, etiam artis ſuæ peritiſſimi, quippe Budam novam cum vetere confundentes, & in errores hinc prolapſi, quos, ſi Diplomatum rationem habuiſſent, facile evitare potuiſſent. Prima urbis initia Præpoſito Budæ veteris debentur, qui, regnante *Belo IV*, in 190.
monte Peſtienſi caſtellum poſuit. Ipſe *Bela* deinde urbem addidit, arce & mœnibus inſtructum. Varia tunc urbis nomina fuere, nunc *Caſtrum Budenſe*, nunc *novus mons Peſtienſis*, 191.
nunc *arx Peſtienſis*, dictæ. Sub *Ladislao Cumano*, *Belæ* IV ex *Stephano V* nepote, A. 1279 hic Concilium nationale ce- 192 ſeq.
lebravit *Philippus Firmianus*, ſedis Apoſtolicæ Legatus, ad id inſtitutum, ut a turpi fœminarum commercio abſtraheretur *Ladislaus*, ſed qui, irritatus cenſura ſeveriori, Legatum in vincula conjecit. Succeſſit huic *Andreas III*, A. 1301 defunctus, & 195.
Budæ ſepultus. Poſt hujus mortem Budenſes, non obtemperantes monitis Pontificis, ſummam imperii *Carolo* potius, quam *Wenceslao*, deferendam ſuadentis, ſacro fulmine percuſſi ſunt. Sed illi, parum hinc exterriti, fulmen fulmini oppoſuerunt, 196.
ipſum Pontificem & addictos ei Antiſtites aqua & igni interdicentes. Depulſo *Wenceslao*, & poſt eum *Ottone* Bavaro, rerum potitus *Carolus*, ſedem regiam, veteris injuriæ memor, Buda Wiſſigradum transtulit, in eo tamen erga Budam benefi- 198.
cus, quod jura nundinarum ei conceſſit. At rediit poſtea ad ſedis regiæ dignitatem Buda ſub *Ludovico I*, qui novo eam caſtro munivit, & A. 1379 Polonis hic Comitia indixit. Hoc A. 1382 exſtincto, cædes *Caroli Parvi*, ab *Eliſabetha* & 199.
Ma-

Pag. 200. *Maria*, Reginis, manu *Nicolai de Gara*, Palatini, & *Blasii Forgach*, patrata, æternam huic urbi maculam inussit. Inde ad *Sigismundum* imperium devenit, qui A. 1388 Academiam hic erexit, & emporium constituit, postea, cum reliquis Ungariæ civitatibus molestum nimis esset, A. 1405 abrogatum. Sub *Alberto* magna Budæ ab Hungaris strages Alemannorum, ob
204. crudelius interemtum *Joannem Eüthves*, civium suorum principem, edita. Reliquit *Albertus* posthumum *Ladislaum*, cui cum Ordines Imperii præferrent *Uladislaum*, Polonum, id ægre ferens *Thomas Szechy*, Comaronii præfectus, Budam magno exercitu oppugnavit, graviterque afflixit, donec, pace
206. cum matre posthumi, *Elisabetha*, A. 1443 inita, imperium *Uladislao* cederet. Quo a Turcis in memorabili illa ad Warnam
207 seq. clade interfecto, publico imperii Senatusconsulto *Joannes Corvinus* gubernator universæ Hungariæ nominatus est, qui publicos sæpe in urbe Budensi imperii conventus egit. Aliquo tempore post ad regiam dignitatem evectus anno ætatis tertio
211. decimo *Ladislaus Posthumus*, Budam, occiso *Ladislao Corvino*, *Joannis* filio, magno scelere fœdavit. Sed huic cædi vix annum
212. superstes, successorem habuit *Matthiam Corvinum*, *Ladislai*
214. fratrem, adhuc in vinculis detentum. Hic perpetuam sibi hac in urbe sedem fixit, contulitque ad augendum Budæ splendorem curas & cogitationes omnes. Ipsa etiam nuptiarum ejus cum *Beatrice* solennia magna hic cum pompa & apparatu vere regio sunt ce-
215-221. lebrata. Quæ fusius enarrantem *Belium* hoc majori cum voluptate legimus, quo plenior hinc rituum, quibus Hungari utuntur, matrimonialium peti notitia potest. Magnificentiæ studiosissimus cum *Beatrice* sua *Corvinus* fuit, lautitiasque peregrinas non invexit tantum in Hungariam, sed his etiam gentem uni-
222. versam, non prudenti satis, ut multi judicant, consilio, assuefecit. At Musas etiam in Hungariam invitavit, & ita coluit viros doctos, ut, si diutius vixisset, nullum sit dubium, quin Hungaria fuisset omnium scientiarum artiumque officina instructissima, & quoddam Apollinis sacrarium, futura. De Bibliotheca ejus, incomparabili urbis Budensis ornamento, nulli alii nec
225. numero, nec præstantia, librorum secunda, mira sunt, quæ illius æta-

ætatis Poetæ ſummi, & in his maxime *Naldus Naldius*, Florentinus, canunt. Hujus, a barbaris poſtea direptæ, & crudeliſſime habitæ, tenues reliquiæ in Bibliothecam Cæſaream, quæ Vindobonæ eſt, translatæ ſunt, & tanquam veneranda antiquitatis monumenta religioſe hic aſſervantur. Virtutibus ſummis admixtum id vitij habuit *Corvinus*, quod facile irritabilis, & iræ nimis fuerit præcipitis. Id docet Laconica ejus *ad Budenſes* Epiſtola, ab iratiſſimo ſcripta: Matthias, *Dei gratia Hungarorum Rex. Bonum mane, cives! Ad Regem omnes ſi non venietis, capita perdetis. Budæ. Rex.* Succeſſurus *Matthiæ*, ſi Pag. 228.
per fata licuiſſet, filius *Joannes* erat, ſed is, plurimorum ex 230.
Ordinibus ſuffragio deſtitutus, tandemque, regno diu affectato, ad Sarvizum ſuperatus, ceſſit imperium *Wladislao*, ſed adhuc ſibi timenti ab armis *Maximiliani* Imp. & *Alberti*, quorum conatus irritos fecere nova urbis Budenſis munimenta, a *Bathorio* & *Kiniſio* exſtructa. Comitia imperii *Wladislaus* in hac urbe bis indixit, primum A. 1492, ab imminenti Turcorum exercitu tutam Hungariam præſtiturus, iterum A. 1497, in pleno Ordinum conſeſſu nuptiis cum *Beatrice*, *Matthiæ* vidua, renuntiaturus, quarum ei certiſſimam olim ſpem fecerat. Eodem anno gravem plebs Budenſis, magno adverſus Judæos furore cor- 237.
repta, & in horum domos ac fortunas cœco impetu invadens, tumultum excitavit, capitali nonnullorum ſupplicio finitum. Spreta *Beatrice*, in matrimonium duxit *Wladislaus Annam*, 238.
Aquitanam, *Annæ* & *Ludovici* matrem, ſed exacto vix luſtro ad cœlites evocatam. Idem, peſtilentia A. 1510 per Hungariam graſſante, Buda in Bohemiam confugit; anno vero 1516 redux, ætatis ſexageſimo, vitam finivit. Sepulta eſt cum eo libertas Hungarorum, & urbis Budenſis felicitas, in diras propediem barbarorum manus venturæ. Filii enim, *Ludovici*, ætas in calamitoſiſſima illa tempora incidit, quæ atræ illi hiſtoriæ Budenſis periodo, ad tyrannidem Turcarum pertinenti, initia dederunt. Ipſo ad Mohatſium a Turcis victo & occiſo, Budam, quam vacuam fecerat fuga civium, *Solymannus* occupavit, &, tribus 262.
ſtatuis æneis, totidemque columnis, & aliquot ſtriati operis columnis, ſpoliatam, exuſſit. Recuperavit hanc A. 1526 novus

Pag. 263. Hungarorum Rex, *Joannes*, ſed expulſus anno ſequenti ab æmulo, *Ferdinando*, in Poloniam aufugit; unde *Hieronymum Laskyum* & *Grittum* Legatos ad *Solymannum* miſit, hunc ad arma denuo
266-286. Hungariæ inferenda, dejiciendumque imperio *Ferdinandum*, ſollicitaturos. Nec irritæ horum preces fuere, id facile a Turcis impetrantium, ut magno exercitu in Hungariam invaderent, & Budam, *Ferdinando* ereptam, A. 1529 *Joanni* reſtituerent.
287-290. Eminuit tunc inter Hungaros præ ceteris *Nadasdyi* Ducis virtus, diu arcem Budenſem defendentis fortiter, etſi ſucceſſu parum proſpero, ob perfidiam Germanorum, quos minæ hoſtium ad dedendam arcem juſtó maturius compulerant. Novam A. 1530 *Ferdinandus* expeditionem in Hungariam ſuſcepit,
293. miſſo ad expugnandam Budam *Rogendorffio*, ſed qui obſidionem urbis, diu non infeliciter tentatam, tandem, appropinquantis Turcorum exercitus metu, ſuſtulit. Inde ad pacis conſilia
297. ventum eſt, quam, a *Joanne* oblatam, non aſpernandam duxit *Ferdinandus*. Sed, ut Budam cederet æmulo, non adduci *Jo-*
303. *annes* potuit, qui urbem hanc, novis operibus munitam, & ſolennibus cum *Iſabella*, Polona, nuptiis, & filii *Joannis Sigismun-*
304. *di* natalibus nobilitatam, ad extremos uſque dies imperii ſe-
305 ſeq. dem habuit. Mortuo *Joanne*, Budam ſibi ex fœdere deberi, ratus *Ferdinandus*, nova urbem obſidione preſſit. Neceſſitate adducta *Iſabella*, *Joannis* vidua, exemplo mariti, *Solymanni* imploravit opem, qui, numeroſo exercitu Hungariam ingreſſus, Budam, obſidione *Ferdinandi*, non ſine magna hujus clade, liberatam, per fraudem in poteſtate ſua retinuit, non hanc redditurus unquam, etſi, quamprimum ad juſtam ætatem ado-
320. leverit *Joannes Sigismundus*, exituras urbe copias, ſolenni jurisjurandi formula receperat. Res omnis per dolos geſta, quibus deluſam ſe ſero nimis ſentiens *Iſabella*, A. 1541 Budam Turcis, filium tenellum fatis, permiſit. Nec feliciorem ſucceſſum habuit expeditio *Ferdinandi*, ad eripiendam Turcis Budam A. 1542 magno exercitu contendentis. Lentis enim Germanorum conſiliis ſpatium colligendi vires datum
323. eſt Turcis, qui adventantem poſt longas moras Germanorum exercitum ita exceperunt, & omnem illi recuperandæ unquam urbis

urbis ſpem abjicerent. Ab eo tempore nulla Budam per annos ſexaginta ſub imperio Turcarum fortuna afflixit. Præfecti ei impoſiti ſunt a Turcis & fortiſſimi, & ſagaciſſimi, in quibus memorabile nomen habuerunt *Balis Epirota*, *Mahometes Jabiogles*, & *Halys Eunuchus*, cujus cum res geſtas deſcribit Autor, omnem ſimul illuſtriſſimæ legationis, quam Budæ obiit *Busbeckius*, hiſtoriam & eleganter & copioſe exponit. Pag. 326.
Halyn ſecuti ſunt præfecti Budenſes *Toigenes*, *Caſſonus*, *Rusthanes*, *Arslanes*, *Muſtapha*, *Regephus*, *Ferhates*, quo res Budenſes moderante, nova eſt A. 1579 a *Rudolpho* Imp. legatio Conſtantinopolin miſſa, porro *Haſanes* & *Sulymanus*, cujus præfectura memorabilis fuit obſidione Budenſi, A. 1598 fruſtra a *Matthia*, Archiduce Auſtriæ, tentata. Capto & Viennam abducto *Sulymano* ſucceſſit *Murates*, cui prælium cum Cæſareis ad Albam Græcam funeſtum fuit. Quis deinde, novo A. 1702 exercitu Auſtriacorum, duce *Ruſſwurmio*, Budam obſidente, urbem hanc rexerit, non ſatis conſtat. Si nomine præfecti caruit, certe cum poteſtate fuit *Haſanes*, quem ad ſuſtinendam obſidionem neceſſarios Budæ feciſſe apparatus legimus. Eadem obſidione ab Auſtriacis ſoluta, nec poſtea felicius redintegrata, Budæ A. 1603 *Murates II* præfuit, quem ſub anni ſubſequentis initium *Halys* excepit. Triſtiſſima fuerunt hæc tempora Budenſi urbi, continuis Auſtriacorum armis infeſtatæ, jamque in turpiſſimo ſqualore jacenti, & fœtidum adſpectum ſui præbenti. Auxit hæc mala arcis, A. 1606 fulmine tactæ, conflagratio, cum magna hominum ſtrage conjuncta. Inde pacatiores ſub *Szejdi Ahmete*, *Iſmaele*, &, qui hunc ſubſecuti ſunt, Præfectis, res Budenſes fuerunt, ad annum uſque 1684, quo de Buda manibus Barbarorum extorquenda ſerio cogitare *Leopoldus M.*, ille Turcarum terror, cœpit. Miſit enim ad occupandam eam inſtructiſſimum, duce Lotharingiæ Principe, exercitum, cujus inſignis in expeditione illa virtus apparuit. Fortuna tamen bonos conatus deſtituit, &, re primum feliciter ſatis geſta, poſtea innumeris difficultatibus objectis, & fruſtra tentato mœnium aſſultu, obſidionem ſolvendam duxit Lotharingus. Auſpicatior orbi Chriſtiano annus 1686 fuit,

327-332.
333.
334.
337 ſeq.
344.
350.
354.
357 ſeq.
372.

 quo

Pag. 387-437. quo Buda tandem, ejusdem Principis Lotharingi, militis etiam Bavari & Brandenburgici, virtute, jugum Turcicum depoſuit, in poteſtatem redacta *Leopoldi M.*, hæreditate eam ad ſeros poſteros traducturi. Cujus rei initia, ſucceſſus, & eventus, partim a Cel. *Belio* diligentiſſime ſunt deſcripti, partim, quod noſtra propius attingant tempora, nec aliis Scriptoribus indicta abierint, pauciſſimis Lectorum ignorantur. Hæc igitur feliciſſima exordia ſunt *periodi Auſtriacæ*, quam Budenſi urbi benigniſſima fata conceſſerunt, nullis ſeculorum terminis finiendam. Sed parum aberat, quin Budæ hanc felicitatem in ipſis initiis opprimeret nefaria proditio hominis perfidi, *Conradi Finckii*, domini *Finckenſteinii*, gente Boruſſi, qui de tradenda in ma-
433. nus Turcarum urbe clandeſtina ceperat conſilia, ſed mature detecta, & autori ſuo exitioſa. Inde de novis munimentis cogitatum eſt, quorum fundamenta jecit *Regalius* Comes, in obſidione Albæ Græcæ A. 1717 occiſus. Fatalis inprimis Bu-
439. dæ fuit annus 1723, quo atrox incendium urbem fere totam abſumſit. Sed ei reparandæ multum & civium induſtria, & Vindobonenſis aulæ munificentia, contulit. Nihil deinde ſingulare in hac urbe geſtum eſt, dulciſſimæ pacis otiis fruente, & lætioribus in dies incrementis ad nobiliſſimarum urbium glo-
441 ſeq. riam aſſurgente. Claudit hanc hiſtoriam Celeberrimus Autor jucunda ſitus, mœniorum, portarum, arcis, vicorum, aquæductuum, ædium ſacrarum, turrium, templorum, ædificiorum publicorum, curiæ, apothecarum militarium, ſuburbiorum, quæ ſunt *Hydropolis*, *Raſcianopolis*, & *Neapolis*, thermarum *S. Gerhardi*, civicarum, Raſcianarum, Xenodochialium, & Cæſarearum, porro piſcinarum, vinearum, magiſtratuum, mercaturæ, militaris præſidii, & privilegiorum Budenſium, deſcriptione, quam ut ex ipſo Opere hoc petat, facile allicere Lectorem *Beliani* oris ſuavitas ambroſia, melleumque orationis flumen, poteſt.

ΜΟΥΣΑΙΟΥ &c.
h. e.

MUSÆI GRAMMATICI DE HERONE & Leandro Carmen, cum Scholiis Græcis, nunc primum

e Co-

e Codice MSto Bibliothecæ Bodlejanæ editis, e recensione MATTHIÆ ROEVERI, qui Varias Lectiones & Notas adjecit.

Lugduni Bat. apud Theod. Haak, 1737, 8 maj.

Plag. 11.

Φύονται καὶ νέοις ἐν ἀνδράσι πολιαὶ θαμὰ, καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας ἐοικότα χρόνον; ut ait *Pindarus*. *Matthias Rœverus*, Delfensis, septendecim annos natus, jam paratum prelo habuit *Musæum*, de quo dicere instituimus. De hujus Poetæ ætate etsi non satis constat; tamen ex Grammatici titulo, & ex ipso Carmine, judicare licet, eum vixisse imperio Romano ad interitum vergente; inprimis si eum cum *Colutho, Nymphiodoro, Nonno*, contuleris, quo tamen posterior est *Musæus*, quando integros interdum versiculos e *Dionysiacis* transscripsit. Quid ei opis tulerit Cl. *Rœverus*, sic intellige. Primo, hic comparent primum nunc Scholia Græca in *Musæum*, quæ ex Codice MSto *Bodlejanæ* olim descripsit *Jac. Gronovius*, & cum *Rœvero* communicavit *Abr. Gronovius*, qui ea etiam restituit & emendavit. Ab eodem accepit Varias Lectiones trium Codicum MStorum ejusdem Bibliothecæ, etsi non antiquorum adeo, tamen optimorum. Cel. *Dorvillius* autem præbuit Var. Lectiones Codicis Vaticani, Sec. XI scripti, item Codicis Veneti, jussu *Bessarionis* Cardinalis scripti, editionem porro Juntinam anni 1540, & quasdam animadversiones suas. Accessit Collatio Codicis Regii, e *Jac. Rondelli* notis excerpta, & variantes, a *Casp. Barthio* e membranis *Palatinis* excerptæ ad *v. 76* usque. Vid. *Adverſ. VII, 21.* Quod ad editiones *Musæi* attinet, primam editionem *Fabricius* ὁ μακαρίτης scribit prodiisse A. 1485, sed id, ut *Rœvero* videtur, typothetarum errore, vel memoriæ lapsu, sic expressum est. Nam in *Catalogo Franciano* memoratur quidem hic titulus: *Homeri Batrachomyomachia, Venet. MCCCCLXXXVI, item variorum excerptæ Sententiæ, & Musæi Poemation, Græce, literis quadratis.* Sed annus hic priori Opusculo proprius est; *Musæi* autem editio literis quadratis sine die & consule, ut ajunt, prodiit. Sunt autem duæ *Musæi* editiones sine anno; unde difficile est, quæ prima sit, dicere. Altera est *Aldi Manuti*, Venetiis Gr. & Lat. in 4 edita, cujus Var. Lectiones

a *Maittairio Raeverus* accepit: altera in eadem forma cum Gnomis monostichis e diversis Poetis. Huic nec annus, nec locus, nec typographi nomen, adjectum est; sed est ex quinque illis Graecis libris, qui literis quadratis excusi sunt; ex quo probabile fit, hanc *Musaei* editionem cura *Jo. Lascaris* prodiisse. Quae autem ex his duabus sit antiquior, sic colliges. Ex *Aldi* epistola, praemissa *Musaeo*, intelligitur, *Musaeum* ante *Aristotelem* ab eo editum esse. *Aristotelis* autem *Tomus I* prodiit A. 1495. Ejusdem anni 3 id. Aug. prodiit *Anthologia* literis quadratis. Huic autem praemissa epistola *Jo. Lascaris* docet, hanc reliquis quatuor libellis, quadrata scriptura expressis, priorem esse. Ex quo verisimile fit, *Aldinam* esse primam, illam autem, literis quadratis, secundam. Ceterum haec ex optimo Codice expressa est, & *Aldinae* praestat, & omnibus aliis, nisi quae eam secutae sunt. Eam non commemoravit *Henr. Stephanus*, sed primus tamen plurimas lectiones ex ea expressit & recepit; in quo tamen paulo negligentior fuisse videtur, propterea, quod saepe meliores lectiones ejus in marginem rejecit: quanquam ipse hoc sibi fatetur in *Corpore Poetarum Heroicarum* interdum accidisse. Post hunc autem nemo ea videtur usus esse, a nemine saltem memoratur. *Aldina* secunda a prima raro discedit, & A. 1517 Venetiis prodiit. Hanc secuta est A. 1517 Juntina prima, per Haeredes *Phil. Juntae* ad *Aldinam* expressa. Accuratius *Musaeum* dedit *Jo. Soter* Coloniae A. 1526, in forma minori, qui in nonnullis ab *Aldina* & *Juntina* discessit, & in locis quibusdam secundam consuluisse videtur; accessit paraphrasis parum elegans *Guilielmi de Mara*. A. 1538 Parisiis recusus est satis accurate a *Christiano Wechelo*, cum versione Latina ad verbum, & paraphrasi *Guil. de Mara*, in quam inutilem Commentarium scripsit *Jo. Vatellus*. Hanc excepit *Juntina* altera A. 1540, in qua nil novi. Editio *Hervagiana* A. 1544 inter *Aesopi Fabulas* & alia Opuscula nota est, saepe repetita, & non adspernanda. *Jac. Lectius* autem, qui inter *Poetas Heroicos Musaeum* edidit, κατὰ πόδα *Stephanum* secutus est. Neque ab eo adeo distat editio *Andr. Papii*, Gandensis, quae cum ejus notis prodiit A. 1575 cum *Dionysio Alexandrino*. Hic aliquando ab omnibus recedit, sed plerum-

plerumque in deteriora. Neque tamen ab ingenio *Papii* has mutationes ortas putat *Ræverus*, ſed a MSto Codice, quia exemplar habuiſſe videtur, quod *Canterus* cum ſuo contulerat. Sequuntur deinde notiſſimæ *Barthii* & *Parei* editiones, & *Davidis Whitfordi*, Lond. 1659. In *Jac. Rondelli* editione Pariſ. 1678 multa exſtant a *Barthio* & *Pareo* occupata, quorum tamen neutrum legiſſe videtur. Ab eo tempore nulla memorabilis editio prodiit usque ad A. 1721, quo Cl. *Kromaieri Muſæus* Halæ Magdeburgicæ prodiit. Vidimus etiam editionem ejusdem *Kromaieri* Lipſ. 1725 apud *M. G. Weidmannum*, in qua tamen nihil novi eſt; ut titulus tantum mutatus videatur. Bene etiam de *Muſæo* meruit editor *Poetarum Græc. minorum*, Lond. 1728. Atque harum editionum varietas in editione *Ræveriana* exhibetur. Nam Pariſienſem A. 1549, Cantabrigienſem *Wintertoni*, inter *Poetas minores* A. 1661 non vidit *Ræverus*: neque conſequi potuit apographum Scholiorum MStorum *Marci Muſuri*, quæ in Bibliotheca regia Pariſienſi ſervantur. Reliquas editiones, *Criſpini*, & alias, mire depravatas, conſulere ſupervacuum duxit. Acceſſere tres interpretationes Latinæ poeticæ *Andr. Papii*, *Q. Septimii Florentis Chriſtiani*, & *Davidis Whitfordi*. Jam, quod ad Scholia Græca attinet, iis facile poteramus carere, quod in iis nil præter pueriles verborum interpretationes occurrunt, quales quivis tiro ſcribere poſſit, ſed in Græcis hæc facilius feruntur, quam in Latinis. Forte aliquando etiam, poſt literarum interitum, eodem modo in lucem revocabuntur repertæ ad modum *Minellii* notæ & ſimiles. Notarum autem *Ræverianarum* maxima pars in commemoranda varietate lectionis verſatur, ex qua interdum receptæ lectiones confirmantur, interdum etiam novæ proponuntur. Animadverſiones, quæ ad illuſtrationem contextus pertinent, non multæ ſunt. Quid enim dicas, ubi & pauca dici poſſunt, &, quæ poſſunt dici, & aliquo modo in notas cogi, a ſuperioribus editoribus omnia jam corraſa & congeſta ſunt? Age vero, notulas quasdam, cum *Dorvillianas*, tum *Ræverianas*, commemoremus. V. 81, ἡμετέρην παράκοιτιν ἔχων ἐνὶ δώμασιν Ἡρώ, pro ἡμετέρην Cel. *Dorvillius* conjicit legendum: ἡμετέροις, ut ad δώμασιν referatur: quod eſt profecto ad rationem linguæ

linguæ Græcæ & ſenſum commodius. In *v.* 138, 139, *Alexander Pope*, princeps Poetarum Britannorum, ad *Odyſſ. Lib. VI p.* 70, ubi hunc locum cum *Homeri* loco comparat, ταυτολογίαν reprehendit: ὀλβίη ἡ τέκε μήτηρ, γαστὴρ ἡ σ' ἐλόχευσε μακαρτάτη. Sed non aſſentitur plane *Dorvillius*. Solenne enim optimis Scriptoribus, per partes aliquid laudare & vituperare, licet de re univerſa jam verba fecerint. Sed eſto ταυτολόγον; non erit propterea vitioſum. Apud Poetas enim & Oratores ταυτολογίαι ſunt pulcherrimæ. V. 178, ξεῖνος ἐὼν καὶ ἄπιστος. Sudarunt interpretes in verbo ἄπιστος, quod non intelligerent, quare ἄπιστον *Hero Leandrum* incognitum vocet, & interpretatione commoda locum juvare ſtuduerunt. Sed jam *Voetius* monuerat, eſſe legendum ἄπυστος, ut *Andr. Papius* legebat, & *Lectius Stephanus*que in margine repræſentarunt. Repoſuit hanc vocem ex editione ſecunda *Ræverus.* Ἄπυστος eſt *ignotus. Heſych. Etym. M.* & *Schol.* ad *Homer. Odyſſ. V*, 242, interpretantur ἀνήκουστος. Atque hanc lectionem probavit etiam Cel. *Dorvillius*. Nam, etſi omnes peregrini ἄπιστοι dicantur, quod iis fides non facile habeatur, durum tamen ἄπιστον hic eſſe. *Æneam* fuiſſe ξεῖνον ἀλήτην, ſed non ἄπυστον, ideoque facile ei fidem habitam; hic contra. Locus obſcurus eſt *v.* 298: ἤδη νῆας μέλαιναν ἀπέκλασε διχθάδι χέρσῳ &c. Lucem ei affundit Cel. *Dorvillius*, legendo: ἀπέλκυσε, *ſubduxit.* Vid. *Thucyd. VIII*, 12, *Harpocr.* in νεωρία. Hanc emendationem juvat Lectionum varietas *Ræveriana.* Nam Codex Vaticanus, Editio ſecunda, *Stephanus* & *Lectius* in margine, repræſentant: ἀπέκλυσε. Venetus autem & Regius: ἐπέκλυσε. V. 325: ποδῶν δὲ οἱ ἄκλασε ὁρμή. *Dorvillius* mavult: ἀρμή. Præcedit enim v. 324 ἑρμῆ. Nam, quod *v.* 309, 310, ἀῆται repetitur, ibi elegantiam aliquam habet, hic nullam. Vid. *Heſych.* in ἀρμή, *Rhodomannus* ad *Calabr. XI*, 361, &c. Probat hanc conjecturam *Ræverus*, qui ante conjecerat ἀλκή. Sic permutantur ὀρχὴ & ἀρχὴ apud *Athenæum.* Vid. *Canterus de rat. emend. Gr. Scr. Cap.* 1. Liceatne de uno loco *Muſæi* tria verba adjicere? Non videntur nobis interpretes cepiſſe v. 255: αὐτὸς ἔην ἐρέτης, αὐτόστολος, αὐτόματος νηῦς. Hæſerunt in αὐτόστολος. *Papius* omiſit in verſione, nec *Whitfordus* expreſſit. In vulgata

gata versione est: *ipse classis*, quod *Kromaierus* & *Ræverus* retinuerunt, cum sit absurdum. Id in *Kromaiero* hoc magis miramur, qui in notis optime hunc versum dicit esse redditum a *Q. Fl. Sept. Christiano*:

Ipse suus remex, vector suus, *& sua cymba.*

Nempe στόλος, ut Scholiastes *Apollonii* tradit, dicitur etiam de eo, quod nave vehitur, inprimisque de hominibus, qui trajiciunt, tanquam exercitu. Vid. *Stephanus* in στόλος. Sed *Christianus* fortasse non hoc sensu dixit: *vector suus*, sed potius illo altero, cum *vector* dicitur is, qui Græce πορθμεὺς vocatur, quemadmodum & *eques vector* dicitur & *equus*. Itaque hujus ambiguitatis vitandæ causa sic vertendum putamus:

Ipse erat remex, ipse vehebatur, *ipse erat navis.*

Si *vector* est πορθμεὺς, non differt *h. l.* a remige. Si αὐτόστολος reddas, *ipse erat classis*, primo absurdum, quia una navis classem non efficit; deinde, si pro *navi* στόλος diceretur, non differret αὐτόστολος ab altero νῆυς.

CRITICA VANNUS IN INANES JO. CORNELII PAVONIS paleas, cum Epilogo & Indicibus necessariis.

Amstelodami, apud Janssonio-Waesbergios, 1737, 8.
Alph. 1 plag. 21.

Hominem sui amantissimum ex ejus libris cognovimus, *Jo. Cornelium Paw*, Canonicum Trajectinum, &, si felicitas est in re amatoria, sine rivali amare, longe felicissimum. Nihilo minus, ut est suspicionis plenus & timoris amor, doctissimum quemque ita odit, ut eos omnes rivales putare videatur. Itaque nullam facile occasionem, doctos homines omni contumeliarum genere afficiendi, prætermisit. In nullum tamen gravius coortus est, quam in *Jo. Phil. Dorvillium*, inter præcipua eruditi Belgii decora suo merito collocandum. Quod qui non ex ipsis *Cornelii* scriptis cognoverunt, vel ex hac *Vanno* intelligere poterunt. Nam, cum inter omnes de summa *Dorvillii* humanitate & facilitate constet, nemini potest esse dubium,

quin insignis & intolerabilis acerbitas fuerit, quæ eum commoverit ita, ut præter consuetudinem suam in hominem inveheretur. Quo facilius hanc Viri doctissimi vehementiam ceteris ejus meritis & spectatæ humanitati condonabunt, qui hoc totum scribendi genus ab elegantia seculi nostri abhorrere putant, atque ita existimabunt, hunc libellum non ad ulciscendas injurias, sed ad repellendos impudentis hominis impetus, & cum a se, tum a ceteris doctis hominibus, avertendos, comparatum esse. Quodsi *Cicero* sibi veniam dandam existimavit, cum eum indignitas hominum & injuriæ dolor præter consuetudinem suam gloriosum fecisset, *Phil. XIV*, 5, eodem jure uti *Dorvillium* sinemus. Forte erunt etiam, qui existimabunt, qui *Bentlejum* ausus sit *ceu scelestum Mastigiam devovere*, *Casaubonum* vero *stupidum*, *Fabricium* illum Hamburgensem *stolidum*, *Salmasium nasutum*, &c. appellare, in eum nihil satis durum dici posse. Affert etiam hoc commodi *Vannus Dorvilliana*, quod, cum ante nonnulli libros *J. C. de Paw* hac tantum de causa emerent, ut suis oculis credere possent, cum narrantibus de hominis ignorantia & superbia vix fidem haberent, nunc, hac *Vanno* comparata, istis *Cornelii* libris carere homines possint. Ceterum, si, quid sentiamus, dicendum, mallemus profecto inter eruditos, inprimis hos, qui humanitatem profitentur, ab hoc genere scribendi plane abstineri, & omnes hoc esse ingenio, hac natura, ut quasvis contumelias, etiam *Cornelianas*, hoc est, indignissimas & intolerabiles, devorare fortiter, & æquo animo contemnere, possent; quod qui aut facit, aut facere se posse certo scit, eum, approbante, credimus, & lubente *Dorvillio*, jubebimus primum lapide petere noxium *Dorvillii* caput. Celeberrimum autem *Dorvillium* rogamus, ut pro humanitate sua concedat primo, viris vere doctis, & probatæ cognitæque placabilitatis, dolere, his armis inter eruditos pugnari, & pugnandum esse, deinde vero etiam hominibus semidoctis, & suæ sibi imbecillitatis quidem consciis, sed videri tamen aliquid cupientibus, in hanc *Vannum*, quantum velint, declamare. Magna eorum res agitur. Nam, si hoc invalesceret, ut hujusmodi hominum etymologica, syntactica, & prosodica peccata in unum volumen collecta æternitate donarentur,

rentur, actum esset de eorum gloria, quam inter indoctos sibi, doctis hominibus omnibus conviciis lacerandis, & ipsius vultus nescio qua conformatione, compararunt. Sed, missis his, quæ in *J. C. de Paw* dicta sunt, aut ad eum pertinent, vere dicere possumus, incredibili raræ eruditionis copia esse hunc librum refertum, & optimæ frugis plenissimum, adeoque omnibus, qui humanitatis studiis se dediderunt, inprimisque artis criticæ studiosis, diligenter legendum. Neque solum, quod infiniti Autorum loci emendantur, explicantur, illustrantur, vindicantur, sed etiam, quod nobis videtur inprimis ex his locis, ubi difficilia Epigrammata a *Cornelii* corruptelis & perversis interpretationibus vindicantur, exemplum veri perfectique interpretis & emendatoris Autorum veterum, & inprimis Græcorum Poetarum, capi posse. Nulla hic audacia in emendando, nulla neque jejunitas & siccitas in interpretando & explicando, neque inanis eruditionis jactatio, & rerum notarum inutilis coacervatio, nulla Poetarum ex jejunis Dialecticorum præceptiunculis correctio, & quæ sunt alia vulgata in hoc genere vitia. Quæ cum cogitamus, facile auguramur, quanto munere sit Vir doctissimus eruditum orbem aucturus *Theocrito* & *Anthologia* edenda, in quibus expoliendis ornandisque eum laborare, ex hac etiam *Vanno* intelligimus. Sed, si nihil unquam post hanc *Vannum* ederet, neque *Observationibus miscellaneis* jam singularem eruditionem probasset, omnes tamen, qui in hoc genere judicare aliquid possunt, eum in principibus Criticis numerandum putarent. Age vero, ut Lectoribus, quæ diximus, probemus, accuratius de hoc libro disseremus. Et, quando fieri non potest, ut ex hujusmodi libris, quicquid utilium rerum continent, afferatur, (sunt enim multæ genere, numero autem pæne infinitæ,) hanc rationem tenebimus, ut primo brevem historiam controversiæ tradamus, & descriptionem libri commemoremus, deinde vero etiam illustres locos, quos eruditorum inprimis interesse putamus scire, indicemus, & tandem caput aliquod seligamus, cujus argumento accuratius exposito, de libri præstantia, & Autoris singulari eruditione, judicare liceat.

A. 1732, cum publicari apud Batavos cœpissent *Miscellanea critica*, a Britannis antea cœpta, & sequentis *Anni Mensibus Majo* & *Junio* prodendi essent aliquot *Manuelis Philæ de pisce Nautilo* versus, quos Britanni ineditos putarant, sed *J. C. Paw* biennio ante ediderat in sua *Philæ* editione, occasione ea usus est Cel. *Dorvillius*, hominem de miro ejus scribendi commentandique genere monendi, sed ita, ut non ultra gravem, hic illic tamen salibus adspersam, reprehensionem progrederetur; si forte ad mitius scribendi genus deducere hominem posset. Hoc facto, cum *J. C. Paw* A. 1734 *Quintum Calabrum* ederet, non modo non destitit ab illo virulento scribendi genere, sed, præter *Rhodomannum* & *Dausquejum*, ipsum *Dorvillium* arripuit, & omne in eum accensæ bilis virus evomuit, nulla tamen accusatione *Dorvilliana* diluta. Eandem rationem tenuit in *Aristæneto* ab se postea edito; in quo *Mercerum* aliosque indignissimis modis tractavit. In Præfatione autem, huic *Aristæneto* præmissa, iterum aggressus est *Dorvillium*, quem, puerili verbi lusu, *Orbilium Amsteladamensem* vocat. Agitur ibi de *Epigrammate* quodam *Sapphus*, quod Cl. *Wolfius* in *Sapphicis* suis cum Latina versione proposuit: ἐκ ἄρα σοί γε ἐλίζον' ἐπὶ &c. Hujus non modo versionis Autorem facit *Dorvillium*, sed etiam sic, ut ibi est, ab eo constitutum putat; & cum interpretationem, tum lectiones, vehementer exagitat. *Dorvillius*, re cognita, statim A. 1737 Exercitationi *de Inscriptionibus Deliacis* subjicit Epilogum, quo certissimis documentis se demonstraturum promittit, neque versionis illius se, neque Epistolæ cujusdam de ætate Codicis *Philæ*, Autorem esse. Huic *J. C. Paw* opponit eodem anno Præfationem, *Theophrasti* Characteribus præmissam, in qua eum & malæ fidei arguit, & omne odium *Dorvillianum* inde ortum esse confirmat, quod *Anacreontem Clerico* inscripsisset, in quem *Burmannus* & omnes *Burmanniani*, atque in his etiam *Dorvillius*, ita implacabile odium suscepisset, ut etiam Orationem funebrem *Jo. Jac. Wetstenii* in *Clericum*, jam fere descriptam typis, artibus suis *Dorvillius* suppressisset & strangulavisset. Cum vix hic *Theophrastus*

J. C.

J. C. Paw prodiisset, hanc *Vannum criticam* edidit Vir Celeberrimus, de cujus nunc ratione dicendum est.

Et, quoniam *Epigramma Sapphicum* & *Epistola de ætate MSti Philæ* controversiam & iras vel maxime exacerbarunt, & calumniis conviciisque occasionem dederunt, prima hujus libri *tria Capita* in diluendis circa Autorem Epistolæ & versionis criminibus & calumniis consumuntur, in iisque simul *Dorvillianæ* emendationes in Epigrammate Græco, & *Wolfianæ*, una cum versione *Wolfii*, defenduntur, & plurimi errores *J. C. Paw* exponuntur. *Caput 4* infantilia ejus circa prima linguæ Græcæ elementa continet; *Cap. 5* indicem doctissimorum virorum, quos indignis modis laceravit in libris suis, exhibet. *Cap. 6* de jactantia & philavtia ejus agit. *Cap. 7* de Epigrammatibus Græcis, quæ inscite & ridicule explicuit & emendavit, disserit, cujus *Capitis septem Sectiones* sunt. *Cap. 8* ejus Epistolam, *Vibio* præmissam, emendationes in *Menandrum* & *Philemonem*, & Diatriben *de Alea*, leviter perstringit. *Cap. 9* ignorantiam in universa re metrica exhibet. Reliqua tria *Capita* animadversiones ejus in *Hephæstionem*, *Anacreontem*, *Q. Calabrum*, *Aristænetum*, castigant. Epilogus Pag. 648 seq.
autem in confutanda Præfatione *Theophrasti*, & defendenda marmoris *Arundelliani* emendatione, in *Misc. Obs. Vol. II p. 350* proposita, versatur, quam ibidem perstrinxerat *J. C. Paw*.

Anthologiæ novam editionem moliri Virum Cel., supra diximus, eamque talem futuram ex hac *Vanno* nos augurari, qualem eam eruditissimi homines & esse velint, & sperent futuram. Ejus adeo judicii nostri rationes ut Lectoribus nostris probare possimus, præclare prospexit *Dorvillius*, cum aliquot difficilia & obscura Epigrammata non modo a corruptelis & absurdis Canonici Trajectini interpretationibus vindicavit, sed ea etiam e Codicibus, inprimis Palatino, qui nunc Romæ est, constituit, lectiones a se receptas ex regulis Critices confirmavit, & obscura neque jejune neque luxuriose explicavit; &, hoc ipsum dum agit, passim aliorum Epigrammatum lectiones veras e Codicibus MStis restituit. Primum locum tenet Epigramma ex *Anthologia* 139-167.
gia inedita *Meleagri* in *Antipatrum Sidonium*, in quo explicatur ratio, quare insigne sepulcri fuerit *gallus cum ramo palmæ &*

 talo.

talo. A ϛάλα, σύνθημά τι &c. In hac inſcriptione emendanda explicandaque infeliciter verſatus eſt in libello *de Alea luſu J. C. de Paw*. Cel. *Dorvillius* autem longe feliciſſime; quod idem de ænigmatico Epigrammate altero *Antipatri in Alexandri* cujusdam Chii ſepulcrum, cui novem tali inſculpti erant,
Pag.167-177. dicere poſſumus: ά ϛάλα, φέρ' ἴδω &c. item de tertio *Crinagoræ* in *Anacreontis* βίβλον λυρικήν. Ac vellemus, commode
185. fieri poſſet, ut, quam verum ſit, quod dicimus, commemorandis emendationibus & animadverſionibus, demonſtraremus. Sed, quia primo integra Epigrammata huc transſcribenda, & deinde plura dicenda eſſent, quam ratio noſtra patitur, doctos homines ad ipſum librum amandamus. Ceterum, ne quis nos aut velle ſubterfugere laborem, aut non ſatis probare doctis poſſe rem, putet, age in uno periculum faciamus, & quidem
204. in Epigrammate, ex *Anthol.* edita *IV*, 24, *Leontii Scholaſtici* εἰς εἰκόνα ὀρχηϛρίδος, quod ad *Ariſtænetum I*, 26, laudaverat *J. Mercerus*, & nunc animadverſionibus illuſtrare ibidem voluit *J. C. Paw*:

Μȣσάων δεκάτη, χαρίτων, Καράμαλλε, τετάρτη &c.

Mercerus putabat, titulum Capitis εἰς ὀρχηϛρίδας eſſe male conceptum ab iis, qui *Caramallum* fœminam putarent, quia Μȣσάων δεκάτη vocaretur, & cetera in hoc Epigrammate proprie in fœminas convenirent, ſcribendumque: εἰς ὀρχηϛὰς καὶ ὀρχηϛρίδας. Quod profecto rectum eſt; nam in eodem Capite eſt etiam Epigramma in *Xenophontem* Smyrnæum & in *Pyladem* Saltatorem. Neque in eo errat, quod, Μȣσάων δεκάτη de viro dici poſſe, putat. Nam ſic *Sophocles*, Siren Attica, *Val. Cato*, Siren Latina, ſic in *Anthol. I*, 66, *p.* 92, *Pindarus* dicitur Μȣσάων ϛόμα, *Bacchylides*, Siren item *Lib. III p.* 208 *Rhinthon* vocatur Μȣσάων ὀλίγη τις ἀηδονίς, & apud *Suetonium de Illuſtr. Grammat. Cap.* 16 *Q. Cæcilius* tenellorum nutricula vatum. Jam, quæ *J. C. Paw* nugatus hic eſt, prætermittimus, & ex ipſius ad *Ariſtænetum* notis petere jubemus. Sententia eo redit, ut *Caramallus h. l.* ſit fœmina alio quidem nomine, ſed propterea *Caramallus* dicta, quod eum imitata eſſet, accurateque expreſſerit. In quo recte deſiderat Cel. *Dorvillius*

villius ex interpretationis legibus, ut vel unum exemplum allatum esset, in quo quis simpliciter, v. c. *Homerus*, *Demosthenes*, *Plato*, diceretur, quod ei simillimus videretur; recteque negat, hujusmodi nomina cuiquam tribui, aut tribui posse, nisi addito aliquo adjectivo. Sic *Xenophon* non Musa simpliciter dicitur, sed Attica: *Caligula Liviam* proaviam non *Ulixem* simpliciter appellabat, sed *Ulixem stolatum*. Verum, licet singulæ appellationes in hoc Epigrammate in virum convenire possint, tamen *Dorvillio* nostro non fit verisimile, omnes comparationes sic a fœminis forte fortuna, nedum dedita opera, desumi ad ornandum virum. Nam, etsi *Pantomimi* sæpe fœminas in scena exhibuerint, tamen, & viriles personas saltasse, multis exemplis constat. Quinque alia sunt *Leontii* in ὀρχηστρίδας in hoc Capite Epigrammata, &, hoc esse in fœminam, tum ipsius, tum sequentis, inscriptio docet: εἰς εἰκόνα ἑτέρας ὀρχηστρίδος. *Leontius* etiam impensius saltatricibus delectatus fuisse videtur, quam ut saltatori præcipuam laudem tribueret:

> Θῆλυς, inquit, ἐν ὀρχηθμοῖς κρατέει φύσις· εἴξατε κοῦροι
> Μοῦσα καὶ ἐλλαδίη τοῦτον ἔθεντο νόμον.

Accedit, quod temporis ratio vix permittit, ut *Leontius Caramallum* viventem laudare potuerit. Nam, si *Caramallus* hic est is, qui *Aristæneto* celebratur, *Aristænetus* autem is, ad quem *Libanii* quædam scriptæ sunt epistolæ, *Caramallus* longe ante Seculi IV finem vixit. *Leontius* autem videtur *Justiniani* tempora, adeoque Seculi VI initia ad minimum, attigisse. Quodsi autem alius est a *Libaniano Aristænetus*, neque ætas ejus certa, potest *Caramallus* ad seriora tempora demitti. Et re vera videtur Seculo V potius, quam quarto, adscribendus, quod *Sidonius Apollinaris* ejus meminit *Carmine XXIII, 267*. *Sidonius* autem nulla vel pauca carmina scripsit post A. C. 472, cum Episcopus Arvernorum renuntiatus esset. Eum autem, etsi, quam diu Episcopus fuerit, non potest certo definiri, tamen parum a vero erraverit, qui eum A. 484 mortuum dixerit; quod A. 428 natus est, & annos 56 vixit. Ceterum vel sic *Caramalli* ætas a *Leontio* dimidio Seculo abest. *J. J. Scaliger*

liger ad *Eusebium Chron. p.* 155 statuebat, & *Salmasius* ad *Vopisci Carinum p.* 833 postea quoque docuit, *Bathyllos* & *Pyladas* vocatos esse etiam eorum discipulos. Itaque fortasse etiam duos *Caramallos* statuere liceret, nisi primo illa, quæ supra dicta sunt, repugnarent, & nulla autoritate confirmari ea res posset. Sed negat *Dorvillius*, hoc nomen esse a *Leontio*, spuriumque esse confirmat, & a *Planude* vel alio infartum, vel ex Scholio assumtum. Ejus rei autor est Codex seculis plurimis *Planude* vetustior, nempe optimus Palatinus, nunc Romanus, in quo plane literisque perspicuis est pro Καράμαλλε, Ροδόκλεια, quæ sæpe a *Rufino* in *Anthologiæ Lib. VII* laudatur. Atque ita *Salmasius* quoque legebat; ita etiam *Grotium* legisse interpretatio ejus docet:

O decima Aonidum, Rhodoclea, *& Gratia quarta.*

In eodem Epigrammate Cl. *Paw* in his verbis hærere jussit diva Dialectica: Ὄμματά σοι καὶ ταρσὰ ποδήνεμα. Ταρσὰ ποδήνεμα *novi*, inquit, ὄμματα ποδήνεμα *non novi*. Subtiliter mehercule & accurate! *Ipse* Leontius *scripsit:* βήματά σοι κ. τ. π. *Cum prima litera versus a bellis librariis omissa esset, ex* ήματα *factum* ὄμματα. Sed primo, in Græcis Codicibus aliquando, rarissime in vetustioribus, primæ literæ omissæ, nisi forte in principio capitum, sectionum, librorum; propterea, quod, cum Græci primas versuum literas cum in prosa, tum in vorsa, non majusculas facerent, nulla ratio erat, quare eas omitterent. Quod secus est in Latinis Codicibus. Deinde, quod ad ὄμματα & ταρσὰ ποδήνεμα pertinet, vel hæc lectio defendi potest, quod vel tirones sciunt, unum & adjectivum & verbum pluribus substantivis jungi, cum uni tantum proprie conveniat. Sed non opus est, eo confugere. Nam primo ποδήνεμος potest accipi pro ταχὺς simpliciter, uti etiam *Hesychius* interpretatur, & *Suidas* ex *Anthol. III, 24, p. 268;* quando constat, usu loquendi factum sæpissime, ut, quod de specie dicebatur, id ad genus transferretur, neque proprietas verbi & etymologia spectaretur, ut ὄμμα θοὸν est apud *Oppianum Cyneg. III, 143*, deinde apud *Æschylum Sept. contr. Theb. v. 630* est diserte: ποδωκὲς ὄμμα; ubi Scholiastes recte: εὔστροφον, item in *Choeph.* 574:

Θήσω

Θήσω, ποδωκεῖ περιβαλὼν νεκρὸν χαλκεύματι.

Ubi Scholiastes: ταχεῖ ξίφει. Atque, etsi in hac defensione *Leontii* facile omnes acquiescant, tamen, ea ne opus quidem esse, *Dorvillius* judicat, &, sine ipsa lectionem defendi posse, putat. Nempe quis hanc necessitatem *Leontio* imposuit, ut ipsi non liceret, ὄμματα sine epitheto ponere, necessarioque ejusmodi uteretur, quod ad ὄμματα non minus, quam ad ταρσὰ, pertineret? Istam legem ignorat & Rhetorica & Poetica. *Ovidius Met. II, 217: Ardet Athos Taurusque Cilix.* Ergo *Cilix* etiam ad *Athos* pertinet? *Anthologiæ Lib. VI p. 436:*

Α Φόρμιγξ, τά τε τόξα, καὶ ἀγκύλα δίκτυα &c.

Ceterum istud βήματα ineptum, quod non differt a ταρσά; ὄμματα autem summo jure non solum in omni puella, sed etiam in saltante, laudantur. Quodsi Καράμαλλε rectum esset, tamen ὄμματα apta essent, quod etiam in Mimis, quamvis personatis, tamen motus oculorum cerni potuerunt. Nam personæ Mimorum longe minores habilioresque, quam ceterorum histrionum, fuere. *Lucianus de Saltat. pag. 796 seq.* aliis tribuit στόμα πάμμεγα, κεχηνὸς, συμμεμυκός. Speciem mimicæ personæ exhibent *Inscriptiones Gruterianæ p. 1024.* Nec credibile est, oculis loquacibus non usos fuisse, qui

Nutu, crure, genu, manu, rotatu,
Clausis faucibus, & loquente gestu,

omnia exprimebant. Itaque νεύματα ipsis tribuuntur *Anthol. VII, 464,* &c. Videtisne, Lectores, quam caute, quam acute, docteque, in emendando interpretandoque *Dorvillius* versetur, &, cum huic specimini similia non solum omnia, sed etiam præstantiora quædam sint, ut, quæ ad primum & secundum Epigramma scripsit, quam verum sit, id quod diximus, specimen excellentis Critici & Interpretis ab eo capere posse, qui in hoc genere elaborare velint? Ceterum illud non est præ- Pag. 193 seq.
tereundum, vindicari etiam Epigramma jam a *Bentlejo* ad *Callim. p. 427,* ut *J. C. Paw* ad *Anacr. p. 309* contendit, infeliciter tentatum, & aliud *Simonidis* apud *Hephæstionem p. 64,* & in 201 seq.
Anthologia H. Stephani p. 513, Ἴσθμια, δὶς Νέμεα &c. Inprimis autem commemoranda est opera in explicando emen-

dandoque Epigrammate celeberrimo, a Canonico Trajectino in libello *de Alea* male habito, consumtæ, nempe in Epigrammate *Agathiæ Scholastici* εἰς τὰ λυτὰ Ζήνωνος τοῦ βασιλέως, quod exstat in *Anthologiæ Lib. I Cap. 61.*
Pag. 252 seq. Primo exhibetur ipsum Epigramma, ut est in editione *Stephaniana* cum versione *Obsopœi*; ejusdem autem interpretatio metrica *Grotiana* exhibetur *pag. 135*; subjiciuntur deinde variæ lectiones & animadversiones, e quibus, non possumus facere, quin breviter commemoremus, quæ ad *versum vigesimum tertium & quartum* dicta sunt, quod eos maxime constat esse vexatos. Versus hi sunt:

Αὐτὰρ ἄναξ - - - -
Τριχθαδίας ἀδόκητα βαλὼν ψηφῖδας ἀριθμοῦ
Πύργου δουρατέου κλήμακι κευθομένην.

Δουράτεος πύργος est instrumentum, cujus usus in tesseris ja-
308. 309. ctandis fuit. Πύργος vocatur propter figuram externam, a qua etiam Μόδιος apud *Isaacium Porphyrogennetam*, & *urna* in Epigrammate apud *Salmasium* ad *Vopisc. pag. 744.* Quod ad interiora attinet, cavum erat, sed simul gradibus & anfractibus intercisum, ut injectæ tesseræ subsilirent sæpius, & sic demum in alvei fundum effunderentur; unde interior ista pars κλίμαξ in his versibus dicitur, & *gradus interni* in Epigrammate apud *Salmasium l. c.* Satis autem probabiliter ex his patet, non agitatum esse pyrgum, quod interna illa ratio jam per se ad id valet, cujus caussa agitari potuisset, sed in alveo ponebatur, & fere in medium protrahebatur. Sed præter hunc pyrgum
309 seq. utebantur etiam *fritillo*, quod ψηφοβόλον vocabatur. In hoc tesseræ concutiebantur, & in pyrgum ex eo mittebantur. Pyrgo porro imponebant instrumentum aliud, quod φημός, κημός, ἠθμὸς dicebatur, h. e. quasi *infundibulum*. Hæc cum *Salmasius* sciret, pro ψηφῖδας ἀριθμοῦ, quæ verba nullum commodum sensum habent, legendum censebat: ψηφῖδας ἀπ' ἠθμοῦ — κευθομένας. Huic emendationi mirifice favet inspectus *Dorvillio* Codex Palatinus præstantissimus. Habet enim: ψηφῖδα γὰρ ἰθμοῦ, quæ lectio non procul a *Salmasiana* recedit. Nam

ἰθμοῦ

ἰσθμῷ ex ἠθμῷ facile fieri potuit, cum Seculo octavo jam frequens esset Jotacismi usus. Eo autem Seculo aut sequente scriptus est Palatinus Codex, & est in eo utriusque literæ frequens permutatio. Itaque non erat, quare Cl. *Paw* hanc emendationem rejiceret. Sed recepit tamen & probavit alteram: *κευθομένας*, quæ, præter *Salmasium*, etiam *Scaligero Hydio*que placuerat, nulla horum virorum mentione facta, sed magnifice additis his: *puer decennis viderit*. Cel. *Dorvillio* autem secus videtur, & e Codicibus revocandum *κευθομένη*. Quo nil certius putamus. Refertur enim non ad ψηφῖδας, sed ad *κλίμακι*. *Gradus* enim latent in pyrgo. Sic Epigramma Latinum, de quo supra:

Qui vomit internis *tesserulas* gradibus.

Κλίμαξ *κευθομένη* aptissime reddi potest: *gradus interni*, *scala interna*.

Caput decimum, uti diximus, male meritum esse de *Hephæstione* Canonicum nostrum, docet. Eum enim cum post 163 ab ultima editione annos ederet, nihil novi attulit, præter notulas quasdam steriles & jejunas, in ceteris editionem *Turnebianam κατὰ πόδα* expressit. Atqui MSti Codices plurimi passim a doctis viris commemorantur, & exstant pluribus locis. Commemorantur varii in *Bibliotheca Græca Fabricii Vol. VII, pag. 16.* Sunt in Bibliotheca Veneta, in Gallicis Anglicisque Bibliothecis, in *Hohendorfiana* Viennæ. Nullum horum in auxilium vocavit. Quid? quod etiam edita neglexit, tanquam Prolegomena *Longini*, & Scholia in *Hephæstionem*, ab *Hudsono* & *Fabricio* in *Biblioth. Græc. Vol. IV pag. 446* ex parte publicata, & editiones ipsas, quarum tamen duæ tantum sunt; nempe *Juntina* & *Turnebiana*. Nam de *Aldina*, A. 1526, 8, edita, opinionem falsam esse, Doctiss. *Dorvillius* demonstrat. Neque Latinam interpretationem adjecit, hac excusatione usus, quod libelli indoles obstaret; cum alii hujus generis libri Latine conversi sint, & ipsius *Hephæstionis* Latina interpretatio Paris. 1632, 8, edita sit. Est in *Aristidis Quintiliani Lib. I de Musica* a *pag. 43* ad finem, compendium doctrinæ metricæ concinnum, plane simile *Hephæstioneæ* methodo; ut non dubium sit, quin alter

alteri aliquid debeat, dignumque videatur, quod *Hephæstioni* præmittatur. Sed hoc compendium commode verti potuit. Melius meritus est de *Hephæstione* Cel. *Dorvillius*. Nam hujus *Capitis Sect. II*, a *pag. 415* ad *499*, sistit primo præcipuam Florentini libri variationem; deinde huic adjecit quasdam alias, a Codicibus petitas, & a Viro docto ad oram editionis Parisiensis adscriptas; ex quibus quantum lucis & emendationis *Hephæstioni* accedere potuisset, facile intelligitur. Quid igitur futurum fuisse putemus, si & alios Codices MStos consuluisset Cl. *Paw?* Huic autem lectionum varietati multas doctas observationes Cel. *Dorvillius* admiscuit, quibus etiam referta est *Sectio 3*, qua notæ Cl. *Paw* in *Hephæstionem* excutiuntur. Sed videbimur fortasse pæne nimis longi in commemorandis locis illustribus fuisse, etsi breves fuerimus, & multa omiserimus. Veniamus igitur ad id, quod quarto loco nos promisimus facturos, & *Caput* unum in compendium mittamus. Huic rei
Pag. 318-405. maxime accommodatum visum est *Caput nonum*; neque solum, propter dignitatem, sed etiam propter ipsius materiæ rationem, quæ nobis videbatur una in compendium redigi posse. Neque tamen totum referre licebit, sed maximam tantum partem. Nam ultima *Capitis* in singulis verborum quantitatibus versantur. Est autem proprie quidem hoc de erroribus *J. C. Paw* in re metrica Græca; sed hac occasione multa de re metrica erudite explicantur.

Cæsura, (Græce τομή.) definiente *Vossio*, *est*, *cum post pedem superest syllaba*, *quæ finit dictionem*. Cæsura autem locum habet in tantum non omnibus metris, præterquam in Anapæstis & similibus versibus, qui libenter cæsura carent, & dissolutos pedes
517. amant, hoc est, singulis vocibus constantes. Conf. *p. 440*. Atque hæc ratio est, quare anapæsti a Jambographis & Tragicis non adhibeantur, nisi raro, & præcipue in nominibus propriis. Vid. *Clarkius* ad *Homerum Il. β, 811*. Nam Jambicum pedes ligatos desiderat, quod fit cæsura. Sed in Heroicis & Jambicis cæsura necessaria pæne in πενθημιμερεῖ, hoc est, in quinti pedis prima syllaba, æque atque in Elegiaco, & rarissime tertius pes integra voce constat. *Horatius* nunquam id commisit, secutus Græcos

αος ἰαμβοποιοῖς. *Seneca* raro; *Æschylus* ſæpe; *Sophocles* & *Euripides* parcius; *Ariſtophanes* aliquando. Sed hic tamen excipiendi ſunt ii verſus, in quibus ſingulæ voces ſingulos pedes conſtituunt. Nam tum etiam tertius pes aliquando integra voce ſine vitio abſolvitur. Sed tales fere in enumerationibus tantum occurrunt, ut in *Nub. 66:*

Κριὸς, τράγος, ταῦρος, κύων, ἀλεκτρυών.

Menandrum quoque raro in hoc ſibi aliquid ſumſiſſe licentiæ, ex reliquiis ejus colligi poteſt. Ceterum τομὴ, κόμμα, cæſura, interdum etiam dicitur pars verſus, quæ cæſura ſolenniori comprehenditur. Sic elegia gemina cæſura conſtat, quod πενθημιμερὲς vocatur. Sed de ea hic non eſt ſermo. Cæſuræ hujus hæc vis eſt, ut ſyllabam brevem producat:

Pectori|bus| inhians

Νέστορα δ' οὐκ ἔλα|θεν| ἰαχή.

Sed in hac cæſuræ vi admittenda parciores ſunt Latini, quam Græci. Nam hi etiam vocales breves paſſim ita producunt, in quo parciſſimi ſunt Latini; &, cum ex cæſura quintus ſemipes in elegiaco communis ſit, (vid. *Terentianus Maurus pag. 81*,) tamen rara ejusmodi exempla in Græcis & Latinis occurrunt. Hæc autem cæſuræ vis inde proficiſcitur, quod in ea ſyllaba quædam mora fit, unde & *manſio* vocatur, & quia *ictus pronuntiationis* in eam cadit. Vid. *Clark. Il. α, 51.* Ceterum in *Jambico* hanc vim cæſura habere non poteſt; quod fieri non poteſt, ut ſyllaba natura brevis in cæſura producenda ſit; eſſe enim brevis debet, aut eſt ſaltem rectius brevis, quam longa. Illi autem valde errant, qui, cæſuræ vim eſſe etiam in ſyllaba finali verborum extra cæſuram, putant. Hanc *vim finalis* ſæpe crepat *Barneſius*, v. c. ad. *Il. λ, 36*, ſed ibi rectius docet *Clarkius*, quam ob cauſam pro longa brevis ſyllaba poſita ſit. Sane apud *Ariſtophanem*, *Lycophronem*, & alios, multi ſunt verſus, quibus hoc ſyllabæ finalis beneficio opus eſſe videatur. Sed ex quavis decade exemplorum facile novem alia commodiori ratione ſanari poſſunt, adjiciendo ſcilicet N ἐφελκυστικὸν, qua etſi jam *Kuſterus* in ſua editione *Ariſtophanis* multa ſanavit

cum in Jambis, tum in Anapæstis, tamen plurima adhuc intacta reliquit. Atque, hoc esse verum remedium, ex eo patet, quod nunquam, aut rarissime, ejusmodi syllaba finalis longa occurrit, cui non possis ita mederi; quod si fieri non potest, aut corruptus locus erit, ut in *Eccles. 706*, (vid. *Kusterus*,) aut adspiratio sequetur, ut in *Euripidis Hercul. Fur. 116* &c. Sed, ut ad cæsuram redeamus, ea etiam apud Græcos τε & apud Latinos *que*, & aliæ item hujusmodi voculæ, ut δὲ, τὸ, τὶ, τοὶ, &c. producuntur, sive duplex aut liquida litera sequatur, sive non sequatur, ut fit interdum. Vid. *Erythræus de Lic. & Dilig. Carm. Virg. Cap. 5 & 10*, item in *Indice* in *que*. Hoc cum ignoraret Cl. *Paw*, sæpe peccavit in tentandis locis iis, ubi τε sic occurrit. Etsi etiam sola cæsura hic sufficiat, tamen & Græci & Latini frequentius tales syllabas producunt, cum non modo cæsuræ, sed etiam duplicis literæ, vel positionis, vel literæ P, ope uti possunt. Vid. v. c. *Aristophanis Nub. 43, 45, Homeri Il. π, 228, σ', 402, Theocriti XV, 128, XXVI, 48*, &c. in quibus semper ϱ sequitur. Ejus rei ratio forte hæc est, quod ϱ inter duas vocales in pronuntiando facile duplicatur. Itaque etiam *Barnesius* ad *Homeri* locum secundum observavit, in antiquissimo Codice pro δὲ ῥόος scriptum esse δεῤῥόος, & *Clarkius* ad primum, in Codice MSto scribi pro τὸ ῥα, τόῤῥα. Atque hanc scribendi rationem sæpe invenias. Idem *Barnesius* ad primum locum *Homeri* ex Scholiaste *Apollonii III, 37*, commemorat, *Aristarchum* scripsisse ὅ ῥα, *Heracleonem* autem ὄῤῥα. Illud autem cavendum est, ne cæsuræ vis advocetur, ubi alia remedia in promtu sunt; in quo sæpe peccavit *Cornelius*. Nam v. c. ante πόλις, πόλεμος, & similia verba, ubi MSti Codices habent πτόλις & πτόλεμος, & meliores editiones, ad cæsuram provocat; & in multis item aliis locis, ubi nemo peritior ad cæsuram confugiat. Multo minus probandum est, Poetis passim Jambos, Choreos, seu Trochæos, Amphimacros, seu Creticos, & nescio quos pedes, alieno loco obtrudi pro dactylis aut spondeis, (de quo genere multa *Gifanius* in *Ind. Lucret.* in *v. Versus*) quando alia ratione mederi versibus licet, ut multis hic exemplis demonstratur. Versus qui-
Pag. 346 seq.

dam

dam reperiuntur, quibus tempus in primo pede deest; quos ἀκεφάλους appellant. Sed plerorumque affectibus mederi possumus. Nunquam profecto *Homerus* aut alius Poeta hexametrum fecit, cui tempus deesse putaret. Sed Grammatici imperiti, & ignorantes, cur illud πάθος in versu esset, & qua ratione Poeta concepisset tempora, ἀκεφάλους nominarunt. Huc pertinent, qui incipiunt a vocibus Πριαμίδης, ἀθάνατος, ἀπάλαμνος, ἀκέφαλος, ἀδάματος, ἀκάματος. Vid. *Eustathius* in *Il.* ν', 41, qualia verba, tres primas corripientia, a Poetis Græcis & Latinis in prima syllaba producuntur; quibus tamen non adjeceris παράλιος, ἀραβία. Nam his potius duplicatione literæ ρ succurrendum, de quo supra. In iis autem, qui ab ἐπειδὴ, ἕως ὃ incipiunt, aliud quid præter hoc πάθος considerandum; item in iis, quorum initium: πρὸς οἶκον. Ὃς ἤδη. Apud *Apollonium III*, 984, est: πρὸς αὐτῆς, &c. sed ibi legendum: πρὸς σ' αὐτῆς. Vid. *Scaliger ad Cirin.* 326. In his autem & similibus nemo, nisi valde temerarius, aliquid mutare audeat; tales autem versus nunquam Autoribus e conjectura obtrudendi, ac ne suspicionis quidem loco proponendi; quod nullam probabilitatem habent, & κακόζηλον Criticum arguunt. Pag. 351.

ANDREÆ PASTÆ, BERGOMATIS, EPIstolæ ad ALETHOPHILUM duæ, altera de Motu sanguinis post mortem, altera de Cordis polypo in dubium revocato.

Bergomi, ex Typographia Joannis Santini, 1737, 4.
Plag. 11.

Doctissimus Autor id agit in hoc libello, ut duas, communi fere Medicorum consensu receptas, opiniones, alteram de motu sanguinis post mortem, qui ex arteriis se in venas recipere creditur, alteram de polypis, qui diu ante obitum concrescere perhibentur, prorsus convellat. Nec is causam suam indiligenter aut indocte perorat. Quamvis vero, quod inprimis ad polyporum existentiam attinet, quæ responderi queant, supersint permulta; nos tamen, controversiarum agitandarum nego-

negotium instituti nostri rationibus non congruere, adeoque non id nobis datum esse, ut ratiunculis nostris obstrepamus diligentiæ Cl. Autoris, probe intelligentes, summam Epistolarum, atque argumenta, hic adducta, eo copiosius enarrabimus, quo pauciorum in manus ipsæ videntur hæ Epistolæ venturæ. Sic enim futurum speramus, ut in rationum momenta atque pondera ipsemet Lector diligentius inquirat. A prima igitur Epistola exordiamur. Putarunt huc usque Viri Clarissimi, sanguinem post mortem ex arteriis in venas compelli, & alii quidem universum, alii maximam partem, alii semper, alii plerumque, id accidere. Enimvero hæc minime videbuntur probabilia, cogitanti, tantum sanguinis una arteriarum contractione esse expellendum. Ubi enim pluribus opus esset arteriarum constructionibus, rursus implerentur arteriæ sanguine, quia semel contractæ contrahi iterum nequeunt, nisi cor iterum sanguinem in easdem impellat. Ergo, si ad exhauriendas arterias, aut ad maximam partem sanguinis ex arteriis in venas traducendam, non videtur satis esse una arteriarum contractio, quanto minus par atque idonea videbitur ea, quæ est omnium ultima, quæque, collapsis morientis viribus, excitatur. Præter hæc vero jamjam summus Anatomicus *Morgagni* in quodam *Adversariorum Anatomicorum* loco memorat, non paucis in cadaveribus magnam sanguinis copiam in arteriis se observasse. Autor itaque rem experimentis tentavit, idque in canibus inverso capite a posteribus pedibus laqueo suspensis, & interemtis, quoniam in hoc corporis positu ea fore perspicua existimavit, quæ in horizontali situ corporis nondum satis responderant. In quatuor canibus invenit venarum sanguinem ex posterioribus cruralibus atque iliacis ramis in cavæ inferioris truncum delapsum, paulo infra emulgentes venas; in duobus aliis ad emulgentes defluxerat, quo derivatus erat in iisdem quoque duobus canibus aortæ sanguis, qui similiter ex cruralibus posterioribus atque iliacis arteriis in aortæ descendentis truncum defluxerat, cum in prioribus quatuor canibus paulo infra venarum sanguinem aortæ sanguis constitisset. Secto deinde thorace, revulsisque hepate, ventriculo, intestinis, & pulmo-

pulmonibus, continuo sese magis magisque subducere cœpit tum sanguis, qui aortam, tum qui venam cavam impleverat, ita, ut hic in plerisque duos digitos distaret ab hepate, ille quartam attingeret thoracis costam, ab inferioribus numerando. Quin etiam contentus in venis emulgentibus sanguis plurium eorundem canium eo pervenit, quo sanguis pervenerat, qui in emulgentibus arteriis continebatur, quandoquidem vasa hæc neque in iis, qui capite suspenduntur, canibus, neque in iis, qui posterioribus suspenduntur pedibus, sanguine prorsus carent, quippe quæ cum truncis, quibus inseruntur, in utraque corporis positione, angulum obtusum efficiunt, qua parte sanguis defluit. Quem ad modum & semel iterumque observatum fuit, quod sanguis arteriarum cruralium anteriorum sanguinem venarum ejusdem nominis altitudine adæquarit. Ut itaque hæc experimenta sanguinis arteriosi venosique, qui post mortem in vasis reperitur, copiam videntur ob oculos ponere; sic motum quoque sanguinis luculenter ostendunt, qui, cessante motu projectitio, a corde atque arteriis profecto, oritur, atque motus fluminis ab Autore appellatur, quia scilicet sanguis fluminis instar fertur ad terræ centrum, cum rationi etiam consentaneum videatur, non ante coire debere sanguinem, quam deorsum defluat, utique si impulsus eo fuerit, ubi vi insitæ gravitatis consistere nequit. Scilicet illis ipsis experimentis cognoscitur, in eo corporis positu, quo pedibus posterioribus suspensi canes vitam laqueo finiunt, defluere sanguinem fere universum ex arteriis venisque cruralibus posterioribus, iliacis, aliisque, ad easdem pertinentibus, dummodo vasorum directio impedimento defluenti sanguini non fuerit, defluere nimirum in cavæ aortæque truncum, plerumque paulo infra emulgentia vasa. Neque minus hic motus sanguinis apparet, si capite suspendantur canes. Etenim in ea corporis positione jugulares venæ infra vinculum, arteriæque carotides, itemque venæ arteriæque subclaviæ, superioris cavæ truncus, aortæque arcus, aliaque vasa sanguifera, partim quidem in cordis ventriculos exonerantur, partim in inferioris cavæ truncum, & descendentis aortæ, eorundemque ramos, ita, ut sæpe sanguis fere ad va-

 sorum

ſorum iliacorum initium deſcendat, ſæpe quoque multo altius ſubſiſtat, maximeque in cavæ inferioris trunco. Quod, ubi accidit, tribuendum quidem eſt ventriculo inteſtinisque, cibo, potu, fecibus, flatuque, diſtentis, aliisque imi ventris viſceribus, vaſa comprimentibus, in quæ ſanguis defluere nititur. Nec omiſit Autor cautiones, quas in capiendis rite experimentis curatius adhibere oportet. Ignotus autem adhuc fuit ſanguinis hic motus, quoniam homines aut humi ſtrati, aut in lecto cubantes, moriuntur, in qua corporis poſitione motus ille longe minus innoteſcit. Nec in iis, qui ſuſpendio mulctantur, cognoſcere illum licuit, quoniam rariſſime ea corpora inciduntur, aut, quando patibulo demiſſa tabulæ imponuntur, vero videtur ſimillimum, illuc ferri ſanguinem, aut ſaltem ſerum ejusdem, unde diſceſſerat, ſimul ac vita amitteretur. Nec miretur quisquam, ſanguine refertas interdum venas, arterias vero eſſe vacuas. Quod quemadmodum de ſingulis arteriis affirmare non licet; ita etiam conſtat, nonnullas aliquando arterias refertas ſanguine, ſocias contra venas ſine ſanguine, reperiri. Quod tribuendum præcipue putat mutatæ poſitioni corporis, quæ poſt mortem non accurate, donec ſanguis jam refrixit, ſervata fuit. Ut hinc ſanguis, ſi præſertim parum coiit, ſedem mutet. Ceterum etiam modo in arteriis, modo in venis, ſanguinis variat coitus, isque longe facilius ex arteriis defluere ſolet, quam ex venis, eo, quod illæ, certe quidem majores, multo minus propter tunicarum robur ac craſſitudinem a circumjacentibus partibus comprimantur. Ut itaque intelligatur, cur ſanguis in his potius locis, quam in illis, reperiatur, convenit morientis hominis poſitum attendere, & corpus, uſque dum refrigeratum fuit, in eo conſervare, ac deinceps, cadavere tabulæ impoſito, vaſorum directiones & figuras, quæ corporis reſpondent ſitui, in quo homo interiit, partiumque circumpoſitarum molem, figuram, & poſitionem, reſpicere. Uſus hinc redundat cum in eos, qui ad detegendas morborum cauſas corpora incidunt, tum in illos, qui horum obſervationibus utuntur. Ita enim facile cognoſcent, utut ſanguis æquali proportionaliter velocitate profluxerit per univerſum viventis corpus,

pus, eundem tamen non æquali proportione in mortuo moveri, nec, ubi vaſa cerebri ſanguine turgida, aut duræ meningis ſinus aut cordis reperiuntur, id illico inter mortis cauſas referendum eſſe, cum hoc neutiquam adſcribi debeat vi morbi, ſed ſanguini, qui nimirum poſt mortem partium collabentium pondere modo ſurſum propellitur, modo deorſum vi inſitæ gravitatis fertur. Cui quoque tribuendas eſſe intelligent pleraſque, & quidem inſignes, auricularum cordis vaſorumque ſanguiferorum, ſinuum item cordis, & inprimis dextri ejus ventriculi, expanſiones, quas videlicet nulla indicaverunt ſigna ab Autoribus tradita, quæque, excuſſo intus contento ſanguine, minuuntur, & interdum fere penitus evaneſcunt.

Progredimur nunc ad *alteram* Epiſtolam, *de Polypis*, quæ priorem vel decies mole ſuperat, maximamque libelli partem conſtituit. Poſt propoſitam primum de polypis doctrinam, fuiſſe jam olim *Kerckringium*, refert, qui, polypum ante mortem exiſtere, pernegaret, &, poſt obitum demum concreſcere, arbitraretur. Cui poſtquam a *Malpighio*, *Mangeto*, *Peyero*, reſponſum fuit, omnis ea de polypis traditio longe lateque propagata, & novis perpetuo acceſſionibus atque incrementis aucta fuit, ut jam magnitudine laboret ſua, aliique hodie de polypo non amplius dubitent, alii, familiarem morbum eſſe, contendant. Ubi Autor, exempli cauſa, ex pluribus aliis, qui cordis polypos haud infrequentes eſſe aſſeverant, ad Illuſtrem *Hoffmannum* noſtrum, ejusque *Medicinam ſyſtematicam*, provocat. Quibus tamen omnibus, tantum abeſt, ut is fidem habeat, ut, polypos ante mortem neutiquam exiſtere, ſed ſub & poſt eandem demum generari, putet, idque ex variis argumentis. Multa commemorari ſolent ſigna, quæ polypum in vivo homine denuntient. At enim vero hæc in permultis nemo obſervavit, in quorum tamen corpore poſt fata polypi fuerunt reperti. Unde hiſtorias & obſervationes polyporum ex Autoribus cumulate enarrat. Sed, etiamſi polypi ſigna, quæ tradi ab Autoribus ſolent, præceſſerint, dummodo ab alia cauſa proficiſci eadem ſigna queant, ſuſpicari non deſinit, hujusmodi polypos ortos fuiſſe poſt obitum, quod inprimis polypo in *Patini* corpore re-

perto illustrat. Quamvis etiam in corde, ejusque vasis, polypus inveniatur, nec præter hunc quidquam exstet, ad quod prægressa polypi signa referas; negat tamen, exinde consequi, polypum hunc ante mortem fuisse genitum, cum sæpenumero inciderit asthmate atque hydrope sublatos homines, qui signa habuerunt polypi, cum tamen nec ullus in corde vasisque polypus, nec quodpiam aliud cordis vasorumque vitium, occurrerit, cui assignare prægressa ea signa licuerit. Insignes etiam illos polypos, qui sine vasorum dilatatione occurrunt, vel post mortem, vel paulo ante eandem, nasci, Autori videtur verisimillimum. Et mirum omnino putari potest, non ab omnibus ejusmodi polypis cor admodum dilatari, quod id necessarium maxime foret, ob rationes, a *Michelotta*, *Lancisio*, atque *Fantono*, allatas. Nihilo tamen secius variæ, quæ & hic repetuntur, Autorum testantur observationes, polypos recenseri insignes, neque tamen ullam ventriculorum cordis dilatationis, ab iis effectæ, fieri mentionem. Et, quamvis omnino exstent historiæ, quibus parietes cordis, vasorumque sanguiferorum, aliquando a polypis dilatati referuntur, quales etiam hic ex *Hombergio*, *Panarollo*, *Severino*, *Fantono*, enarrantur, atque adeo hi saltem polypi ante mortem geniti videantur, varia tamen hic Autor animadvertit, ut, quæ illi de expansione vasorum a polypis dixerunt, enervet, & simul generatim respondet, sæpius sine illo polypo dilatatos cordis ventriculos fuisse. Neque existimandum est, exiguum illud temporis ante vel post mortem intervallum non sufficere generandis polypis solidioribus, atque hinc, si quæ omnino in morientibus concretiones acciderint, id inter polypos jam diu ante mortem factos, atque eos, qui paulo ante mortem congrumato sanguine oriuntur, discriminis interesse, ut hi rudimenta potius polyporum, quam polypi, dici queant, quoniam in exemplis superius allatis massæ polyposæ ingentis molis longeque extensæ commemorentur. Post hæc Autor procedit ad causas, quas gignendis polypis minus esse idoneas contendit. *Malpighius* acidum præcipue accusat, a quo scilicet sanguis coaguletur. Sed acida omnem

coagu-

coagulandi vim amittunt, priusquam in orbem ſanguinis compellantur. Patronis hujus ſententiæ oſtendendum eſt, in ſanguine naſci acidum, genitum deinde eſſe hujusmodi, ut albam tantummodo ſanguinis cogat partem, vixque rubram attingat, vel utrasque quidem partes, ſed ſeorſim ſingulas afficiat. Nonnulli in terrore cauſam quærunt. Verum hic non tam coagulat ſanguinem, ut coeat in maſſam quandam ſolidiorem, quam adverſus corporis ſolida vim exercet ſuam, partesque externas conſtringit, ſanguinisque & nervorum fluidi motum perturbat. Atque hinc hiſtoriam *Malpighii* de polypo ex terrore generato explicat, & nonnulla de ſanguine congrumato, vaſis ſanguinei figuram æmulante, diſputat. Multo minus viperarum morſus cauſa idonea videtur, quamvis polypos inde in capræ corpore natos *Malpighius* producat. In aliis enim animalibus a morſu viperæ non fuerunt orti. Atque probabilius longe videtur, ejus animalis ſanguinem parte alba, quam fibras appellant, fuiſſe refertiſſimam, eandemque in ſingulis vaſis coiviſſe poſt illius interitum. Neque aneuryſmata, varices, cordisque cavitatum & auricularum dilatationes, cauſam ſuggerunt; quod qua ratione contingat, *Lanciſius* præcipue explicare laboravit. Quanquam vero Autor lubens aſſentitur, in aneuryſmate ac varice ſegnius moveri ſanguinem, neque ex dilatatis cum cordis ventriculis, tum auriculis, totum expelli, vehementer tamen dubitat, an graviores partes ſanguinis intra dilatata vaſa coire unquam queant, cum nulla ratio appareat, cur in illis ipſis ſanguinis concretiones non adſint frequentiores. Accedit plerumque ad dilatatam arteriæ diametrum aſperitas quædam ſuperficiei internæ aneuryſmatis, atque inæqualitas. Unde magis adhuc ſanguinis fluxum infringi oportet. Neque tamen, ubi ejusmodi aneuryſmata, aliaque vitia, ſupra dicta, commemorantur, ſemper polyporum occurrit mentio, quod magna exemplorum copia Autor probat. Inter quæ & reperitur exemplum militis, A. 1736 ab ipſo diſſecti, cujus læva cordis auricula inſigniter expanſa fuit, in cujus etiam pericardio circulum oſſeum, cujus cauſa ſigillatim hanc hiſtoriam notamus, animadvertit cordi circumdatum tanquam coronam, quem &

 uberius

uberius tota historia persequitur, & addita figura illustrat. Nec admodum credibilia videntur, quæ de venis in quibusdam polypis detectis circumferuntur; quin potius Noster cum *Morgagnio* putat, ex particulis sanguineis, sese insinuantibus, dum hinc inde fibrarum concretione coercentur, facile ejusmodi tubulos effici. Illa etiam dubia Autori videntur, quæ de diversitate coloris firmitatisque inter dextrum & lævum ventriculi polypum *Malpighius* habet, quasi scilicet in dextri cordis thalamo color subalbidus esset, lardi instar vel pituitæ, qui interdum rubra & subnigra stigmata consperfa haberet; in sinistro autem ater, densiorque substantia, foret. Exempla enim in contrariam sententiam Cl. Autor copiosa expromit. Quo labore perfunctus, ipse mentem suam de vera polyporum origine exponit, eosque suspicatur post mortem demum nasci, ex alba sanguinis parte, quæ ubi in superficie grumi concreverit, crusta sanguinis appellatur. Et, quanquam creditum a quibusdam fuerit, partem hanc magis spiritualem esse, hominibusque sanis & vegetis propriam, id tamen Autor monet perperam putari, crustamque illam adductis variorum morborum exemplis longe frequentius in ægrotantium sanguine, quam sanorum, conspici, atque, si corpora infestet sana, eadem obnoxia maxime offensis reddere. Merito igitur in sanguine e vena emisso semper hujus crustæ rationem habere convenit. Unde Chirurgis quasdam cautiones inculcat Autor, quibus observatis, pars alba sanguinis secedat a rubra, supremumque grumi locum petat. Testantur vero experientia & observationes Clarissimorum Virorum, polyposa corpora reperiri in eorum cadaveribus, quorum missus in morbo sanguis edidit crustam, quod & ipse Autor multiplici usu perspexit. Verum & ratio suffragatur. Manifestum enim est, coire post mortem sanguinem in corde, vasisque sanguiferis sponte omnino, partium scilicet a partibus secessione, quando partes sanguinis loca petunt, quæ specificæ gravitati conveniunt. Suspicionem ipsius augent duo principes inter Medicos Viri, *Malpighius* atque *Willisius*, qui nihil discriminis, ut sibi persuadet, interesse putant inter cordis polypum & crustam educti sanguinis, quemadmodum nec alii differen-

ferentiam quandam indicare potuerunt. Qui vero ſanguinis concretiones, quæ digitis diſſolvi nequeunt, quæ fibris conſtant, & quæ ventriculorum cordis adhærent parietibus, ante mortem ortas putant, admodum falluntur, & cruſtæ ſanguinis ſtructuram ignorare videntur. Cruſta enim ea emiſſi ſanguinis aliam atque aliam ſui habet ſpeciem, pleruınque tamen modo membranæ, modo carnis, modo pinguedinis, modo muci, imaginem refert. Interdum in eadem cruſta, ſi non omnes, tamen plures, earum rerum ſpecies cernuntur. Cum ſimilis muco eſt, neque cordis adhæret parietibus, neque fibris nudis oculis cernendis inſtruitur, neque digitis reſiſtit. Interdum autem mucus ille membrana innititur forti, interdum etiam in cruſtæ membranoſæ interſtitiis, interdum in grumi areis, coercetur. Adhæc, ſi ſero turgeat limpido, pituitam refert; ſi flaveſcente aut ſubviridi, ſaniem. At, ſi hujuſmodi muco cruſtæ interſtitia prorſus careant, ſic, ut ſeu carnem, ſeu membranam, ſeu tendinem, cruſta ſanguinis æmuletur, dici vix poteſt, quantum roboris corpus illud habeat, quod momento ferme gigni conſuevit. Quam in ſententiam quandam *Mangetti* obſervationem adducit. Sæpe etiam ſuperior membrana craſſior atque albidior eſt, nec cum ceteris continua, nulloque negotio avellitur; reliquæ vero cerebri corticis colorem exhibent, rubris maculis (quæ ſanguinis ſunt globuli, in cruſtæ interſtitiis irretiti,) interſperſæ, arctius cohærent, eoque facilius ſolvuntur, quo diutius immorata in ſero ſanguinis cruſta fuerit. Atque, ſi cordis bubuli ventriculis eximatur ſanguis, qui hujusmodi cruſta ſcateat, non ſecus adhæret ventriculorum parietibus, quam cordis polypi facere conſueverunt. Præter hæc haud raro evenit, ut cruſta grumo quam firmiſſime inſeratur, interdum ab eodem, tanquam ſi innataſſet, auferatur, nonnunquam etiam cruſta grumo largiatur craſſiſſima vincula, nonnunquam nullis oculis obvia, aut certe infirmiſſima, quæ interdum parum roboris, interdum nihil prorſus, ac ne figuram quidem, grumo impertiuntur. Certum vero fibrarum ordinem, ut & pellicularum, cruſtam conſtituentium, craſſitiem, robur, ſitum, magnitudinem, nullo modo aſſequi licet, quoniam hæc vel in cru-

ſta

ſta unius ejusdemque ſanguinis, pluribus vaſculis excepti, maxime ſæpe variant. Fere igitur ſolet cruſta ſanguinis in mortuorum corde vaſisque ſanguiferis reperiri in ſupremo grumi loco ſita. Quod ubi fit, nullum amplius tum dubitandi locum relinquit, quod tum poſt interitum coeat. Id quod præcipue polypis longitudinalis in dura meninge ſinus illuſtrat. Quippe, cum ad inveniendam veri grumi ſedem atque ordinem neceſſe ſit, morientis animadvertere decubitum, vaſorumque ſanguiſerorum directiones, quæ in eo morientis decubitu fuerunt, optime pernoſcere, longe facilius hæc in longitudinali ſinu deprehenduntur, quam in reliquis ſanguiferis vaſis, quorum directio & figura ſæpius non adeo firma eſt & conſtans. Idcirco, qui cœlum verſus ſpectante facie moriuntur, homines ſic grumum exhibent ſanguinis, ut cruſta, ſi pars alba longitudinalem ſinum occupet, nimirum ſupremam in ejusmodi decubitu grumi ſedem, pars vero rubra ad torcular deſcendat, reliquosque duræ meningis ſinus. Qui contra in facie cubantes mortem oppetunt, partem rubram in longitudinali habent ſitu, albam vero ibi, ubi in laterales ſinus deſinit longitudinalis. Ut adeo ſæpius cruſtæ ſedem atque ordinem nondum aperto capite prædixiſſe ſe Autor fateatur. Et, quoniam ſinus duræ matris in quolibet morientis decubitu ſanguine vix unquam deſtituuntur, hæc cauſa videtur eſſe, cur in iisdem tam frequentes exſtent polypi. Sed etiam in cordis ventriculis auriculisque, eo, quia plerumque ſanguine non carent, polypi ſæpe occurrunt, eo prorſus modo orti, quo polypi oriuntur longitudinalis ſinus, ſed in hiſce cavitatibus, quarum magnitudo ſæpe variat & poſitio, in eodem licet hominum morientium ſitu, haud facile eſt, polyporum prænuntiare ſitum, atque ordinem, niſi iisdem diſſectis. Quapropter & Noſter oſtendit, qua uti debeat diligentia & circumſpectione, qui invenire ſitum corporis, in quo homo interiit, cruſtæque ordinem, cupit. Moles polypi debetur vaſis continentis magnitudini; figura autem ab ejusdem vaſis figura proficiſcitur. Sanguinis grumos intra polypi tunicas interdum repertos non cum *Lancifio* ſanguinem excoctum, ſeu caput mortuum, terreo-ſalinum

& tar-

& tartareum vetusti sanguinis, sed verum sanguinem, reliquisque sic parem esse, arbitratur, ut suam ipse quoque crustam excitaverit. Cavos vero se vidisse polypos intus sanguine vacuos negat, licet nonnullos secuerit eorum, quos cavos appellant. Semper enim vidit coactum intus sanguinem. Unde dubitare non desinit, an sanguis ille pars grumi rubra fuerit, polyposa crusta undique obducta. Experimentum *Lancisii*, quo, post constrictam filo cerato arteriam iliacam, 15 aut 20 diebus circumactis, polyposam ligaturam circa arteriam offendit, sibi iterum sæpiusque repetitum male cessisse, nec ullum polypum natum esse, asserit, virosque doctos ad iterandum sæpius experimentum provocat. Multum vero scientiæ medicæ interest, ut in lucem hæc veritas revocetur, polypusne ante mortem exstet, an post mortem generetur. Ita enim polypus non amplius pro causa multorum morborum in vivis habebitur, sed aditus ad veram cujuslibet mali causam recte assequendam magis patebit. Perspecta deinde vera causa, rectius etiam curabuntur ii morbi, quorum causa polypus esse dicitur, & vitabuntur mala, qua a curationibus proficiscuntur, polypo adhiberi solitis, ut inter alia exempla remedio ex Mercurio, & venæsectionis, rem Autor noster illustrat.

DISSERTAZIONE SOPRA LE AURORE boreali &c.

h. e.

DISSERTATIO DE AURORIS BOREALIBUS, de quibus agitur juxta Systema quoddam peculiare, principiis Newtonianis, legibusque Mechanicæ, nec non optimis accuratissimisque Observationibus, innixum: quo etiam præcipue referuntur historia & causæ Auroræ illius insignis, visæ Venetiis die 16 Decembris anni 1737, hora post mediam noctem secunda; Autore EUSEBIO SQUARIO, *Veneto, Philos. & Medic. Doctore.*

Venetiis, apud Petrum Bassaglia, 1738, 4.
Plag. 16, cum Tabb. æn. 3.

Exhibetur hic primo loco historia plenior Auroræ illius insolitæ, quæ ea nocte, quam titulus indicat, non Venetias modo, sed universam fere Europam, in stuporem & admirationem rapuit; ejusque delineatio in peculiari Tabula adjicitur. Altitudo ejus deprehensa fuit 62 graduum. De tota constitutione aeris, cœli, adspectibus quoque Planetarum, quales tempore spectaculi obtinuerunt, mentio injicitur. Ex scriptoribus antiquis compluribus probatur, jam olim conspicuas fuisse ejusmodi Auroras, idque sub variis apparentiarum formis. Quo facto, calculum instituit Autor, ut distantiam Auroræ, de qua sermo est, a terræ superficie determinet, & quidem ex duabus Observationibus, Venetiis & Romæ factis, in qua posteriori urbe phænomenon ad gradus 57 adscendere deprehensum fuit. Exinde enim conficitur, illud a superficie Telluris remotum fuisse $152\frac{1}{2}$ milliaribus; unde varia fluunt corollaria. Deinceps in id quoque inquirit Cl. *Squarius*, quibusnam orbis terrarum regionibus spectari admirabile phænomenon potuerit; reperitque, præter totam Europam, barbaris quoque Africanis, iisque, qui Ægyptum inferiorem, Arabiam desertam, & petream, Tartariam minorem, Georgiam, Persiam, Indiam, Chinæque imperium, incolunt, id contigisse. Methodum illam, qua ad materiæ luminosæ distantias a Tellure determinandas utitur Cel. *de Mairan*, ea tutiorem judicat, quam ingeniose eruit Cl. *Mayerus*, Professor Petropolitanus, νῦν ἐν ἁγίοις, & in *Commentar. Petrop. Tomo I* publicavit. Sed videamus, age, quodnam Systema de explicandis Auroræ phænomenis sibi affinxerit. Primo itaque id extra dubium positum esse ait, quod Sol atmosphæra circumfundatur, cum id ex luminis zodiacalis apparentiis manifestissime pateat. Illam deinceps sententiam maxime rationi consentaneam esse, quæ statuat, atmosphæram solarem conflari ex unione particularum, vehementer rarefactarum agitatarumque, quæ ex Planetis emittuntur, nec non ex Cometis, quando prope Solem transeunt, & in Perihelio existunt. Atmosphæram solarem

rem distendi, & in majus volumen expandi posse, non solum per transitum Cometæ alicujus in ejus vicinia, sed per alias quoque, in quas inquirit, causas. In eo deinceps est, ut dispiciat, an atmosphæræ solaris volumen auctum ad Terram usque pertingere possit, & phænomena Auroræ borealis producere. Monet deinceps, & probare satagit, rationi dissentaneum esse, ut opinemur, Auroras provenire ab aliqua atmosphæræ solaris inflammatione, aut incendio quodam; nullas enim ibi locum habere posse particulas sulphureas, talesque, quæ in viciniam Telluris delatæ, & ab ea attractæ, ignem concipere valeant. Statuit igitur, causam veram exinde repetendam esse, quod in atmosphæra, quæ Solem cingit, ingens particularum minutissimarum numerus in densissimum acervum aliquem cogatur, qui lucem deinceps reflectat, refringat, ac nobis, quicquid hujus est spectaculi, objiciat. Principium attractionis, ex Philosophia *Newtoniana* petitum, principem in hoc Systemate locum occupat. Multa quoque ipsi communia sunt cum illo, quod Vir Celeberrimus, *de Mairan*, proposuit. Ipse etiam Cl. Autor annotat, inter antiquos Philosophos fuisse *Heraclidem Ponticum*, qui similia fere cogitaverit, teste *Plutarcho*, qui *Lib. III Cap. 2 de Plac. Philos.* ita: Heraclides Ponticus *nubem in sublimi a sublimi lumine illustratam eandem etiam pogoniæ, hoc est, barbatæ stellæ, causam assignat, ab his trabiformem, columnarem, aliasque cognatas harum impressiones, differre itidem, ut Peripatetici, statuit, pro ratione figuræ, in quam nubes conformantur.* Porro ait Cl. Autor, phænomenon Auroræ borealis finiri, ubi nubes ista, vel acervus, ex atmosphæra solari in terrestrem præcipitatur, qua quidem ratione fiat, ut terra aliquod augmentum recipiat, præcipue quoad vim suam attrahentem, unde post apparitiones sæpissime factas motus Lunæ tandem accelerari deberet.

ADRIANI STEGERI, PHIL. ET J. U. D. Supremæ Curiæ Regio-Electoralis & Consistorii Assessoris, & Civitatis Lipsiensis Senatoris, de Viis militaribus Romanorum in veteri Germania Liber singularis.

Præmissa est Præfatio, de qualitate viarum in Itinerario ANTONINI, & Tabula Peutingeriana, designatarum.

Lipsiæ, literis & impensis Jo. Christiani Langenhemii, 1738, 4. Plag. 14.

Eleganter omnino, nec sine præclaro eruditionis apparatu, in hoc, quod illustrandum sibi sumserat, argumento haud vulgari, nec satis a *Nicolao Bergierio*, ejusque interprete, *Henrico Christiano Henninio*, pertractato, versatus est Consultissimus Autor, felicissimus paternæ avitæque gloriæ æmulus & propagator; nosque propterea futurum certo confidimus, ut laudabile ejus studium ii omnes, quibus curæ sunt elegantiores literæ, vehementer probent. Priorem politissimi libelli partem jam ante aliquod tempus, non sine magno Lectorum plausu, divulgaverat; cum vero deinceps prætermissa alia, alia non satis accurate dicta, observasset, sub limam revocavit scriptionem suam præstantissimus *Stegerus*, adjectisque iis, quæ deerant, longe elegantiori, quam olim, habitu indutam, prelo iterum submisit. Præfationem ei bonæ frugis plenissimam præmisit, in qua, fuerintne viæ illæ, quas *Antonini Itinerarium*, & *Peutingeriana Tabula*, designant, perpetuis munitionibus productæ, diligenter disquirit, rationibus minime vulgaribus id ipsum affirmans, & varia simul de Operum illorum Autoribus scitu utilia commemorans. Data hac quasi promulside, Lectori suo dapes ipsas apponit. Primum, vias Romanorum publicas,
§. I. magnificentissima opera, in Germania magna, vel Transrhenana, exstitisse, negat. Tum, quæ ad viæ publicæ, seu,
II. quod idem est, militaris, definitionem pertinent, docte & copiose exponit. Ut vero ipsius mentem eo rectius intelligerent
III. Lectores, fines descripsit Germaniæ, quo nomine non eam tantum terrarum partem designavit, quam veteres proprio Germaniæ nomine comprehenderunt, Rheno, Danubio, Vistulaque fluviis, & sinu Codano, limitibus suis, circumscriptam, sed fines potius Germaniæ occidentem versus ultra Rhenum, adjecta nimirum potiori Galliæ Belgicæ parte, quam ipsi Romani Cisrhenanam haud raro dixerunt, extendere ipsi visum

est,

est, eique meridiem versus Rhætiam, Vindeliciam, & Noricum, adjungere. Et in his sane regionibus, magnæ olim Germaniæ proxime vicinis, passim observari publicas vias, auspiciis moribusque Romanorum dispositas pariter ac munitas, contendit. His præmissis, de universa instituti ratione luculenter exponit. Nimirum eam sibi in explicando hoc argumento ipse legem scripsit, ut studiose servaret temporis ordinem, quo de imperio Romani, Germani de libertate, in his terris decertarunt; singularum viarum munitiones ad autores suos, si de illis constaret, referret; si qua vero occurreret, cujus ignotus esset conditor, de ea circa illius Imperatoris ætatem dissereret, qua primum ejus a scriptoribus mentio esset facta; porro vias tantum certas, & notatu digniores, persequeretur, simulque, tanquam in transitu, significaret alia Romanorum opera, quæ ad viarum militarium munitiones perperam aliquando solent referri. Commentationis suæ argumenta repetit a *Julii Cæsaris* ætate, ab eoque Imperatore pontem bis esse Rheno impositum, ex vetusti ævi monumentis erudite docet Autor. Quod ne plane huc facere nihil videatur nonnullis, qui objiciant forte, non de pontibus, sed militaribus potius Romanorum in Germania viis, hic differendum, opportune Lectores suos docet, junxisse Romanos viarum & pontium curam, ejusque rei causa ad testimonia provocat, quæ frequenter in marmorum titulis occurrunt. Inde res Romanorum, *Augusti* auspiciis contra Germanos gestas, commemorat, &, quod ab eodem Galliæ divisio in Aquitanicam, Celticam, & Belgicam, hujus præsertim in Galliam Belgicam, speciatim sic dictam, & Germaniam Cisrhenanam, Germaniæ Cisrhenanæ in primam & secundam, aut effecta recens, aut rectius fuerit ordinata, quam proxime ad verisimilitudinem ipsi accedere videtur. Quo facto, de militaribus viis per Germaniam Cisrhenanam disponendis cogitasse *Augustum*, & id cum successu quidem, testimoniis fide dignissimis probat. *Drusum* fossæ esse autorem, qua Rheni, bicornis hactenus, exitus tripartito dissectos efficeret, *Tacito* & *Suetonio* ducibus, significat, eundemque binos Rheno imposuisse pontes, quibus eum Bonnam junxisse & Moguntiacum, *Florus* autor est, monet, quos pontes ideo cumprimis

§. IV.

V

VI.

VII.

memorabiles ipse judicat, quod omnium, qui perpetuis usibus trans Rhenum producti, & scriptoribus priscis memorati sunt, sine dubio habeantur antiquissimi. Tradit deinde, a *Domitio*
§. VIII. *Abenobarbo*, *Neronis* avo, aggeratum fuisse vastas inter paludes tramitem, seu, ut dicere moris fuit, pontes longos, qui perducendarum tantum per paludes legionum causa ita dispositi videntur Cons. Autori, ut inserviret necessitati magis, quam commoditati, *Domitius*. Viam fortassis militarem in pontibus hisce deprehendi, in mentem venire uni aut alteri posset, quod ipse referat *Tacitus*, aggeratos illos fuisse, cujus verbi usus, ex Romanorum instituto, ad viarum munitiones pertinet; quam in rem nonnulla veterum testimonia in medium profert laudatissimus *Stegerus*. Ex his tamen nemo facile effecerit, ut aggeris nomen, aut aggerandi vocabulum, ubicunque occurrat, ita semper ad viam publicam sit pertrahendum, ut alii significatui locus relinqui plane nequeat: quin imo affirmare non dubitat præstantissimus Autor, ipsum, qui de pontibus longis, a *Domitio* aggeratis, exposuit, *Tacitum* longe remotiorem a viæ publicæ forma, qualem quidem Romani consueverunt efficere, adhibuisse *angusti tramitis* appellationem. Limites aggeresque fuisse inter Alisonem ac Rhenum a *Germa-*
IX. *nico* editos, clare docet, eos vero ad vias pertinere militares, non audet nobis persuadere Autor. Idem, cum sub reliquis Imperatoribus, qui primo post Christum natum Seculo imperium tenuerunt, viarum in Germania militarium nulla, aut perquam tenuia saltem, invenerit vestigia, & tamen præcipiti nimis discessu ordinis filum deserere noluerit, breviter de iis disserit, quæ ad Romanorum curam, vias in Germania disponendi, generaliori paulo ratione sunt referenda. Qua de cau-
X. sa fossam indicat, quam inter Mosam Rhenumque constructam a *Corbulone*, exercitus, per inferiorem Germaniam ordinati, sub *Claudio* Imperatore Legato, *Tacitus* & *Dio* docent. *Pompejus Paulinus*, qui legionibus inferioris præfectus erat Ger-
XI. maniæ, inchoatum ante tres & sexaginta annos a *Druso* aggerem, coercendo Rheno, absolvit, majusque hoc aggere opus molitus est L. *Vetus*, exercitus Romani per superiorem Germaniam Legatus, inito de jungenda Mosella & Arari flu-

viis

viis consilio, inani licet, & omni successu destituto. An sub
reliquis primi Seculi Imperatoribus vias Romani in Germania
muniverint, docte disquirit, nec sine ratione negat Autor §. XII.
Consultissimus. *Trajanum* vero, secundi Seculi Principem, in-
stauratorem publicarum viarum curiosissimum, ante oculos XIII.
Lectorum ponit. Hunc gloriosæ memoriæ Imperatorem, non
tamen, uti videtur, passibus æquis, secutus est *Ælius Hadria-
nus*, in imperio successor, quippe qui Italiam potissimum atque
Hispaniam viarum ornavit munitionibus. Quod autem ad
Germaniam attinet, luculentius, quam de *Trajano*, monumen-
tum non exstat, idque pariter unicum, columna scilicet millia-
ris, in Norico posita, de qua plura erudite hic allata sunt. Ad- XIV.
dit *Antoninorum* viaria in Germania veteri monumenta, & *L.* XV.
Septimii Severi, ac filii utriusque, columnas viales, per Rhæ-
tiam, Vindeliciam, ac Noricum, tertio Seculo dispositas. Ejus- XVI.
modi quoque columnam, utriusque *Opelii* Cæsaris auspiciis
erectam fuisse in Germaniæ finibus, certiores nos reddit, docet- XVII.
que, *Antoninum Heliogabalum* & *Severum Alexandrum*, Im- XVIII.
peratores, columnis in inferiori Germania viariis nomen suum
ad posteritatis propagasse memoriam. Inde viæ, a reliquis
Seculi tertii Cæsaribus in Germania ordinatæ, investigantur. XIX.
Negligentes illi plane, aut saltem parci, fuerunt curatores via-
rum; cujus rei causam verisimillimam doctissimus *Stegerus*
tradit turbulentum nimis publicarum rerum statum, & me-
ticulosa brevioris plerumque temporis imperia. Quarto de-
nique Seculo vias curasse per Germaniam *Constantinum M.* & XX.
Julianum, commonstrat. Et *Constantinus* quidem ante etiam,
una cum *Diocletiano* & *Maximiano*, in laudis ejus venit societa-
tem, eandemque sibi posthac ampliorem asseruit, ceu testan-
tur lapides aliquot milliares, in Italia & Hispania superstites.
Finem Opusculo docte atque eleganter scripto imponunt, quæ de XXI.
Peutingeriana Tabula Cons. Autor diligenter commentatur.
Nos meritissimo applausu prosequimur insignem præclarissimi
Autoris industriam, &, cum nihil, præter summa capita, hic affer-
re nobis, per instituti nostri rationem, licuerit, integram Com-
mentationem Lectoribus nostris legendam, & in pretio haben-
dam, commendamus.

IL FALCONIERE DI JACOPO AUGUSTO TUANO, &c. h. e.

RES ACCIPITRARIA JACOBI AUGUSTI THUANI, primi Præsidis Parliamenti Parisiensis, & a Consiliis intimis Henrici IV, ex Hexametro Latino in Hendecasyllabum Latinum translata, & exposita, cum Ixeutico, seu aucupio per viscum, carminis Latini modulis expresso per PETRUM ANGELIUM BARGEUM, Prof. Publ. Pisanum, itidem translato & commentariis instructo, opera G. P. BERGANTINI, C. R.

Venetiis, typis Joannis Baptistæ Albrizzi, 1735, 4 maj. Alph. 1 plag. 12½.

Cl. Editor introductionis loco vitam & scripta *Jacobi Augusti Thuani* præmisit, inprimis vero libros hosce tres, carmine heroico *de re accipitraria* scriptos, *Thuano* vindicat. Primum quidem *Simon Mellangius* formis publicis descriptos edidit libros duos priores, præfixo titulo *Hieracosophion, sive de re accipitraria*, sine Autoris nomine, Parisiis, A. 1581. Placebat epicon carmen *Guidoni Fabro Pinbracio & Philippo Uralto*, Comiti Scevernensi, Galliarum Cancellario, qui sororem *Thuani* in matrimonio habebat. Quare ipse addidit librum quoque tertium, de morbis falconum, & de remediis adversus illos, qui simul in lucem editus fuit A. 1583 Parisiis. Ignorabatur publice Autor, ac nemo non fœtum illum *Scævolæ Sammarthano*, Poetæ inclyto, tribuebat. Prodiit denuo *Hieracosophion* Parisiis A. 1587, ex officina *Roberti Stephani*. In Lexico *Moreriano Sammarthani* Carmen hoc esse perhibetur. *Janus Gruterus*, clarissimus *Inscriptionum* collector, nomine *Ranucii Gheri* anagrammatico assumto, Francofurti ad Mœnum A. 1609 *Delicias Poetarum Gallorum*, & inter has hosce *tres Libros de re accipitraria* edidit, eisque nomen *Jacobi Augusti Thuani* præfixit. Hisce præmissis, de ratione translationis, & virtutibus recti interpretis, agitur. Versio prorsus est perspicua, & ad sensum reddendum accommodata, sed minus concisa, minusque brevitate placens. Annotationes adjectæ sunt selectissimæ, maximam partem e Poetis Latinis collectæ, quibus docemur, quanta lectionis venæque Latinæ poeticæ vis fuerit in *Thuano*. Ne vero credamus, *Sammarthani* nobis hic opus exhiberi, vetat ipsa *Thuani* ad *Sammarthanum* composita Dedicationis formula.

(o)

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXXXIX.

Pars I.

CHRONOLOGIE DE L' HISTOIRE SAINTE &c.

h. e.

CHRONOLOGIA HISTORIÆ SACRÆ & profanæ, quatenus ad illam ſpectat, ab Exitu Iſraelitarum ex Ægypto usque ad Captivitatem Babylonicam, Autore ALPHONSO VIGNOLIO.

Tomi II.

Berolini, apud Ambroſium Haude, 1738, 4 maj.
Tomus I Alph. 4 plag. 6, Tom. II Alph. 6,
cum aliquot Figuris æneis.

De præſtantiſſimo hoc Opere Chronologico, quod poſt tot moras & diſcrimina fauſtis auſpiciis in lucem prodiit, primo quidem orbi literario univerſo, tum præcipue ſanctioris eruditionis cultoribus, ac Venerabili Autori, ſeni fere nonagenario, vehementer gratulamur. Quod fieri vulgo ſolet, ut famam præſentia minuat, nec effectus promiſſis reſpondeant, id tantum abeſt ab hoc exaſciato ſcripto, ut omnem omnium expectationem multis ſuperare paraſangis videatur. Ceterum, cum in eo toto multiplicis elegantiſſimæque eruditionis theſauri recludantur, cum in ſpinoſo hoc argumento nemo felicius laboraverit, res obſcuriſſimas vix unus majori perſpicuitate

propofuerit, cum jucunditatem ftili modeftia conftanter comitetur, cum præterea innumeris facræ Scripturæ locis lux clara affundatur, plurimorum animis fcrupuli pungentes eximantur, ac divina hujus libri divini autoritas ex Hiftoriis paganorum mirifice afferatur; operæ pretium exiftimamus, ichnographiam ejus, quam fieri poffit, accuratiffimam in his *Actis* relinquere, quo in Republica eruditorum liber præftantiffimus pluribus innotefcat. Obftetricantes ei manus attulit Vir in arte fua nobilis, *Ambrofius Haude*, qui nec laboribus pepercit, nec fumtibus, ut fplendidiffimum veftitum Operi tam pretiofo circumponeret. Itaque candidiffimæ chartæ, Belgicæ nihil omnino cedenti, videas impreffos typos recentes, optimæ notæ, & oculum non fatigantes. In frontifpicio apparet nitide excufa effigies Venerabilis *Vignolii*, qualis anno ætatis octogefimo fuit, & qualis eft præfenti, qui labitur, nonagefimo; tam parum vigorem in tanta fenectute decem annorum fpatium imminuit, quod miraculo prope abeffe videtur. Dedicationi, ad Sereniffimam Boruffiæ Reginam directæ, præfulget hujus ipfius Reginæ elegans imago, cujus tum laudes merito encomio extollit, tum fingularis & regiæ clementiæ fpecimina in fe exftantia mire prædicat *Vignolius*. In Præfatione, Heraldico Schemate ornata, caufam aperit, qua motus, animum ad confcribendam Chronologiam appulerit, tum rationem & viam docet, quæ fibi in intricato hoc negotio tutiffima fuerit vifa. Adjecit quoque brevem vitæ fuæ & fatorum commemorationem, quæ omnia, quoniam minus ad rem faciunt, nunc quidem nos non diu morabuntur. Natus eft Cel. Autor in ditione Nemaufenfi, ex Generofa gente *Vignoliorum*. Anno ætatis 25 verbi divini minifterio admotus, eoque ftrenue defunctus eft, donec, abrogato Edicto Nannetenfi, A. 1685 cogeretur Gallia excedere. Igitur Berolinum fe contulit, quod tunc temporis ex Gallia ob religionem profugis afylum patebat, & paulo poft Ecclefiam Gallicam, quæ Brandenburgi colligebatur, regendam accepit. Cui functioni cum per annos quatuor & decem præfuiffet; propter morbum oculorum Berolinum regreffus, in Regia Scientiarum Societate,

quæ

quæ tunc erigebatur, inter primos locum obtinuit. His temporibus & Berolini & Cœpeniciæ elaborandæ *Chronologiæ* strenuam operam dedit; tandemque in lucem prodiit Opus absolutum, quod in manibus habemus. Ceterum de ipsius *Vignolii* meritis in rem literariam, deque existimatione, qua pollet inter doctos, plura ne commemoremus, modestia Viri adhuc viventis prohibemur. Progrediamur ad ipsam Operis recensionem. Divisum illud est in *sex Libros*, quorum *primo* continetur Chronologia ab Exitu Israelitarum ex Ægypto usque ad *Salomonem*, & præcipue celebrem templi conditi epocham. *Secundo* examinantur anni Regum *Judæ* & *Israelis* usque ad Captivitatem Babylonicam. *Tertio* characteres Chronologici in lucem proferuntur, quales sunt Annus Exodi, Sabbatum, Transitus per mare rubrum, Anni sabbatici, jubilæi, &c. *Quartus* impenditur illustrandæ Chronologiæ Regum Tyri, Syriæ, Ægypti, Assyriæ, & Mediæ. *Quintus* Regum Babyloniæ annos ad *Cyrum* usque eruit, ubi de æra *Nabonassarea*, deque Canone *Ptolemæi*, ex professo agitur. *Sextus* denique plenus est curiosissimæ perquisitionis de vetustissima anni forma apud Chaldæos, Ægyptios, Græcos, & Romanos. In præsenti *primi* & *secundi Libri* recensioni paulisper immorabimur, reliquis in proximam occasionem sepositis. Cum itaque Chronologi fere omnes a condito orbe sui computi initium fecerint, Venerabilis Autor rationem reddit, cur a via Pag. 1. adeo trita sibi discedendum duxerit. Scilicet *primum orbis annum* nullo certo & indubitato charactere Chronologico insigniri; neque eundem ab ullo Chronologo invictis argumentis esse demonstratum, cum præcipue anni vetustissimi ratio lateat; denique incredibilem esse sententiarum circa hunc annum diversitatem, earumque a *Mæstlino* ad 133 numerari. Has ob rationes rem se aliter instituisse, electo anno, unde Epocham iniret, firmo & fixo, suisque characteribus demonstrando, scilicet *Anno Exitus* Israelitarum ex Ægypto, satis memorabili, & sacris Scriptoribus plus vice simplici usurpato. Hic autem, seposito omni partium studio, nullius amore systematis, hos præcipue & fere solos sibi duces credidit esse sequendos:

dos: primo *Codicem Hebræum* summæ autoritatis; quodsi is scrupulum non eximat, sibi ad *Versionem* LXX confugiendum; & si uterque aliquando destituat, *Josephi*, scriptoris antiqui satis, & Judaicarum rerum peritissimi, rationem habendam, existimavit. His ducibus ingressus labyrinthum Chronologicum, eorum ope, tanquam filo Ariadneo, ex tenebris haud infeliciter emersit, uti jam videbimus.

Pag. 4. Ab Anno 1 Exodi ad introitum Terræ sanctæ 40 annos præteriisse, extra controversiam ponit Sacra Scriptura. Cumque annos *Mosis* haud semel expresserit, mirandum est, illam in Imperio *Josuæ* altum tenuisse silentium. Laborantibus hic
40. succurrit *Josephus*, qui disertis verbis administrationi *Josuæ* annos 25 assignat. Quod ipsum per probabilem conjecturam ex Scriptura S. elicimus. *Calebum* & *Josuam* coævos & ejusdem fere ætatis fuisse, discimus ex Historia *Num. XIII.* Post Exodum *Calebus* fuit annorum circiter 40. Demus *Josuæ* annos 45. Ad-
16. damus 40 in deserto exactos, & 25 administrationis, emergent anni 110 ætatis *Josuæ*, quo ipso anno eundem supremum diem obiisse, Scriptura S. asserit *Jos. XXIV.* Sed ecce, aliud silentium Scripturæ S. festinantibus est impedimento. Inter *Josuæ* mortem, & Judicem *primum*, manifestum ponitur *intervallum Jos. XXIV, 31*, & *Judic. II*, quod recte *Anarchiam* dixeris. Fit enim distinctio inter seniores, qui spectaverant admiranda Dei in deserto, & generationem, quæ hæc omnia ignorabat. *Ætatis* hæc videtur esse descriptio, quam Venerabilis Autor, in tanto opinionum divortio cum nihil melius succurrat, ex *Josepho* iterum supplendam censet. Is autem Anarchiæ annos 18 attribuit *Antiq. VI, 6.* His lacunis ita autoritate *Josephi* expletis, doctissimus *Vignolius* ad digerendos annos Judicum progreditur; ubi, quod merito multis mirum
20. videri debeat, Scriptura quidem ipsa planam & facilem viam sternit ad tempora *Samuelis*, sed ubi interpretes sibi ipsis præter necessitatem tot laqueos & nodos nectunt, quibus secandis ne *Alexandri* quidem gladius sufficere videtur. Frustra essemus in recensendis Virorum doctorum hypothesibus, quæ ab Autore ipso fuse satis sub judicium vocantur, & de quibus in

com-

compendio agit *Vitringa* in *Hypotyposi Historiæ & Chronologiæ sacræ.* Nam, cum omnis difficultas ex uno loco 1 *Reg. VI, 1,* oriatur, de quo deinceps ex professo disceptabitur, Autor, Scripturæ vestigiis pressim insistendum ratus, ex tricis facillimo negotio se expedivit. Prima difficultas movetur circa annos *Servitutis* & *Quietis*, qui a multis Interpretibus vel plane inter se confunduntur, vel saltem per Synchronismos conjunguntur. Quapropter, postquam velut in parenthesi ostendisset, *servire* hic nihil aliud esse, quam tributum alteri pendere, luculentum in modum demonstrat, statum *Servitutis* a statu *Quietis* plane fuisse diversum, atque ideo annos Servitutis, & annos Quietis, neque esse inter se confundendos aut combinandos, sed sibi invicem subordinandos. Scriptura adeo clare de hoc negotio loquitur, ut clariora expectari non debeant. Consulantur *Judic. II* postrema commata: *Quando peccabant Israelitæ, tradidit eos Deus in manus hostium.* Ecce *Servitutem! Quando resipiscebant, excitavit illis Deus Judicem liberatorem.* En *Quietem!* Sunt etiam ex viris doctissimis, qui hoc aperte fatentur, e. g. *Petavius*, *Capellus*, alii. *Capellum* audiamus: *Annos servitutis Israelitarum includere in annis Judicum, est valde absonum, & adversatur plane historiæ Judicum.* Ab altera parte multi persistunt in illis coordinandis, quod nuperrime fecisse cognovimus magnum sane Chronologum ac celeberrimum Virum, *Hieronymum van Alphen*, in singulari Dissertatione *de Annis Judicum Hebræorum*, præfixa novæ editioni *Originum Ægyptiarum* Perizonii, quæ A. 1736 prodiit. Sed ab Autore nostro nobis discedendum non videtur, qui, inoffenso pede progressus, annos Judicum & annos servitutum secundum ordinem S. Scripturæ colligit a prima *Servitute Mesopotamena* post Anarchiam usque ad *Jephtam* Judicem annos 319, ab Exodo annos 403. Quæritur autem, quomodo hæc summa consentiat cum verbis *Jephtæ*, Ammonitis, regionem transjordanensem sibi vindicantibus, ita respondentis *Judic. XI, 26: Majores suos hanc terram jam per trecentos annos obtinuisse.* Cum enim ex Historia pateat, Israelitas paulo anto introitum in Terram sanctam his ditionibus Emo- Pag. 49.

ræos expulisse, si a summa 403 auferas 40, in deserto exactos, residui sunt non 300, sed 363. Qui, elisis annis quietis, iisque cum servitutis annis confusis, minorem summam legunt, e. g. annos 264, cum *Usserio*, summo alioquin viro, excipient, Torniellum & Bonfrerium *recte respondisse cum aliis: non curavisse Jephtam numerum assignare, cui nihil deesset, aut superesset; sed potius majorem numerum assumsisse, sive causam suam juvaret, sive quia modus loquendi vel Scripturæ, vel hominum, ita ferret*. Numeros præter veritatem augere, hominum quidem, non autem Scripturæ, morem esse, concedimus. Hic autem cum de præscriptione agatur, injuria fit *Jephtæ*, ac si ille, emendicatis quibusdam annis, voluisset causæ
Pag. 56. suæ præsidium adsciscere. Optime itaque demonstrat *Vignolius* noster, recte objecisse Ammonitis *Jephtam* possessionem trium Seculorum, quia plures annos numerare poterat: idque exemplis, ex *Isocrate* & *Xenophonte* depromtis, valde illustrat. Se-
58. quuntur anni trium Judicum, *Ibzanis* 7, *Elonis* 10, *Abdonis* 8, tum porro Servitutis *Philistææ* anni 40, & tandem *Simsonis* anni 20, in quibus omnibus, si solam Scripturam sacram consulas, nullus hiatus, nullæ salebræ. Sed portento simile est, quantopere hi anni a Chronologis inter se permisceantur, quod Autor Venerabilis pluribus exponit: ubi præcipue *Simsonis* nulla habeatur ratio, cujus anni a Servitute Philistæa vulgo penitus absorbentur; cum tamen Angelus parentibus *Simsonis* promiserit *Judic. XIII, 5, eum liberaturum Israelitas e manibus Philistæorum*, & bis in libro Judicum affirmetur, *Simsonem judicasse Israelitas viginti annos*, quo ipso refutantur illi, qui cum *Masio* ausi sunt affirmare, *Simsonem* nullo imperio in Israelitas unquam esse usum, sed privata autoritate in Philistæos insurrexisse. *Simsonem* excipit, si cum Scriptura facias, *Heli*, Judex & Pontifex Maximus, cui illa attribuit annos 40,
74. *1 Sam. IV, 15, 18*, ubi mirus iterum dissensus interpretum, annos *Heli* cum tempore *Simsonis* conturbantium, cum tamen in libro Judicum nulla fiat *Heli* mentio, & in Libro primo *Samuelis* sub præfectura *Heli* de *Simsone* sit altum silentium, & porro nunquam legamus duos simul, Judices Israelitas rexisse,

& de-

& denique, si hoc concedatur, actum esse de Chronologia sacra, si liceat cuilibet pro arbitrio fingere & refingere; hanc potestatem pictoribus atque Poetis relinquendam, non Chronologis, quod luculenter Autor & eum in modum ob oculos posuit, ut existimemus, neminem cum veri specie aliquid objicere posse. Eandem ob rationem noluit intervallum admittere cum Patribus nonnullis & viris doctissimis inter *Simsonis* & *Heli* præfecturam; ejus enim nullam in Sacris fieri mentionem. Nihil notius est ex *1 Sam. IV*, quam in postremo anno Sacerdotis *Heli* captam esse a Philistæis arcam, eamque deinceps, postquam esset restituta *Kiriath-Icarimi*, mansisse annos 20, *1 Sam. VII*, 2, ubi recte demonstrat Autor, hoc intervallum intercessisse inter finem præfecturæ *Heli* & initium *Samuelis*. Vulgo tamen aliter fieri solet, & viginti illi anni *Samueli* asseruntur contra diserta Scripturæ S. verba, *1 Sam. VII, 2, 6*, ubi ait, *his viginti annis elapsis* populum sese Mizpæ congregasse, ibique *Samuelem officio Judicis* esse functum, id est, ut viri doctissimi agnoverunt, ab hoc tempore munus suum incepisse. Jam, si quæratur, quot annos *Samuel* solus rempublicam administraverit, silente Scriptura S. confugiendum est ad *Josephum Antiq. Lib. VI, 14*, affirmantem, *Samuelem* solum populo præfuisse annos 12. Quoniam autem cum *Samuele* Judicum dignitas exspiravit, antequam ad annos Regum digerendos accedat Venerabilis Autor, *primo* lucem affundit loco πολυθρυλλήτῳ *Actor. XIII, 14*, ubi *Paulus* dixerat, *Deum Israelitis dedisse Judices usque ad Samuelem per annos 450.* Docet enim, quam belle hic Apostolo cum suis calculis conveniat: sibi enim provenire annos 442, hoc nullum præstare potuisse Chronologorum, aliam hypothesin amplectentium; hinc ad emendanda isthæc *Actorum* verba, aut in alium plane sensum, obtorto quasi collo, rapienda, certatim ruisse viros doctissimos: quorum omnium sententias accurata lance expendit & refellit. *Secundo*, cum etiam inter Chronologos nostri temporis de Sancta Chronologia maxime sint meriti Viri doctissimi, *Usserius* & *Marshamus*, Cel. Autor in horum computum seorsim inquisivit, &, quid in utroque desiderari possit, egregie detexit. *Tertio*, cum

Pag. 79. 89. 99. 105

cum etiam usus sit *Josepho*, cujus Chronologia passim culpetur, tanquam secum pugnans, vaga, & incerta, Autor hanc sibi imprimis credidit esse operam datam, ut hujus Historici tempora accuratius exploraret, &, quantum fieri posset, a contradictione liberaret. Quod singulari Dissertatione præstitit §. *XXV*, in qua temporum seriem, per *Josephum* dispersam, multa luce perfudit. Sed cancelli nostri laboris non permittunt, ut in his nos diutius detineamus. Dum ad annos Regis *Saulis* delabitur Venerandus *Vignolius*, in antecessum notat, in *Libro primo Samuelis*, ubi res ejus gestæ referuntur, nihil occurrere, quod huc pertineat, excepto solo loco *1 Sam. XIII, 1*, in quo, si Hebræa sequaris, scribatur, *Saulem annum fuisse natum, cum regnare inciperet, & regnasse annos duos.* Quam sententiam, plerisque difficillimam visam, cum tueri nemo possit, Autor, expensis Criticorum conatibus, tandem pronuntiat secundum *Castellionem* & *Heinium*, videlicet deesse numerum inter בן־־שנה, quomodocunque id acciderit, de qua re in præsenti non judicabimus. Audacior quidem conjectura videtur, sed, si quis omnes interpretationes fugitivo saltem oculo conferre velit, deprehendet, coactas esse omnes, hanc autem solam se sua simplicitate mirifice commendare: neque ullo modo hic admittendam *Kohlreisii* hypothesin, existimantis, in Chronologia sacra *Saulem Filium anni* vocari, quia anno primo post 3400 secundum computum minorem regnum acceperit. Siquidem non solum ipse observat, hunc loquendi modum unico hoc tantum loco de homine reperiri; verum manifestum est, Scripturam sacram loqui de ætate, non de regno, *Saulis* in loco allegato. Itaque, ut prosequamur filum Autoris, ostendit ille ex *Actor. XIII, 20, 21*, *Saulem* regnasse annos 40; deinde ostendit, duplex fuisse ejus regni principium, primum, cum ungeretur Gibeæ a *Samuele*, *1 Sam. X, 1, 17, 24*, alterum, cum post victoriam ab Ammonitis impetratam de novo populo proponeretur, *1 Sam. XIV, 14*, quam ipsam cerimoniam his verbis memorabilem facit *Samuel: Agite, proficiscamur ad Galgala, regnumque illic renovemus*. Cumque *Samuel* antea divisum quodammodo exerceret imperium cum *Saule*, post hanc renovationem plane

Pag. 109 & 59.

Digitized by Google

plane se magistratu abdicavit, quo facto sequantur verba *1 Sam. XIII, 1.* Quæ ita supplenda censet Ven. Autor: *Saul erat natus annos* quadraginta, *cum regnare inciperet, & regnavit annos* viginti duos *super Israelem.* Hæc sunt consentanea calculo *Josephi Antiq. VI, 15, Saulem*, regnasse annos 18 cum Pag. 154.
Samuele, & post ejus mortem solum annos 22. In annis *Davidis* nihil perplexi relinquit Scriptura S. aliquoties affirmans, eum regnasse annos 40. *Salomoni* quoque assignat annos 40 162.
1 Reg. XI, 42; qua occasione de hujus Regis ætate multa curiose Autor interspergit, quæ non sine delectatione leguntur. Et sic quidem inoffenso pede in recensendis annis Regum possemus pergere, nisi obsisteret locus classicus *1 Reg. VI, 1*, qui veluti scopulus insuperabilis huc usque demonstratis objicitur. Scilicet ex antecedentibus patet, si omnes numeri in unam summam conferantur, ab Exodo ad exstructum templum præteriisse annos 648. Scriptura autem disertis verbis *l. c.* ait: *Anno ab exitu Israelitarum* 480, *anno regni Salomonis quarto, cœpit Rex Salomo Jehovæ templum ædificare.* Discrimen est insigne annorum 168. Itaque quæstio oboritur maximi momenti, quomodo hic nodus solvi, & hi duo numeri, inter se tanto intervallo diversi, 648 & 480, conciliari queant. Plerique interpretes pronuntiant secundum numerum posteriorem, scilicet ab Exodo ad conditum templum elapsos esse annos 480, idque, ne Scripturam S. alicujus errati aut sphalmatis insimulasse videantur. Sed Autor Venerandus, standum esse, dicit, a partibus numeri prioris; hunc numerum se summa cura ex ipsis Scripturæ literis collegisse; malle se in uno loco hærere, quam tot locis manus violentas inferre; manifestum esse, quam parum sibi constent Chronologi, prioris sententiæ fautores; quemlibet viam diversam calcasse, excogitatis hypothesibus, & Synchronismis, distortisque mirum in modum Scripturæ dictis. Se, uni planæque semitæ insistentem, in fine reperisse annos 648. Nolle se propterea Scripturam ipsam alicujus erroris accusare: operæ tamen pretium esse, ut diligenter inquiratur, quomodo numerus 648 transiverit in 480. Non acquiescit *Vignolius* noster in ali-

qua lectione variante, quam admittere debent Critici, extremis apicibus literarum mordicus inhærentes, præsertim quia objiciunt, olim numeros nullis characteribus, aut cifris, sed integris vocibus, expressos esse. Sed viris æquis & prudentibus hæc consideranda proponit: *primo*, neminem invicta ratione demonstrasse, in numeris exarandis vetustissimos scriptores nullis characteribus esse usos; *secundo*, utique aliquam attentionem mereri convenientiam inter characteres 648 & 480, utrobique reperiri 48; *tertio*, non semel accidisse, ut in numeris cum cifra, vel pluribus cifris, scribendis mutatio intervenerit, non absimilis illi, si statuatur, 6 transiisse in 0. Hæc sententia exemplis plurimis luci clarissimæ exponitur. Denique, cum fieri non possit, ut locus *Actor. XIII* conveniat cum *1 Reg. VI*, ne Scriptura S. secum ipsa committatur, concludit, numerum 648 retinendum esse. *Non debemus*, ait cum *Ricciolo*, *ob unicum & singularem locum postponere tot alios ejusdem Scripturæ textus, aut illis violenta interpretatione abuti.* Scimus tandem, Venerabilem Autorem ea esse mente, ut, si quis virorum doctorum meliori ratione hunc nodum solvere possit, pedibus in ejus sententiam sit iturus. Hoc labore cum magna perspicuitate, & multa penetra-
Pag. 195. tione, nec minori eruditionis apparatu, defunctus, *Josephi* Chronologiam de novo lanci appendit, itidem de Chronologia *Clementis Alexandrini* agens, eamque passim emendans ad finem *Libri primi*.

In *Libro secundo* arduum opus, & a multis infeliciter tentatum, conatu feliciori aggressus, optimis successibus dexterrimeque perficit. Annos videlicet *Regum* & *Israelis*, perplexos plerumque & intricatos, felicissime expedivit, & parti huic sacræ Chronologiæ lucidissimam facem prætulit. Propositis difficultatibus, Chronologos in principio viæ morantibus, regulas quasdam sub incudem revocat, quarum opera vulgo ad removendas difficultates uti solent. Has regulas *Joannes Bebmius* in *Chronolo-*
219. *gia* his verbis comprehendit: *Deprehendimus, annos Regum, tum Judæ, tum Israelis, interdum incomplete sumendos; nonnunquam filium cum patre regnasse; filium item a parente in absentia*

ſentia ut Proregem electum; *nonnunquam & interregni tempus tum in regno Judæ, tum Iſraelis, fuiſſe.* Sed Autor pluribus evincit, has regulas partim precarias eſſe, partim non ſufficere dubiis eliminandis. Itaque ſupponit alias regulas firmas & immotas, easque ſuis rationibus fulcit: 1) in Chronologia Scripturæ S. tantum integros annos adhiberi, & hoc modo menſes diesve, vel deficientes, vel redundantes, compenſari;
2) annos ſemper incipere & deſinere cum annis civilibus; Pag. 233.
3) ultimum cujusvis Regis annum, & primum ſucceſſoris, unum eſſe eundemque. Quæ regula maximi ponderis plene hic ſtabilitur, & innumeros ſcrupulos ſacræ Chronologiæ eximit: cum unam tantummodo patiatur exceptionem, ſi Rex
in noviſſimo anni die præciſe obierit: hoc enim pacto ſucceſſio 250.
in ſequentem annum referenda eſſet. Cum vero hæ regulæ generales omnibus difficultatibus expediendis non ſufficere videantur; quasdam ſpecialiores adjecit, quarum uſus ad pauca loca adſtringitur: ſed hæ in ipſo libro legantur. Ceterum ope regularum, quas diximus, generaliorum Ven. Autor Tabellam Chronologicam accuratiſſimam conſtruxit, a regnis *Rehabeami* & *Jerobeami* usque ad finitam captivitatem Babylonicam. In hac Tabula cum annis Periodi Julianæ & annis Exodi colligavit annos Regum *Judæ*, Regum *Iſraelis*, annos Ægyptiacos, & annos ante Chriſtum; annos deinde Olympiadum, & Æræ *Nabonaſſareæ*, cum Regibus Babyloniæ. Eſt adeo hujus Tabulæ ingens utilitas, in qua pars hæc ſanctæ Chronologiæ, diſpulſis veluti nebulis, pleniori luci exponitur.
Poſtquam itaque Cel. Autor demonſtraſſet, regnum *Je-* 281.
robeami præcedere *Rehabeami* primordia anno uno: illius enim defectionem incidere in poſtremos dies *Salomonis*, *1 Reg. XI, 29*; ordine omnes Reges percurrit, eorumque annos inter ſe componit, & Hiſtoricis viam planam ſternit, cujus beneficio ſecure Annales condere queant. Si omnia curioſe obſervata indicare vellemus, exſcribendus eſſet totus liber. Pauca hinc inde notaſſe, ad ſcopum ſuffecerit. Vulgatam quidem lectionem Autor ubique pro viribus defendit, exceptis pauciſſimis locis, ubi vel numeri Regum & Chronicorum inter ſe non con-

 ſentiunt,

ſentiunt, vel alio remedio nodus ſolvi nequit. Numerorum autem diverſitatem non ſacris Scriptoribus, ſed librariorum culpæ, imputandum docet: quam diſputationem, toties ventilatam & exagitatam, nunc non ingrediemur. Noſtra quidem ſententia illi duriuſcule cenſent, qui, ſimul ac aliquis negligentiam librariorum accuſat, extemplo ad anathemata procurrunt, quaſi fieri non poſſet, ut in deſcribendo ſacro Codice manus aberraret, cujus contrarium variantium lectionum multitudo tam in Vetere, quam Novo, Teſtamento aperte teſtatur. Utinam tandem viri docti in ejusmodi rebus, quæ nec Deum lædunt, nec ſanctam religionem, mitius ſentirent! Hujusmodi e. g. eſt, quod, cum *Baſa* mortuus dicatur in *1 Regum* anno *Aſæ* 26, nihilo minus *2 Chron. XV, 19*, ſcribatur, eundem *Baſam Aſæ* anno 36 bellum intuliſſe. Hic poſtquam multis argumentis docuiſſet, quam parum ſatisfaciant ſolutiones, ab interpretibus allatæ, pronuntiat cum quibusdam Chronologis, legendum eſſe 26 loco 36. Idem ſentit de regno *Achaſiæ*, qui *2 Reg. VIII, 25*, anno 22, ſed *2 Chron. XXII, 2*, anno 42, iſtud incepiſſe dicitur; huic enim loco ſanando nullum aliud remedium hactenus valuiſſe. Multi interpretes ad ſolvenda dubia Synarchias excogitant, quarum tamen pleraſque non ſine ratione rejicit Autor. Sed *Synarchiam Jorami* cum patre *Joſaphato* ipſius Scripturæ S. verbis confirmat. *2 Reg. VIII, 16*, hæc legimus: *Anno quinto Jorami, filii Achabi, Regis Iſraelis, (cum Joſaphatus Rex eſſet Judæ,) regnum iniit Joramus, filius Joſaphati, Regis Judæ.* Ubi, quod notatu dignum eſt, verba parentheſi incluſa, in verſione Germanica omiſſa, & nondum inſerta, quod fieri deberet, &, non factum, multis mirum videri poſſit, dicimus apertiſſime declarare, vivo ac regnante pa-
Pag. 335. tre *Joramum* imperii factum eſſe participem. Poſt regnum *Achaſiæ*, qui eodem anno cum *Joramo* periit, Autor Chronologiam *Uſſerii* & *Marshami* aliquantiſper expendit, & oſtendit, quibus occaſionibus a veritatis tramite deflexerint. Poſt mortem *Jerobeami* II in regno decem tribuum *Interregnum*
362. obtinuiſſe, clariſſimo argumento docet. Pergit deinceps maxima cura in digerendis annis Regum *Iſraelis* usque ad exitum

hujus

hujus regni, & annis Regum Judæ, ad *Zedekiam*, ubi simul expediuntur variæ quæstiones circa regnum *Hiskiæ*, de fine regni decem tribuum, de Chronologia *Usserii* & *Marshami*, de *Jechoniæ* anno 9, concurrente cum anno 7 *Nebucadnezaris*, a quo termino Epocha Judaica Exodi cum Æra *Nabonassarea* conjungitur; de Epochis Prophetæ *Ezechielis*, de somno ejusdem Prophetæ, de diebus 390, quibus portavit iniquitatem domus *Israelis*, & de 40 diebus, quibus portavit iniquitatem domus *Judæ;* de obsidione Hierosolymæ per Chaldæos, initium ac diarium hujus obsidionis; de fine regni Judaici cum excidio urbis ac templi, ubi iterum *Josephi* chronologia purgatur; de rebus denique postea gestis, & ipsa captivitate Babylonica. In his omnibus, uti & præcedentibus, Cel. Autor summa fide versatur, allegatis interpretum verbis, & citatis in fine paragraphorum libris ac paginis, ut neque laborem, neque diligentiam majorem, merito quis desideraverit. Videas hic plurimis locis Scripturæ S. per hoc temporis intervallum lucem accensam, interpretes ad censuram vocatos, Chronologiam passim restitutam, Chronologis errores evulsos, &, quod diximus, latam ac regiam viam ad condendos Annales constratam, quod longe magis elucet ex sequentibus *Libris*, quorum recensionem, ne hic æquo longiores simus, in occasionem proximam differemus.

Pag. 513.

PSALMORUM LIBER, IN VERSICULOS metrice divisus, & cum aliis Critices subsidiis, tum præcipue Metrices ope, multis in locis integritati suæ restitutus. Cum Dissertatione de antiqua Hebræorum Poesi, aliisque quæsitis, ad Psalmorum Librum pertinentibus. Ad finem Operis adjecta sunt Poeseos Hebraicæ specimina, ex iis, quæ ediderunt FRANC. GOMARUS, MARC. MEIBOMIUS, & JO. CLERICUS. Edidit FRANCISCUS HARE, S. T. P. Episcopus Cicestrensis. Tomi II.

Londini, typis Guil. Bowyer, impensis S. Buckley & T. Longman, 1736, 8 maj.
Alph. 2 plag. 10.

Hic Criticus, qui libens profitetur, se hominem esse, inopem eruditionis, abundat ingenio, *Lud. Cappelli* placitis inescato. Arbitratur, Codicem Hebraicum scatere mendis, & puncta
Præfat. pag. 40. sæpe vitium habere. Addit, poesin maxime impediri, quod istud utrumque negetur. Sese igitur, a præjudicatis opinionibus liberum, genuinam Hebraicæ poeseos rationem e tenebris, quibus ab annis plus bis mille sepulta delituerat, feliciter eruisse gloriatur, veramque ejus notitiam instaurasse, sibi, si quid aliud, persuasissimum habet, nec eruditos, rebus omnibus probe expensis, dissensuros confidit. Ecquod autem est illud tam præclare inventum? Expectas definitionem? Collige. Ut
27 seq. hujus poeseos indoles facilius intelligatur, docet 1), omnes pedes esse dissyllabos; 2) quantitatis syllabarum nullam rationem haberi; 3) versiculos constare vel pari syllabarum numero, vel impari; 4) ubi par est syllabarum numerus, ejus generis versiculos pro trochaicis haberi posse, in prima syllaba acuendos; 5) si impar sit numerus syllabarum, pro jambicis censendos, & syllaba secunda acuendos; 6) periodos plerumque constare duobus versiculis, sæpe tribus, quatuorve, aliquando pluribus; 7) versiculos ejusdem periodi esse ejusdem generis, exceptis perpaucis, in quibus alternant; 8) versiculos trochaicos plerumque pedum numero convenire, sæpe etiam impares esse; 9) in periodis jambicis sæpe versus pedum numero convenire, plerumque discrepare; 10) utriusque generis versiculos perpetuo misceri; 11) Hebraicam poesin syncopis, elisionibus, apocopis, paragogis, ellipsibus, asyndetis, pleonasmis, repetitionibus, aliisque modis voces contrahendi & producendi, uti. Uno exemplo, eoque fere omnium planissimo, quid sibi velit Inventor, monstrabimus. *Primum Psalmum* jambicum sic legit & dimensus est:

Asre hais aser lo
halac ba yazat risyim,
ubederec hattim lo yamad,
ubemisab lezim lo jasab.

Ci

Ci im betorat jahvoh
hepzo, ubetorato
jehgeh jomam valailah.

Vehajah ceyez ſatul
yal palge maim, aſer
pirjo jitten beyitto.

Veyalehu lo jibbol,
Vecol ſejay ſeh jazlih.

Lo cen, bariſyim; ciim cammoz
aſer tiddepennu ruh. Yal cen
lo jakumu riſyim bammiſpat,
vehattim bayadat zaddikim.

Ci jodey jah derec zaddikim,
vederec riſyim tobed.

Vides poeticam licentiam, quam ignorant Grammatici noſtri. Tetragrammaton *Jahvoh* pronuntiandum ſtatuit, ad formam Pag. 13.
Jacob, ut diſſyllabum fiat, & quia Græci Deum Hebræorum Ἰάω nominarunt. Sed, ubi metrum requirit, contrahit in *ah* monoſyllabum. Ac, ne quid ad laudem præſtantiæ deſit, halucinationes *Gomari*, *Meibomii*, & *Clerici*, non modo in Prolegomenis, ſed etiam ſub Operis finem, ante oculos ponit. Illum, 33.
(*Gomarum*) *Davidis* lyram *Sophocleis*, *Pindaricis*, aliisque lyricis, carminibus comparantem, abſurdiſſime exiſtimaſſe, *Scheva* nullum ſimplex vocale eſſe, & ſyllabam longam fieri ſola vocali longa, non poſitione. Iſtum (*Meibomium*), qui diſticha 39.
in Pſalmis quæſivit, exſibilatum eſſe ab omnibus merito, cum omnem omnium Criticorum temeritatem atque audaciam longe ſuperarit. Hunc (*Clericum*), rigidum *Meibomii* cenſorem, 8 ſeq.
fruſtra ſub ſpecie veri falſam hypotheſin de poeſi ὁμοιοτελεύτῳ tam perdite amaſſe, votoque excidiſſe, dum totis animi viribus id quæreret, quod nuſquam erat. Non timet vigilantiſſimus Epiſcopus, ne ſtili tam cenſorii mucronem retundant triumviri: ſunt enim mortui. Adverſus *Gomarum* certe mirum in modum diſputat. Etſi enim videt, ejus conata *Conſtantino l'Empereur*, *Jo. Buxtorfio*, filio, *Dan. Heinſio*, *Lud.*

de

de Dieu, *Hottingero*, pluribus, valde placuisse: *Hareus* tamen
Pag. 5. absurdissima semel iterumque vocat, quia *Cappellus*, quem de
Hebraica poesi nihil intelligere scripserat, A. 1643 animadvertit,
secundum eam dinumerandi rationem, quam tradit *Gomarus*,
(& *Hareus*,) nihil non fore versum etiam in Genesi. Hic ta-
cet, *Cappello Buxtorfium* A. 1653 *Anticriticam* opposuisse, in
qua, judice *Rich. Simonio*, *Jo. Leusdenio*, *Jo. Sauberto*, & *Aug.*
Pfeiffero, palm. a retulit. At secutus est *Gomarus* vestigia *Hie-*
36. *ronymi*, *Origenis*, *Eusebii*, *Philonis*, & *Josephi*. Respondet
Hareus: horum nemo quidquam de poesi Hebraica scivit, nec
levis suspicio est, *Josephum* Hebraice nesciisse. Habes refuta-
tionem *Gomari*, quem defendere *h. l.* non vacat. Pergit Cl.
Autor ad Musicam Hebræorum, ad Psalmorum titulos & colle-
ctionem in unum volumen, atque fatetur identidem, frustra
in aliis quærendis operam ab eruditis, & a se ipso, collocari.
Ceterum voluit hoc labore Britannos excitare ad linguam
Hebraicam addiscendam, *quæ nimium quantum*, (hæc sunt ejus
verba,) *apud nos neglecta jacet*, & *typographi nostri in He-
braicis excudendis prorsus per desuetudinem imperiti sunt.*
Hujus autem Psalterii typi satis nitidi sunt & accurati. Ad ex-
tremum, si id fortasse cognoscere cupis, adhibet versionem
Psalmorum *Leusdenianam*, nonnunquam *Muisianam*, & imis
paginis correcti textus rationem reddit potissimum e Græca in-
terpretatione, quam vitiosam esse concedit, utilissimam tamen
lacunis supplendis putat. Subjicit *Addenda*, in quibus revocat
errorem de *b* & *c* præfixis, quæ syllabam facere ante opinatus
erat, largiturque, ut pro *ceceli* legatur *cicli*, pro *bereyadab*
biryadab, pro *beneginot binginot*, & sic in aliis. Sperat tandem,
alios in his discutiendis feliciores fore, quibus se ex animo si-
gnificat esse gratulaturum.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE des Insectes, &c.

h. e.

OBSERVATIONES, HISTORIÆ INSECTO-rum inservientes, Autore DE REAUMUR, ex Aca-

Academia regia Scientiarum, Ordinis Regii & militaris Sancti Ludovici principe & directore. Tomus tertius, quo continetur historia Vermium, cuniculos agentium in foliis, Tinearum, Pseudo-Tinearum, Culicum, & Culici inimicorum, Gallarum etiam in plantis, & insectorum ex iisdem.

Parisiis, ex Typographia regia, 1737, 4.
Alph. 2 plag. 20, cum plurimis Figuris æneis.

Industria hominum, quæ corpori nostro velamina, vestes, superbius, quam utilius, excogitatas, dedit, si ex bestiolis quibusdam, amictum sibi contra aeris injurias comparantibus, exemplum non desumsit, invenit tamen in Insectorum historia instituti similitudinem, & mores ad necessitatem, neutiquam vero ad luxum, compositos. Existunt, pars mundi creati, Vermes, ex ovo volatici animalis geniti, reptilem aliquamdiu vitam degentes, hinc metamorphosin passi, & Papilio vel Musca facti; id quod dum peragunt, & per medium aliquem statum in diversam formam transeuut, vestimenta sibi, vel alia contra aeris impetum domicilia, exstruunt. *Prima* Cel. *Reaumurii Observatio* sistit *Ascarides* minutulos, in foliorum parenchymate nidulantes, quibus parvulum isthoc spatium vastissima est provincia. Alii tortuoso itinere inter folia procedunt, & angustos effodiunt cuniculos, *Fossores circulares;* alii magnas depascunt areas, *Fossores magni.* Genere equidem differunt, siquidem habentur, qui Papilio & Musca metamorphosi fiunt; ast vitæ ratio eadem omnes una describendos imperat. Singularem formæ elegantiam præ se ferunt parvuli Papiliones, quibus prodiga natura mille coloribus, auro etiam & argento relucentibus, ita adblandita est, ut, magnos haud factos, quo nudo conspici possent oculo, doleamus. Reliqua volatilia, hinc facta, Muscæ sunt duabus alis, vel Scarabæi. Parvula utut sint isthæc insecta, sufficientes tamen, quibus in classes dispesci possint, characteres suppeditant. *Erucæ* sunt, quæ Papiliones, *Vermes*, qui Muscas ex se producunt. Eruculæ aliæ sedecim pedibus, aliæ quatuordecim, incedunt; læves aliæ sunt, aliæ

 annulis

annulis ornatæ. Metamorphosis eodem, quo reliquis, modo contingit. Ovula a fœmella pariuntur in singulis foliis singula, vel pauciora. Solitariam enim vitam agunt plures; quædam versus mutationis terminum societatem eodem cuniculo subeunt. Ast ovula mire parva raro visuntur, oculatissimo tamen *Reaumurio* visa sunt, ubi intellexit, vermem, suo ovo egressum, sub ejus testa jam effodisse folium. Vermes, ex quibus Musca duabus alis proditura est, non minus epidermide folii exesa, parenchyma ejus subeunt, ast diverso immersionis modo. Eruculæ dentibus uncis rodunt; Vermes acuta fronte repetitis ictibus effodiunt. Alii denique Vermes Scarabæi fiunt, proboscidem ferentes, vel antennas granulatas, dum nympham sibi vel intra folium, vel super ejus epidermide, vel in vicinis foliis, condunt. *Secunda Observatio Tinearum* historiam condit. Utut male mereatur Tinea de pellibus & pannificiis nostris, quæ misere habet, admiratione tamen haud caret. Nuda nascitur, hinc amictum quærit, sibique corradit ex destructis lanarum filis, mira industria, & singulari naturæ instinctu. Aliæ, *veræ Tineæ* dictæ, mobile secum indusium ferunt, aliæ immobile, hinc *Pseudo-Tineæ* appellandæ. Veræ diversa destruunt texta, vel pelle consuta, & Erucæ nomen merentur, dum Papilio fiunt, pannis inimicæ. Forfice duplici, & sex pedibus squammosis, incedunt. His opus faciunt, vaginas sibi parant, tot coloribus diversas, quot colores sunt destructæ telæ. Vagina ipsa igitur panni destructi est particula, intus sericum. Ex vagina sua expulit jam vestitam Tineam Autor, viditque primum fila sericea trahi, hinc lanæ corrasæ manipulos agglutinari: id quod dum faciunt, vagina utrinque aperta caput exerunt, capillos lanæ aut resecant, aut evellunt, hinc pertexunt. Nec una vagina sufficit. Deserunt enim primam, & adolescentes ampliori veste induuntur, vel, parcæ laboris, primam findunt, & nova tela sarciunt; versicolores factæ, si diversi coloris pannum destruxerint. Nam loco moventur, & domicilium secum trahunt. Hinc, prout Erucæ, chrysalidem struunt, fiuntque Phalena parva coloris auro vel argento nitido relucentis. Hinc circumvolitans fœmella telis perniciem struit, dum ovula parit. Tum satius est, Papilionem, quam

quam Tineam, enecare. Tineæ pellium parum differunt, & pannum similiter rodunt, ast vestem sibi parant lævigatam, quæ pannivoris hispidula est. Cetera conveniunt. *Tertia Observatio* malo medelam parat. Vulgare contra Tineas remedium pellificibus est, excutere lanas & alia utensilia; ast non omni tempore prodest. Mense Augusto mediove Septembris rectius succedit negotium, quo circumvolitans Papilio ova peperit, quibus egressæ Tineæ infirmius panno adhærent, ast majusculæ, dum pedibus altius fixis hærent, difficilius excutiuntur. *Plinius*, vestes sepulchro impositas a Tinea immunes reddi, dixerat. *Varro*, *Aldrovandus*, *Mouffettus*, plura proponunt. Cel. Autor singularem iniit ab omnibus gratiam, veram medicationem liberaliter impertitus. Densiores telæ dentes Tineæ eludunt quidem, ast succumbunt denique. Vivas pelles, vel arte coriaria nondum induratas, non attingunt Tineæ. Suspicio fuit, pinguia aversari Tineas: hinc minus lavanda est lana; sed, fame urgente, nec pinguibus pepercit Insectulum. Unicum est remedium graveolens halitus Terebinthinæ, Spiritus vini, fumus ipse fragrantibus excitatus, quibus afflata Tinea interiisse visa fuit. *Quarta Observatio Tineas campestres* sistit, quæ folia arborum depascunt, & ex illorum membranis sibi vestem inducunt. Cum *domesticis* & operis faciendi rationem, & formam, & metamorphosin, communem habent. Ast nutritio differt; siquidem succidiore alimento vivunt. Experientiam rei habuit Cel. Autor in Tinea foliorum orni. Cum vestem sibi hæc decerneret, primum id effecit, ut per epidermidem folii parenchyma acto cuniculo subiret, totaque abscondita lateret. Nunquam totum folium ex parte ad appositam pervadit, nec ultra reticulum folii progreditur. Hinc, succo laudabili parenchymatis absumto, duplicem, in qua tanquam in duplicatura delitescebat, membranam ad usum pertraxit, rescissa dentibus æquali utrinque parte, cujus margines sericea fila, ore protracta, ulterius obfirmabant. Nunc vestita progreditur, & vestem secum trahit, quam subinde quietura subingreditur, dum exerto capite nova folia admordet. Vestem sæpius mutat, novamque ætate provectiores consuit. Inveniet curiosus oculus Tineas, dummodo

 atten-

attendat folia, aliqua ſui parte ſiccis ſimilia. Nec ſupra folium, ſed ſubtus, ineunte vere, inveſtigandæ ſunt. Æſtate enim jam transacta, metamorphoſi Phalenæ factæ, circumvolitant parvuli alites, armato ſaltem oculo conſpicui. Hinc ſatis de tempore & duratione metamorphoſeos, vel de ovulorum forma, vel de modo per hiemem durandi, nondum conſtitit Autori. Sunt & *Vermes Tineæ*, in Muſcam pereleganter mutatæ, ſalicis incolæ, quæ ſibi ex lanugine granorum ſalicis veſtem ſtruunt. *Quinta Obſervatio* agit de *Tineis campeſtribus*, quarum vaginæ horridiuſculæ varii generis ramentis ſunt conſtructæ. Singulare quid moliuntur beſtiolæ, dum ſibi non eodem folio, ſed diverſis, vaginam ſtruunt. Sunt, quæ palea granorum, ramentis foliorum geniſtæ, quercus, veſtiuntur. Xylophtoros, ſeu Ligniperda, Tinea eſt, nihil lignis nocens, parum inde decerpens. Aquatilis ea eſt, nec putridi tantum ligni, ſed aliis rerum quisquiliis inveſtita, prout vidit Cel. Autor, extractam vagina Tineam quamcunque materiem pro veſte arripuiſſe. Sunt, quæ ſabulo ſibi ſtationem conficiunt; invenias, quibus volupe eſt, muſculos parvos cochlidesque veſti apposuiſſe. Hac vagina Chryſalis fiunt, &, quia pro norma nympharum aquatilium ſorbendi aquas neceſſitatem patiuntur, non undique obdurant vaginam, ſed reticulare quoddam portæ opus prætexunt, ſicque aquis innatant, dum Muſca papilio fiant. Videas, quæ, ſaxa depaſcere creditæ, lichenes ſaltem & muſcos murorum induunt, murarias Tineas. *Sexta Obſervatione* habentur *Tinearum ſerico nidulantium* operæ, quas de ſuo, nec de foliorum ramentis, conficiunt. Squammis ſimile eſt opus, neque omni corpore iſthac vagina ſua expediuntur, ſed partem ſemper parti addunt, & pallii ſimulacrum, ſuper vagina extenſum, quandoque ferunt. Hinc per medium nymphæ ſtatum fiunt *Muſcæ papiliones. Septima Obſervatione* proponuntur exempla *Tinearum*, quæ ſuo proprio veſtiuntur ſtercore. Hoc Scarabæorum potiſſimum vermi in liliis reperto ſolenne eſſe ſolet. Scarabæus alter purpurei coloris ex nympha naſcitur, qui medius ſtatus eſt Vermis, olim ita deformis, prout Scarabæus pulcher eſt. Tribus incedit pedibus cruſtaceis & aduncis, quod Scarabæorum vermibus proprium exiſtit.

existit. Fæces, ano ejectas, circumquaque corpori admovent, & affabre contexunt, id quod dedecori ipsis magis haud est, quam gentibus, quæ boum viscera festis diebus de collo suspensa inter ornamenta habent. Alius aliquis Scarabæus, lilii albi incola, corpore rubens, reliqua niger, præterquam quod iisdem utatur sese vestiendi moribus, dum Vermis est, id singulare habet, quod subter terram lilio propiorem nympha fiat, post Scarabæus. Effossa circum terra, coccos, terrena materia, & serico, constructos, exhibet. Ovula dum ponit Scarabæus, observatum fuit, ea in Vermem mutari, nec Vermem ex ovo progredi; quod pro satis declarato agnitum haud fuit, siquidem Vermis exclusus testam ovuli sui vel depascere potuit, quod Erucæ quædam facere solent, vel vento ablata testa observatori imposuit. Novum id esset, nec tamen a probabili alienum, insecta quædam sub ovi forma nasci; sed rerum experimenta deficiunt. *Octavæ Observationis* labor est, de *Pseudo-Tineis* disserere, quæ portatiles vestas haud conficiunt, sed domicilia saltem construunt & vaginas. Mira res, imbellem isthanc Erucam (nam Eruca est sedecim pedibus instructa,) ausam esse cum bellicosa gente apum cominus pugnare, & operas earum destruere; nec tamen aliter res sese habet. Cera vivunt; hinc apiariis infestæ sunt, quæ aliquando ab his ita male habentur, ut sedem permutare necesse habeant apes. Conqueritur de hac Tinea *Virgilius; Aristoteles* Phalenæ apibus infensæ meminit. Parcunt melli, ast invadunt cellulas ceræ plenas, & quibus *apes matres* ovula deponunt. Quæ fortissimis quibuscunque inimicis pares existunt apes, nec his parcerent, nisi abundarent ingenio Tineæ, sibi vaginas comparandi, quæ aculeis apum imperviæ sunt. Duplici hæ constant strato, interno sericeo, externo cereo. Adulta Tinea progreditur; ceram depascit; ex cellula in cellulam, effracto pariete, serpit; nec vaginam derelinquit, sed protrahit & elongat. Postquam metamorphoseos tempus ingruit, nympha serico cera remixto construitur, fitque Phalena antennis granulatis, proboscide parum incurva. Dubium non est, apes hunc inermem aggredi & occidere; sed una superstes, ovulis, quibus prægnans est quamplurimis, sufficientia parit feminia, quæ apiarium de-

ſtruere poſſint. Phalena, hinc enata, reptilis magis eſt, quam volatica, neque averſatur contactum, aſt celerrimo curſu progreditur. Tineæ ejusmodi in fuci etiam ſubterranei favo reperiuntur, ſpecie ſaltem, non genere, nec moribus, diverſæ. Nam ceram itidem inſectantur & depaſcunt. Omnes ſtercora ſua, ſi penuria ingruat, denuo ingurgitant; nam cera eſſe non deſinunt, prout experimentis comprobavit Autor. Et, quamvis molliori huic victui aſſueverint, expertus tamen eſt Cel. Autor, & dura corpora his attingi, chartas, librorum involucra varia, ex quibus undique corraſis ſibi veſtes conſtruunt. Dantur & Pſeudo-Tineæ lanarum, & vellerum, & corii, quarum vivendi genus eleganter admodum deſcribitur. Pſeudo-Tinea frumentorum dira quandoque granorum peſtis eſt. Colliguntur grana plura ſerico, hinc induſium paratur. Omnes Phalenæ fiunt antennis granulatis, & proboſcide plus minus inflexa. *Nona Obſervatione* recenſetur *Pulicis* arborei vaſtiſſima hiſtoria, inſecti ſemialati, antennis articulatis præditi, parvuli quidem, aſt admirationis pleni. Sunt, qui perfectis ſucceſſu temporis fruuntur alis; hi Muſcæ Pulices, vel Pulices alati, appellantur. Habentur variorum colorum, virides, fuſci, aurantiive coloris, quibus folia arborum eroduntur & criſpantur. Quandoque & gallis divexantur, nec folium facile quis intuebitur, quod diverſam a naturali formam induxit, quin inſectulorum ejusmodi labor ſubeſſe intelligatur. Divexantur iſtis roſa, papaver, faba, ſalix, aſt colore admodum diverſis. Sociam vitam degunt, & innumerabiles una ſtabulantur mares & fœminæ. Fœminæ majores & ventre ampliores propagandæ familiæ ſtudio tenentur; aſt mirari convenit, ex omnibus inſectis alatis unicam hanc gentem viviparam eſſe. Obſervavit Cel. Autor partum in quampluribus, & armato oculo parvuli Pulicis exitum prope matris anum conſpexit. Suſpicatus id ante fuerat ex ovulorum, nullibi in tam numeroſa gente obſervatorum, abſentia, & multiplicandi ſeſe celeritate. Proboſcide armantur flexili, qua omnes tenerum arboris tiliæ vel groſſulariæ ramulum amplexantur. Denique hic inflectitur, aliquando in ſpiras contorquetur. Alia quædam Pulicum ſpecies, forma & organis nihil diſcrepans, nec multi-

multiplicandi ſeſe ratione dispar. Nam vivos parit, in eo diſcrepans a præcedentibus, quod non nuda foliis & caulibus inſit, ſed in foliorum parenchymate, exeſa epidermide, niduletur; unde, orta ſucci arborum ecchymoſi, elevantur gallæ, tubera, veſicæ, quales in ulmo & fraxino carioſas & prægrandes haud raro obſervare licet. Hactenus creditum, præeunte *Malpighio*, fuit, omnes gallas a verme ex ovo ichnevmonis Muſcæ fieri; aſt Cel. Autor clare expertus eſt, & ex analogia Pulicis arborum, aperte viventis, concluſit, viviparos etiam pulices vitio conſpurcare folia poſſe. Vidit partum matris & pullos ſeptem uno die editos. Hinc, quæ ſola, vel primogenito ſuo ſtipata, gallæ tuber occupaverat, paulo poſt numeroſam gentem condit, ſuntque ex veſiculis iſtis, quæ rubedine cocco tinctoriæ parum cedunt. Dum folia vulnerant proboſcide, ſucci dulcis ſtillicidium evocant. Hinc appetuntur a formicis, quas *Gœdartus* male Pulicum arboreorum matrem appellavit. Cum metamorphoſis & his quædam ſubeunda ſit, hinc exuvias aliquoties ponunt, & gallarum quidem incolæ ſerico, dubiæ originis, involvuntur, donec alati fiant, id quod matribus ſic non accidit, quæ ſemialatæ permanent. Aſt & alatæ diverſi ſexus exiſtunt, ſiquidem aliquas Cel. Autor & ſæpius ab eodem laudatus Academicus *Geoffroy* in partu deprehenderunt. Aſt, omnes alatos mares eſſe, Clariſſ. *Friſchius*, Berolinenſis, perhibet. Hos, dum circumvolitant, cum Culicibus confundere neutiquam decet, qui puncturis, quibus nos affligunt, ſe ſatis produnt, dum reliquæ innoxiæ circumvagantur, etiamſi formam, quæ ſingularis eſt, attendere quis nollet. *Decima Obſervatio* adducit *Pſeudo-pulices arboreos*, ficus & buxi. Omnia cum Pulicibus arborum communia habent, aſt in eo differunt, quod alas breves vagina conditas obtineant, latoque magis incedant corpore. Metamorphoſin paſſi, *Muſca* fiunt *ſaltatrix*, neutiquam cum Locuſtis confundenda, quæ alas involucro tectas habet, quo iſta caret. Generationis tamen ratio, num ovipari ſint, num vivipari, perveſtigata ſatis haud fuit. Singulare quid Pſeudo-pulices buxi moliuntur, dum glutinoſum mammæ inſtar ſuccum ano ejiciunt, & inter folia nidulantur, quæ, quando effringuntur,

tur, insectulum commonstrant, quod longam globulorum connexorum inter se seriem post se trahit, ut caudatum esse videatur, sed excrementa esse cognoscuntur dulcia & palato haud ingrata. Mutantur in Muscas saltantes. Plura exempla duobus non adducuntur. Sufficere putatur, ut quis norit, insecta, quæ proboscide succos foliorum sugunt, si quieta eodem in loco permaneant, cum Pulicibus arborum confundenda haud esse. *Undecima Observatio Vermes* Pulicum arboreorum destructores inducit. Duplex eorum classis stabilitur. Alii Vermes sunt apodes, & mutantur in muscam, alii pedibus incedunt, & vel Musca fiunt quadripennis, vel Scarabæus. Apodes inter medios pulices arboreos nascuntur, quia Musca mater instinctu naturali fertur ovula circa caules arborum, ubi pulices stabulantur, deponere, sicut aliæ Muscæ carnibus & caseis sua ovula impertiuntur. Hinc nascitur Vermis, qui parvulus jam insectatur tranquillum populum; cujus tyrannus est, adultus omnem destruit. Raro invenies Pulicum greges circa sambuci vel caprifolii ramulos, quin unus alterve colore diversus, sed forma idem, intersit. Immanem decet esse bestiam tantillis insectis, quæ integra tricuspide lingua transfiguntur, manducantur, deglutiuntur, & denuo exhausto succo exspuuntur exuviarum forma. Albi coloris vermes, armato oculo considerati, cum transparentes sint, eorum omnium, quæ intra se fiunt, jucundum spectaculum præbent, matres etiam gravidas devorant, quarum fœtus gula descendere devorantis belluæ visi sunt. Mutatur exsatiatus Vermis in Muscam vespæ corpore, bipennem. Sunt & alii Pulicum arboreorum hostes. Ferocior reliquis est *Leo pulex*, ideo dictus, quia *Formicæ Leoni* haud multum absimilis est. Sex incedit pedibus, & parvos pulices misere mulctat. Hinc cito adolescit, mutaturque in Muscam quadripennem, corpore & ala viridibus. Huic id singulare est, quod ovula sua de arborum foliis pendula, & sericeo filo annexa, habeat, quo avidus quis effici posset sciendi, cui volatili insecto mirabilis ejusmodi effectus debeatur. Denique & Vermis Pulicum devorator adest, qui in Scarabæum hemisphæricum permutari solet. Singularis formæ est Vermis Hystrix, a spiculorum, quibus munitum obtinuit

nuit corpus, multitudine ſic appellatus, qui itidem in Scarabæum parvum lentiformem, per medium nymphæ ſtatum, commutatur. *Duodecima* denique *Obſervatio* arborum herbarumque excreſcentias, quas gallas appellant, & inſecta, iisdem innata, & metamorphoſin intra easdem paſſa, ſpectat. Excreſcentiæ arborum variis & vix determinandis ludunt diverſitatibus. Sunt, quæ fructum, ſunt, quæ florem mentiuntur. Omnes, ratione ſtructuræ & incolarum in tres claſſes poſſunt dividi. Aliæ ſcilicet unica cavitate unum inſectum, aliæ una cavitate indiviſa plura inſecta, in ſocietate viventia, aliæ denique, cavitate cellulis diviſa, plura equidem, aſt diverſis ſtationibus habitantia, inſecta continent. Ceteroquin & forma differunt gallæ, ex arboribus vel plantis enatæ, poma æmulantur, ceraſa pedunculis dependentia, racemos uvarum, ſtrobilos pini, fructus caſtanearum hiſpidos. Gallæ omnes, quodſi integræ adhuc fuerint, nullo foramine pertuſæ, ſupereſſe inſectum, vermemque metamorphoſin ſuam nondum paſſum, indicant, aſt foramine patentes, peractam metamorphoſin, & evolaſſe muſcam, ſubinnuunt. Unum foramen unica ſtatione, plura pluribus, conſtitiſſe gallam, docent; aſt non omnes vermes intra gallam mutantur. Sunt, qui imminente metamorphoſi elabuntur, & nympham alibi ſubeunt, quæ res obſervationes (nam vermis muſca duabus aut quatuor alis futura eſt,) tantillum turbavit. Fieri etiam quandoque ſolet, ut eadem galla & quadripennis & bipennis muſca evolet, quæ duo eadem matre ſatæ eſſe nequeunt. Hinc declaratum eſt, dari vermes voraces, qui a matre muſca, aculeo prædita, quo perforare gallam poſſit, in gallam demittuntur. Hinc uterque vermis, alter incola, alter deſtructor, qui unum tamen alterumque ex indigenis ſuperſtitem eſſe paſſus fuit, nymphæ ſtatum medium tranſegerunt una. Gallæ una cavitate præditæ incolam plerumque habent Pſeudo-Erucam. Hanc alius Vermis carnivorus inſectatur; unde facile quid pro quo, invaſor pro hoſpite, agnoſci poteſt. Tale quid evenire ſolet in fungo cynosbati nobis dicto, rectius galla crinita & odorata cynosbati, (Germani appellant *Schlaff-Kautzen*, quia inter ſoporifera officinis eſt,) ubi plures ſpecie diverſæ muſcæ & inter alias auro relu-

cens & versicolor Musca, quam *Menzelius Obs. Curios. Nat. Anni II Decade II Obs. 10* tantopere admiratus est, eadem galla evolant; ubi ignoratur, qualis ex verme indigena sit, magna certe isthæc *Menzelii* nativa non est, sed ichnevmon, musca, insectorum omnium tyrannus. De Gallinsectis, aut excrescentiis arborum animatis, in *quarto Volumine* dicturus est Cel. Autor, quod generalem muscarum omnium, & specialem muscarum bipennium, historiam recensebit. Propitia fata & manentem incolumitatem Doctissimo Autori comprecamur, quo desideriis omnium, exhausta totius Historiæ naturalis vastissima parte, satisfacere possit.

COURS DE CHIRURGIE, &c.

h. e.

CURSUS CHIRURGICUS, IN SCHOLA medica Parisiensi dictatus per M. ELIAM COL DE VILARS, Doctorem medicum, Ordinis Medicorum Parisiensium Veteranum Professorem Chirurgiæ, lingua Gallica docentem.

Tomi II.

Parisiis, apud Joh. Baptist. Coignard, & Antonium Bondel, 1738, 8.

Tom. I plag. 21, Tom. II plag. 17.

Præmittuntur morborum chirurgicorum summa capita. Morbi partium vel situm earundem lædunt, sive fractæ laxatæque fuerint duræ, sive prolapsum patiantur molles in herniis, uterique statione mutata, vel æqualitatem, conformationem, magnitudinem, numerumque, offendunt. Ast ipsi morbi, quod ad formam internam, prout etiam in Pathologia medica docetur, vel idiopathetici sunt, ex visceris labe & contentorum vitio, vel sympathetici, ob nexum vasorum. Ceteroquin essentiales morbi & primarii a symptomatibus, seu accessoriis, magnopere differunt, sicut symptoma, sublato primario morbo, aliquando remanere, vel symptomatis novum ail-

aliquod symptoma esse, fuevit. Ratione durationis & moræ acutissimos, peracutos, acutos, & chronicos, habemus, sicut modus invadendi corpora id involvit, quo vel endemicus, provinciisque certis proprius, vel epidemicus, & de loco in locum grassatus, aliquis sit. Aliis hæreditarius morbus est, aliis accessorius. Causæ morborum aliæ longo antevertunt tempore, procatarcticas puta, aliæ propiores sunt effectui, aliæ proximæ. Sunt, quæ morbum indicent, quæ causam, vel symptomatis indolem. Alia clara sunt & evidentia, univoca, alia cautioni subjacent, æquivoca. Nec minus signa vel præteritum statum, *anamnistica*, vel præsentem, *diagnostica*, intendunt. His rite perspectis, destinatur ad agendum Medicus indicationibus, quæ sunt totidem syllogismi practici. Indicans præmissa est, indicatum medius terminus. Ast, dum in deliberando versatur animus, habet quandoque, quæ contrarium suadere possint, argumenta. Hæc contraindicationes appellamus. Utrinque scimus, quid faciendum sit, quid omittendum; habenturque ex hoc fonte consilia chirurgica, remedia interna & externa, quæ topica dici solent, itidemque operationes chirurgicæ, & necessarium his omnibus vitæ regimen, seu diæta. Componit Chirurgus synthesi diversa, aufert exæresi peregrina, apponit interdum prosthesi ablata, infundit vel transfundit humores, prout commodum, & ex rei natura, videtur. In tumoribus describendis totus est Autor. Alii dolent, alii minus, & in humorum stasi versantur. Omnium diversitates pro circumstantiis variæ sunt. Pro eventu benigni sunt vel maligni, pro resistentia molles vel scirrhosi, pro parte affecta glandulosi, tendinei, vasculares, sive materies sit peregrina, tophus, sive nobiscum nata, sanguis aut tumor. Tumores omnes, prout causa diagnosique vel prognosi differunt, ita haud uno modo solvuntur. Alii resolvuntur, & in sanguinem abscedunt, alii suppurantur, alii sinistro eventu putrescunt, sphacelus fiunt, seu necrosis, aut scirrhus cum gangræna. Tum & symptomata variis contingunt varia, tensio, inflammatio, pulsus frequens, dolor, febris, convulsio. Indicatis his omnibus, opponit remedia efficaciora, prophylactica vel curativa,

alia chirurgica, venæ ſectionem, & ſcalpellum, pro incidendo vel exſcindendo, alia medica, diſcutientia, reſolventia, ſuppurantia. Speciatim phlegmone cutim invadit, cutisque muſculos cum febre maligna. Externæ cauſæ variæ ſunt, refrigerium, animi pathemata, excretiones læſæ. Remedia ſunt, quæ ſudationem præſtant, externe ſuppurationem provehunt, vel diſcutiunt, ſi conſilio iſti locus eſt. Phlegmone glandulas invadit aliaque viſcera, hinc œdematoſus eſt, ſcirrhoſus etiam; aſt bubo in glandulis conglobatis plerumque ſubnaſcitur, eo periculoſior, quo vaſis nervisque majoribus vicinus magis eſt. Hos peracutos habemus, peſtilentiales, acutos ſaltem, venereos, aut innocentes etiam, a conſenſu ortos, neutiquam confundendos cum bubonocele. Oedema glandularum colli bubo eſt, dum furunculi & dracunculi, itidem genus glanduloſum, invadunt. Vena medinenſis, quam chordam polypoſam appellant alii, ſingularis tumoris genus eſt, periculi plenum. Terminthus eſt tumor terebinthi fructus forma. Perniones frigore contrahuntur: panaris ſeu paronychia tendinum in maſculo digitorum morbus eſt, eo periculoſior, quo magis tumore caret, dum pus ad vaginam tendinum redundat. Ab externa quadam injuria ſi inflammatio ingruat, effuſo intra vaſa ſanguine, ecchymoſis dicitur. Singularis momenti eſt anevriſma, *verum*, dilatata arteria, & in magnum pulſantemque tumorem elevata, *ſpurium*, ſi, rupta arteria, ſanguinis ſub cute copia effundatur. Eryſipelas cutim majori cum impetu invadit, nec aliter, niſi vel febris atrocia, vel profunditate, qua cutim & pinguedinem penetrat, a phlegmone differt. Eo periculoſius, quo magis viſcera vitalia prope accedit, cujus potiſſimum regreſſus ad interiora metuendus eſt. Sunt præterea particulares cutis inflammationes cum humoribus vel puſtulis. Herpes miliaris pro forma vel farinaceus eſt, vel cruſtaceus, qui, ſi magnopere cutim rodat, ἐσθιόμενος, ſeu pruriginoſus, appellatur, ſicut eryſipelatis ſpecies ſunt roſa erratica, vel quæ corporis habitum zonæ in modum ambit, unde & zona dicitur. Non longe ab iſtis affectionibus recedit ſcabies, ejusque ſpecies, *ſicca* vel *humida* ſcabies, quæ haud raro & maligna evadit,

evadit, & relapſu nocet. Atrociora his omnibus mala ſunt lepra, antiquum morbi genus, in cujus locum nunc pejor labes, lues venerea, ſucceſſit, ferale donum, quod nobis India miſit. Non procul ab his abeſt elephantiaſis, leontiaſis, ſatyriaſis, quorum indoles putredo partium eſt, ſicut & impetigo & lichen, ſeu mentagra, eidem affines ſunt morborum familiæ. Tinea capitis puerorum anceps interdum morborum genus eſt, aſt, caute perſanatum, in ſalutem cedit. Efflorescunt hæc omnia in cute, nec levis eſt ſuſpicio, vermes ſubeſſe, ſicut ſironum exemplum clare docet, itidemque gutta roſacea, faciei inimica. Hæc ſuppurationi obnoxia ſunt, ſecus ac ephelides, epinyctides, vel maculæ hepaticæ. Præterea tumores cutim deturpant humidi, quos œdematis nomine inſignimus, quamvis videre liceat, qui utrinque participant & inflammantur, prout ſunt œdemata phlegmonodea. Hydrops ipſe, ſummum tumoris genus, hic in cenſum venit, cum ſubalternis ſpeciebus, hydrocephalo, thoracis hydrope, hydrocele, aliisque. Tumor equidem eſt ſcirrhus, aſt gangrænæ propior; quapropter ille ſemper, ſive in partibus externis, mamma, ſive internis, hepate, aliisque viſceribus, metuendus magnopere eſt. Glandulis potiſſimum infeſtus habetur, unde & ſcrophulæ colli, vel parotides, quos & inflammatos, & ſuppuratos, habemus. Leviora his mala ſunt grando, hordeolum, clavi pedum. Opponuntur omnibus efficaciora remedia, chirurgica, vel therapevtica. Deſideramus varia, quæ Cl. Autor nondum attigit, ſuo tempore addenda.

DISCOURS SUR LES ANCRES, &c.
h. e.
DISSERTATIO DE ANCORIS, QUÆ præmiorum, ab Academia Scientiarum Regia Pariſienſi ad A. 1737 propoſitorum, primum tulit; Autore JOANNE BERNOULLI, J. U. Doctore.

Pariſiis, 1737, 4.
Plag. 4, cum Tabb. æn. 3.

 Placuit

Placuit illustri Academicæ Scientiarum Parisiensi, quod jam A. 1735 Geometris publice proposuerat de ancoris problema, annis duobus elapsis, sed in tria quasi divisum, iterum proponere. Primo enim examinandam exhibuit optimam ancorarum figuram, secundo optimam easdem fabricandi rationem, tertio, quæ optima sit virtutem ancoræ experiundi ratio, quæsivit. Primam præcipue quæstionem solvere aggressus est Cl. *Jo. Bernoulli*, filius, in ea, quam hic exhibemus, Dissertatione, atque tam felici successu rem expedivit, ut præmium ipsi ab Academia fuerit decretum. Quatuor sunt, quibus ancoræ virtutem Cl. Autor absolvi existimat, primum, ut ea facillime sidat, alterum, ut firmissime subsistat, tertium, ut quam difficillime rumpatur, quartum, ut omni etiam inflexioni quam maxime resistat; &, cujus ancoræ figura maxime sit idonea, quæ hæc quatuor una impetret, eam optima figura præditam esse, judicat. Ad id, ut ancora facillime sidat, requirit quidem ante omnia, ut, simul ac jacta fundum maris attingit, cuspidum, extremis dentium ancoræ affixarum, altera in fundum maris penetret; id quod neque semper, neque in omni ancoræ situ æque facile, contingere constat. Quo tamen consilio effici possit, ut dentium alter statim eo in situ fundum attingat, qui ad cuspidem infigendam maxime idoneus sit, id hic docere non est ausus. Sed, ubi semel in terram penetravit ancora, dispiciendum præterea est, qua ratione profundius, tantaque vi, quanta fieri potest, in ea possit defigi, dum navis vento, qui, velis licet contractis, eandem continuo urget, aut fluctibus etiam, impellitur. Ad id autem primo facit ipsum ancoræ pondus, quo ea ventorum fluctuumve in navem impulsui resistit. Quod quia nequit a priori definiri; Tabulam Autor exhibet, in qua pondus & longitudo ancoræ sacræ secundum latitudinem navis suæ, experientiæ & usui nautarum convenienter, determinantur. Deinde, præter ancoræ pondus, huc etiam facit anguli, sub quo cuspis fundum maris attingit, obliquitas, utpote quæ in causa quoque est, ut, quo fortius navis impellitur, eo profundius ancora in terra possit defigi. Ut itaque

itaque Cl. Autor quantitatem anguli illius determinaret, ſub quo denti ſuo afferruminata cuſpis quam facillime, quam profundiſſime, & quam maxima vi, poteſt in terra defigi; quæſivit primo univerſaliter vim, quæ ad cuſpidem ſub angulo quovis variabili terræ infigendam impenditur, hanc deinde vim *maximo* poſuit æqualem, quo facto, ſtatim invenit, ſinum anguli quæſiti coſinui ſuo æqualem, ideoque ipſum hunc angulum ſemirectum eſſe. Suppoſuit in hac ſolutione fundum maris horizontalem, tum quod plurimis in locis talis eſſe ſolet, tum quod alius ipſi ſitus cum ratione ſufficiente tribui nequit. Suppoſuit etiam directionem virgæ, ipſique alligati ancoralis, horizonti parallelam, quod quidem exacte verum non eſt, pro vero tamen poterit haberi, ſi ancorale ſatis extenſum, & in relatione ad maris profunditatem ſatis longum fuerit. Hinc, cum, & ob dictam rationem, & ob vincendum fluctuum ventique impetum, ancoralia tam longa parentur, quam ceteris paribus licet; admodum vero longa pondere ſuo navem nimis eſſent oneratura: jubet plures parari funes, quorum ſingulorum longitudo 20, 30, aut 40, pedes exæquet, atque ex his, per elaſtra ferrea ſatis valida junctis, funem ancorarium componi; quo ipſo obtinebitur, ut neque nimis longum & grave fieri debeat ancorale, neque tamen juſto brevius ſit, (quia elaſtris tenſis ipſum extendi poteſt,) neque vel maxima ventorum fluctuumque navem impellentium vi facile queat disrumpi. Sed, ut ad id redeamus, unde divertimus, patet quidem, ſi cuſpis dentis facillime in fundum maris penetrare debet, directionem ejus cum fundo angulum ſemirectum debere comprehendere: verum enim vero, quia præterea requiritur, ut ancora, ubi ſemel ſiderit, firmiter etiam ſubſiſtat, bene monet Autor, eum in finem angulum iſtum ſemirecto paulo majorem fieri debere. Nam, quo majorem reſiſtentiam cuſpis in terram infixa offenderit, eo firmius in eadem ſubſiſtet: reſiſtentiam autem offendet eo majorem, qua major fuerit angulus, ſub quo in fundum maris penetravit; id quod Autor tum experimento, tum inde, quod reſiſtentiæ ſint in duplicata ratione ſinuum inclinationis, confirmat. His expoſitis, quæ ad ſitum cuſpidum dentibus ſuis afferrumina-

minatarum attinent, & ad id conducunt, ut ancora facillime fidere, atque firmissime subsistere, possit, pergit Autor ad id, quod in hoc problemate præcipuum est, videlicet ad determinandam figuram, qua præditi esse debent ancoræ dentes, ut omni tam infractioni, quam inflexioni, quam fieri potest validissime, resistant. Qua in disquisitione ita procedit, ut primo in eam dentis figuram inquirat, qua, ne is facile rumpatur, caveri potest, deinde in eam, qua aptus reddi potest, ut omni inflexioni resistat, denique ut dispiciat, qua ratione jungi hæ duæ figuræ debeant, ut utrumque commodum obtineatur. Et primo quidem ostendit, materiam dentis in ejusmodi figuram esse disponendam, ut ubivis eandem habeat vim resistendi, ideoque sectiones ejus ubivis æquales esse non debere, sed majores versus virgam, minores versus cuspidem. Hinc facile patet, superficiem dentis curvis terminatam esse debere, quas ut determinaret Cl. Autor, rem ita aggressus est. Dentem, cujus alterum extremum in terra defixum, alterum cum virga ancoræ commissum est, spectavit instar tigni horizontalis D N A, cujus alterum extremum F M muro verticali insertum, alterum D pondere C onustum; rectangulum e c est sectio verticalis hujus tigni, qui ponderi C ubivis æquali vi resistit, $b\,e$ est profunditas variabilis hujus tigni, $b\,c$ vero latitudo ejusdem etiam variabilis, A D denique ejusdem longitudo, & axis communis curvarum profunditatis D e F & latitudinis D c M. Curvæ igitur D e F ea esse debet natura, ut in quovis axis puncto, veluti b, momento potentiæ in D applicatæ æquale sit momentum vis, qua tignus in loco sectionis $e\,c$ infractioni resistit. Quare, positis longitudine trabis $AD = a$, $Ab = y$, profunditate $be = t$, latitudine $bc = z$, pondere $C = p$, erit æquatio ad curvam D e F, $ztt = p\,(a - y)$, in qua indeterminata z adhuc quidem arbitraria est, sed per aliam dentis conditionem, ut mox patebit, determinanda. In hac exterioris figuræ dentis determinatione supposuit Autor interiorem ejus figuram, quæ nempe virgæ obvertitur, planam. At vero, quia dens ancoræ ea præditus esse debet figura, ut per eam non infractioni solum, sed omni etiam inflexioni, quam maxime resistat, interior

TAB. II Fig. 1.

ejus

TAB. II ad Nova Acta Erudit. A. 1739 Mens. Mart. P. I. pag. 128. 129. 133





ejus superficies D M A plana esse nequit. Qualis autem curvatura huic dentis superficiei competat, Cl. Autor hoc modo disquirit. Primo mente concipit, dentem ancoræ in terra defixum perfecte flexilem, sed in duobus extremis suis fixum esse, eumque per resistentiam terræ, contra quam continuo urgetur, dum ancorale, virgæ navique alligatum, ventorum fluctuumque impetu extenditur, eodem modo flecti & incurvari, quo velum quoddam pressione fluidi incumbentis, aut venti irruentis impetu, incurvari solet; deinde, ubi dens hoc modo inflexus in statum maximæ incurvationis pervenerit, intelligit, ipsi suam rigiditatem restitui: unde manifestum est, concavam, quam tunc dens obtinuit, figuram eam esse, quæ quæritur. Atqui, cum resistentiæ terræ, quas dens infixus in singulis suis punctis offendit, sint in duplicata ratione sinuum inclinationis, demonstrat inde, supposita latitudine superficiei dentis interioris constante, eandem ipsi competere curvaturam, quæ curvæ est, quam *catenariam* appellant; neque id ratiociniis solum ostendit, sed experimento etiam ingeniose excogitato confirmat. Quodsi vero non constans supponatur interioris superficiei latitudo; tunc figura illi competens infinite quidem multis modis poterit determinari, catenariæ tamen curvaturam iterum obtinebit, si latitudines ea lege variabiles assumantur, ut quantitatibus $aa-yy$ semper sint reciproce proportionales. Sed universaliter curvam, ad quam interioris superficiei dentium concavitas est effingenda, Cl. Autor hac ratione determinat. Sit H B C curvatura concavæ dentis superficiei, cujus axis virga ancoræ esse intelligatur, H extremitas virgæ, ubi dens cum eadem jungitur, $HE = x$, $EB = Ab = y$, $BH = s$. Posita ds constante, erit ex theoria *velariarum*, si HC aut nullam aut constantem latitudinem habuerit, $\frac{-ddy}{dx} = \frac{dy^2}{ds}$. In nostro autem casu superficies concava HBC latitudinem bc variabilem habet, quæ sit $= z$: ergo nunc erit $\frac{-ddy}{dx} = \frac{dy^2 z}{ds}$. Qua æquatione legitime integrata & reducta, habetur hæc æquatio

TAB. II Fig. 2.

tio

tio pro curva HBC, $\frac{dk}{\sqrt{[(szdx)^2-1]}} = dy$. Diximus jamjam, indeterminatam z arbitrariam esse. Quare non alia re opus est, quam ut pro z sumatur ejusmodi ipsius x functio, qua alterum hujus æquationis membrum integrabile reddi possit: & sic curvam HBC algebraicam fieri, manifestum est. Quod denique exinde reliquæ indeterminatæ y & t in æquatione ad curvam profunditatum D e F supra exhibita determinari possint, per se facile patet. At vero, quia y non minus, quam z, arbitrariæ est determinationis, monet Cl. Autor, z magis commode ex y, pro arbitrio assumta, determinari. Et hinc palam est, interiori dentium superficiei concavam figuram quamlibet dari posse, salvis præcipuis illis duabus ancoræ virtutibus, quarum statim ab initio mentionem fecimus. Capiatur enim e. g. $y = \sqrt{2cx}$, (c est constans arbitraria,) hoc est, fiat concava dentis superficies figuræ parabolicæ, per hanc æquationem $yy = 2cx$ expressæ. Itaque erit $\frac{cdx}{\sqrt{2cx}} = \frac{dx}{\sqrt{[(szdx)^2-1]}}$, & hinc $z = \frac{1}{\sqrt{(yy+cc)}}$ atque $t = \sqrt{(\overline{pa-py} \times \sqrt{\overline{yy+cc}})}$. Quare, si dentem ancoræ hac ratione paraveris, ut interior ejus superficies curvaturam habeat parabolicam, per hanc æquationem $yy = 2cx$ expressam, latitudinem vero quantitati $\sqrt{(yy+cc)}$ ubique reciproce proportionalem, profunditas autem dentis ubique sit quantitati $\sqrt{(\overline{pa-py} \times \sqrt{\overline{yy+cc}})}$ proportionalis (p hic notat vim, quæ in cuspidem dentis agit,): dentem habebis ita comparatum, ut infractioni ubique æquali vi resistat, ulterius autem inflecti plane non possit, ideoque iis, quæ desiderari possunt, virtutibus præditum.

Sic itaque solutum dedit Cl. Autor primum, quod illustris Academia proposuerat, problema; alterum vero plane intactum reliquit; tertium leviter tantum attigit. Nimirum optimam rationem vim ancoræ experiundi hanc censet, ut parva fabricetur ancora, figura & dimensionibus supra indicatis prædita, & alteri dentium extremo pondus appendatur, idque con-

continuo augeatur, donec dens ancoræ ruptus fuerit. Nam, quoniam potentiæ *p*, quas duæ ancoræ ſimiles, licet diverſorum ponderum, ſuſtinere poſſunt, in duplicata ſunt ratione homologarum dimenſionum, ex vi parvæ ancoræ, dicto modo determinata, vim quamvis magnæ colligere licebit. Veluti ſi parva ancora, quæ 1 ℔. ponderet, pondus ſuſtinuerit 400 ℔. major ancora, 8000 ℔. ponderans, pondus 160000 ℔. ſuſtinebit. Quanta autem vi urgeatur ancora, dum navis in violentiſſima tempeſtate maximo ventorum fluctuumque impetu agitatur, id experientia debet docere. Denique ſub finem Diſſertationis Scholium annectit Cl. Autor, quo oſtendit, ancoram ita poſſe parari, ut, licet non majorem materiæ quantitatem in ſe contineat, majori tamen vi valeat reſiſtere; nempe ſi latitudines dentium *z* minuantur, & profunditates *t* augeantur, ea tamen lege, ut craſſities dentis, ſive ſectio ejus *zt*, ubique conſtans maneat. Caveri tamen debet, ne nimis imminuantur dentium latitudines: quia, ubi juſto minores fuerint, facile accidet, ut dens in terra defixus aut huc vel illuc terræ reſiſtentia inflectatur, aut non ſubſiſtens in fundo maris eodem modo ſulcos ducat, quo in arvo lacunas aratrum vomere facit.

ECLIPSIS SOLIS, DIE XV AUGUSTI Anno MDCCXXXVIII obſervata Viennæ Auſtriæ poſt ejus initium.

Denſæ hodiernæ nubes omnem nobis aditum ad exſpectatum phænomenon diu præcluſerant; ſed, flante occidentali vento, Sol poſt horam undecimam conſpici potuit, & occidentem verſus ultra digitum jam deficiens. Mox tamen alia ſuccedebant nubium obſtacula, quibus paulo ante meridiem fere dilutis, ad ſpectaculum accedere licuit.

In ipſa itaque conſueta meridici obſervatione quadrante fixo (cujus radius 9 & tubus dioptricus 10 ped.) ſpectabatur in campo micrometri limbus orientalis Lunæ *a m b*, ſecans occidentalem Solis limbum *a n b* in *a* & *b*.

Temp. ver.				Alt. visa	G.	′	″
H.	′	″					
11	58	55	appulsus disci ☉ - - -		56	11	
			& puncti *a*. - - -		55	53	30
	59	49	puncti *b*. - - - -		55	39	30
1	1	6	exitus disci ☉, diam. - -			31	45
	20		defectus dig. 2 56′ australis				
			chorda defectus *a b* - -			18	5
			a r differ. adscens. punctorum *a* & *b*			13	6
			b c dist. limbi ☽ or. a meridiano - -			2	40

maxima obscuratio d. 3 15′, cujus momentum præcise determinari non poterat ob insensibilem variationem per integrum fere quadrantem.

					G.	′	Alt. visa.
0	55	30	- - dig.	2 56			
1	4		- - - -	2 12			
	9		- - - -	1 45			
	19		- - - -	1 12	41	18	limb. ☉ sup.
	31	5	finis Eclipsis		40	43	inf.

Quantitas defectus *m n* in transitu Solis per Meridianum determinata non fuit; quia sensibiliter variabatur, & lubricum foret, ex chorda *a b*, atque modica sagitta *k m*, in diametrum lunarem inquirere. Datur autem ex calculo ejusdem Eclipsis semidiameter lunæ 15′ 22″, &, arcubus ex *a* & *b* hoc intervallo descriptis, elicitur in communi sectione *L* locus visus centri Lunæ in momento Meridiei. Deinde a centro *S*, radio *S q d* (sive aggregato distantiæ limbi Lunæ a centro Solis in obscuratione maxima & semidiametri Lunæ,) descripto arcu *d b*, quem tangat *L d* producta in *f* usque ad arcum *f g*, ductum pariter a centro *S* semidiametro penumbræ *S f*, habetur semita Lunæ *L d f*, a meridie usque ad finem Eclipsis. Demum *L f* secta in partes 91, quot nempe fluxerunt minuta temporis per *L f*, scalam præbet idoneam momentis phasium determinandis. In hac enim invenitur L d, tempus obscurationis maximæ 31′, *L e*, tempus appulsus ☽ ad verticalem ☉, 52′, *L e*, mo-

momentum initii Eclipsios, 30′ *a. m* &c. quæ quidem observationi habitæ congruunt, & cum iis proxime consentiunt, quæ Cel. *Manfredius* in suis Ephemeridibus de hac Eclipsi nobis annuntiaverat.

Schema hujus Eclipsios *Tabulæ II Figura 3* exhibet. TAB. II Fig. 3.

POSTREMÆ ALIQUOT ECLIPSES PRIMI & secundi Satellitis Jovis, observatæ Viennæ Austriæ tubo ped. 17.

1738. Julii	H	′	″	Alt. visa	G	′	″
d. 3. mane	1	45	39	culminabat α Cygni - - - - -	86	9	30
cœlo sereno	2	13	55	immersio I Satel. observatio nonnihil dubia.			
& placido.	6	53	48	culm. ♃ - - - - -	53	0	30
d. 10. M.	4	5	36	im. I Satel. nonnihil incerta, orto jam Sole.			
19. M.	0	27	36	im. I Satel.			
	0	40	42	culm. α Cygni - - - -	86	9	30
Aug.	0	26	15	culm. α Cygni - - - - -	86	9	30
d. 7. M.	2	56	56	im II Satel.			
cœlo prorsus	4	45	25	culm. α ♈ - - - - -	64	1	
sereno & tranquillo.	4	46	57	culm. ♃ - - - - - -	52	2 limb. sup.	
d. 11. M.	0	39	18	im. I Satel.			
cœlo sereno	4	30	7	culm. α ♈ - - -	64	0	30
flante Borea.	4	32	13	culm. ♃ - - - - -	52	4	30
d. 18. M.	2	34	17	im. I Satel.			
cœlo sereno.	4	3	57	culm. α ♈ - - - - -	64	1	10
	4	6	36	culm. ♃ - - - - -	52		7
Sept.	0	55	40	im. I Satel. observationi non obstitit Lunæ vicinia.			
d. 3. M.	3	5	25	culm. α ♈ - - - - - -	64	0	45
cœlo sereno	3	6	53	culm. ♃ - - - - -	51	56	
& quieto.	3	34	55	culm. ☽ limb. or. - - -	50	11	30 limb. sup.

FRANCISCI CAROLI CONRADI, IN ACAdemia Julia Jurisconsulti, Parerga, in quibus Antiquitates & Historia Juris illustrantur, varia Juris

Civilis, aliorumque Autorum, loca emendantur, explicantur. Liber ſecundus.

Helmſtadii, ſumtibus Chriſt. Frider. Weygandi, 1737, 8.
Plag. 12.

Facti ſumus votorum compotes, & nobiſcum illi omnes, qui juſtum elegantiori Jurisprudentiæ pretium ſtatuunt, dum *alterum Parergorum Librum* a Cel. *Conradi*, inſigni Academiæ Juliæ ornamento, haud ita pridem accepimus. Quam laudem quondam a Lectoribus *prioris Libri* capita tulerunt, eam profecto præſentis etiam argumenta ſingula merentur, propterea, quod tanta ubique doctrinæ exquiſitiſſimæ ubertas, tanta rerum antiquarum peritia, & cum ſcriptoribus vetuſtis familiaris conſuetudo, hinc eluceat, ut nemo ſit futurus, qui non Germaniæ politiſſimum hunc civem, & ſeculo præſenti magnum hunc elegantioris doctrinæ vindicem, gratulandum putet. Exhibet hæc altera nobiliſſimi laboris pars *Diſſertationes ſex*, quarum *prima* inſcribitur: *de Coemtionibus, ſacrorum interimendorum cauſa factis.* Hæreditates apud Romanos graviſſimo cum onere conjunctæ olim fuerunt, quod ſacra defuncti domeſtica hæres recipere teneretur. Iſtis enim *feriæ* & *cerimoniæ*, uti *Tullius* loquitur, *erant adſcriptæ*, quæ ſine magnis ſumtibus inſtitui vix poterant. Intererat ergo reipublicæ, ut excogitaretur modus, quo hæredes illa ſacrorum moleſtia liberari poſſent, &, quod ſuperſtitio pati non videbatur, fraude erat tentandum. Invenerunt ſcilicet JCti coemtionem ſacrorum, a ſenibus peragendam, cujus ritus memoriam *Cicero* nobis, quamvis non adeo perſpicue, ſervavit. Ejus ſane verba, quæ huc pertinent, vehementer exercuerunt interpretes, quos cum cura attulit Conſ. *Grupenius* in eleganti *de Uxore Romana* libro, *pag. 245.* Eorum nonnulli Oratorem, coemtionis, interimendorum ſacrorum cauſa, mentionem injicientem, de conventione in manum, quam coemtione uxoris ſolenni factam apud Quirites novimus, intelligendum eſſe, exiſtimarunt. Aſt, quam parum recte hoc ſeſe habeat, oſtendit Conſ. Autor, ſimulque probabiliorem longe conjecturam pro-

profert. Nimirum, fingendum fuiſſe modum, ait, quo bona ad hæredem non viderentur perveniſſe *morte teſtatoris.* Quærendus igitur erat familiæ emtor, qui, dicis gratia, addita tamen lege, ut ille, qui hæres in tabulis ſcriptus eſſet, bona conſequeretur, hæreditatem ære ſibi & libra compararet. Quod ut procederet ex animi ſententia, hæredes, JCtorum conſilio, res, quæ in hæreditate erant, ab emtore ſtipulabantur ſibi, ut non ex teſtamento, ſed ex ſtipulatione, eas acciperent. Ita autem eveniebat, ut totum ſacrorum onus maneret apud hæredem imaginarium, familiæ mancipem, qui ſenex eſſe ſolebat, isque liberis deſtitutus, & de hærede ſibi exſtituro parum ſollicitus. Et ſoli quidem ejusmodi conditionis ſenes, dato aliquo lucro, certaque ad impenſas, ſacrorum cauſa ferendas, pecunia, invitari poterant, ut plures emerent familias, quarum ſacra, interitura ſecum, ad breve tempus curarent. Nulla igitur alia ratione hæres ab incommodo longe graviſſimo liberabatur. Nam teſtamento per æs & libram condito neutiquam interimebantur ſacra, quod præſtantiſſimus Autor cum Celeb. *Schwarzio*, in Diſſert. *de Sacrorum deteſtatione* §. 9, contra *Gutherium* ſolide commonſtrat. Nihil autem cum his ſenibus, qui familiæ dicebantur emtores, commune habent *ſenes* illi *coemtionales*, quorum a *Curio* in *Ciceronis Epiſtol. ad fam. VII*, 29, & *Plauto*, mentio facta. Iis potius viliora intelliguntur mancipia, quæ, cum per ſe non reperirent emtores, aliis, ad majorem dominorum utilitatem aptis, adjungi, auctoque eorum pretio ſimul venire, ſolebant. Excipit hanc non minus inſignis, & ſelecti, quod nemo adhuc data opera pertractavit, argumenti, Commentatio, *de minima capitis deminutione.* In ea, explicatis primum vocibus, minima capitis deminutione amiſſam eſſe familiam, cujus vocis duplex eſt ſignificatio, oſtendit, emancipatosque capite minutis annumerat, propterea, quod familia, quam communi habebant jure, excidebant. Quibus erudite expoſitis, legibus nonnullis lucem accendit clariſſimam. Sic in *l. 3* §. *1 D. de Cap. minut.* JCtus neutiquam docet, in emancipatione non eſſe aliam, cur deminutio dicenda ſit, cauſam, quam a ſervitute derivatam, quin

potius,

potius, per venditionem imaginariam & manumissionem in emancipatis *capitis minutionem manifesto accidere*, ait, id est, per solennitates eas civiles, servitutis præ se ferentes imaginem, in hominum oculos incurrere: neque ex *l. 2 §. 2 D. eod.* cujus verum Noster sensum feliciter eruit, colligi cum *Cujacio* debet, fœminas, quæ in manum convenerant, nullo modo contrahere potuisse, ideoque verbis *Ulpiani: Sed interdum, si contrahatur*, &c. exceptam significari illam capitis deminutionem, quæ per conventionem in manum fiebat. Mulieres enim apud maritum loco filiarum familias erant, quas civiliter obligari, & ex earum contractibus contendi potuisse adversus patrem actionibus iisdem, ac ex contractibus filiorum familias, vocatis aliis in subsidium legibus, ab Autore probatur. Quid sibi velint in *l. 10 D. d. t.* verba: *Tale legatum*, (i. e. habitatio legata,) *in facto potius, quam in jure, consistit*, eleganter interpretatur, ac deinde, *l. 7 pr. D. eod.* quæ tot eruditis viris crucem fixit, emendatione indigere nulla, si *Basilicorum* adhibeatur *Scholiastes*, commonstrat egregie. Tandem injuriam *Triboniano*, ejusque adjutoribus, fieri monet ab iis, qui, Edictum *de capite minutis* inepte Digestis insertum, conqueruntur, &, subjuncta quæstione, quis post *Novell. 118* hujus capitis deminutionis supersit usus, finem imponit opusculo politissimo, seque ad illustrandum, quod *tertio* loco conspicitur, *Instrumentum plenariæ securitatis Ravennense, una cum gestis municipalibus restitutum*, convertit. Primus inclutum illud ævi *Justinianei* monumentum ex tenebris produxit, inque stupendo *Formularum Romanarum* Opere publicavit, *Barn. Brissonius*, postquam *Cujacius* pauca ejus verba, eadem parum tamen accurate, protulerat. Edidit & illud, post *Brissonium*, *Gabr. Naudæus*, qui vero, cum exemplo minus recte descripto usus sit, nec *Brissonium* in consilium adhibuerit, mirum haud est, ejus lectionem hinc inde ab avthentica scriptura recedere. Pertinet hoc monumentum ipsa forma ad publica urbis Ravennæ Acta, quibus insertum est petente Germana, *Collicti*, testatoris, vidua, cui *Gratianus*, Subdiaconus, *Stephani*, pupilli, tutor, plenam dederat securitatem, de accepta hæreditatis portione

tione, quæ huic ex teſtamento patris competebat. Confectum eſt anno ante Imperatoris *Juſtiniani* exceſſum proximo, æræ ſcilicet Chriſtianæ 564, &, ut erudite Cel. Autor docet, in papyro Ægyptiaca perſcriptum. Ad ipſam quod attinet ſcripturam, non alia videtur eſſe, quam Romana, literis, uti vocari vulgo ſolent, curſivis, quibus tabelliones in Actis forenſibus & inſtrumentis utebantur celeritatis cauſa. Stilus totus eſt ſemilatinus & barbarus, cujus rei rationem, notato ſimul *Jano Rutgerſio*, affert, ac de uſu hujus Inſtrumenti in critica arte, & legum ſcientia, diſſerit Vir literatiſſimus, ipſumque illud exhibet, adjectis quamplurimis, iisque præclaris, obſervationibus, omni doctrinæ cultioris elegantia conſperſis. *Quarta* Diſſertatio, *de Antinomiis pignorum*, ex Bibliotheca Viri cujusdam illuſtris comparata, *Guilielmo Fornerio* eſt adſcribenda, quam, ne plane periret, primus in lucem produxit Conſ. *Conradi*. In hoc opuſculo *Fornerius* ſtrictim quidem carptimque, at erudite tamen, inter alia complura, agit de pignore rei litigioſæ, hominis liberi, uſusfructus, ſervitutum; de ruſticis inſtrumentis, pignori non dandis; de pignore in re aliena, itemque de rei alienæ oppignoratæ dominio; de pignore ob turpem cauſam dato, jure repetendo; de pignore per debitoris jusjurandum ſoluto; de impenſis in ædes oppignoratas factis; de pignoris per ſatisfactionem ſolutione; de errore in materia pignoris contractum non vitiante; variasque Romani Juris leges, quæ ipſi obſtare videntur, hinc inde conciliat. Ordo nos ducit ad Diſſertationem *quintam*, quæ *Vindicias obſervationum de vera Caji ætate* complectitur. Inſeruerat Autor jam *A. 1727* his *Actis* noſtris obſervationes lectu digniſſimas, *de vera ætate Caji, & de ſcriptis ejus ad ſua tempora revocandis.* Probarunt applauſu ſuo nobile hoc de celebri JCto bene merendi ſtudium doctiſſimorum virorum complures; unicum tamen ſubnatum illis dubium eſt, ætatem ſcilicet *Caji* ad *Antonini Caracallæ* ævum nimis videri productam, aſſirmantibus. Intelligis igitur cauſam, Lector, quæ ad ſcribendas hasce Vindicias commovit Autorem, ſcriptum ſuum, olim propoſitum, ſtrenue defendentem, quanquam alias ea conſpicuus ſit æquitate, ut, ſi veriora doceant alii, facile ſen-

tentiam mutet. *Cajus* ſub *Hadriano* natus, &, *Caracalla* imperante, nondum octoginta annorum ſenex fuiſſe, videtur. Et, hujus Imperatoris Conſtitutiones ab eodem in *Libris ad provinciale Edictum* omnino laudari potuiſſe, contendit egregius Vindex, nec *Ulricum Huberum* ſuis obſtare conjecturis, nec in *l. 42 D. de Donat. inter vir. & uxor. Antoninum Pium*, vel *Marcum*, ſed *Antoninum Caracallam*, ſignificari, luculenter oſtendens. Dumque *l. 40, 41, 42, D. eod. Tit.* ſtabiliendæ ſententiæ ſuæ cauſa in medium profert, eas ſimul more ſuo illuſtrat, id eſt, ubique elegantis, quam in eo omnes admirantur, eruditionis ſpecimina edit. Agmen claudit *ſexta*, cujus Autor eſt *Jo. Hemeræus*, Senator olim Bituricenſis, Diſſertatio, *de vita Edmundi Merillii.* Dignus quondam *Gundlingio* videbatur JCtus ille præſtantiſſimus, cujus vitam deſcriberet, ſeque operæ pretium facturum exiſtimabat, ſi in eam, tanquam in ſpeculum, quod ille ait, inſpicere juberet veræ, non ſimulatæ, Juriſprudentiæ ſtudioſos. Sed majorem ejus labor ad noſcendos, quos *Merillius* edidit, libros, quam ad vitam & fata ejus cognoſcenda, uſum affert, quippe quæ, ob ſummam monumentorum inopiam, parum accurate a viro hiſtoriæ literariæ ceteroquin probe gnaro potuit enarrari. Cum igitur Ampliſſimus *Conradi* ex *Caſparis Thomæ Thomaſſerii Hiſtoria Bituricenſi*, A. 1689 edita, alium, eumque copioſiorem, *Merillianæ* vitæ ſcriptorem produxerit, eo ſane plures agendæ ſunt ipſi gratiæ, quo magis rei eruditorum publicæ intereſſe judicamus, ut cives, immortaliter de ea meriti, poſteritati innoteſcant, vivique ſemper per ora virorum volitent. Augent vero & amplificant opuſculi dignitatem exquiſitæ, quas doctiſſimus Editor paſſim adjecit, animadverſiones. Nos, bellariorum inſtar lauti, quod *altero* hoc *Parergorum Libro* adornatum nobis fuit, convivii, ex vita *Merillii* depromemus ſingularia nonnulla, & talia quidem, quæ non occurrerunt nobis, *Gundlingii* ſcriptum attente legentibus. Natum fuiſſe *Merillium* nobili genere ac ſplendido, & A. 1579 die Martii ſeptimo lucem adſpexiſſe, ex *§. I* diſcimus. Hunc non ſolum in Academia Toloſana, ſed Cadurcenſi quoque, ſtudiorum cauſa, eſſe commoratum, *§. II* docemur. Viceſimum

pri-

primum ætatis annum cum vix attigisset, in Antecessorum Cadurcensium numerum relatum esse, ex §. *III* cognoscimus; qua occasione errorem quendam *Gundlingii* Cel. *Conradi* notavit. Proto-Principem, *Condæum, Ludovicum*, filium, Enguineum Ducem, commisisse *Merillio*, ut traderet ipsi Jurisprudentiæ elementa, ex §. *VI* observamus: &, prædia quædam feudalia possedisse *Merillium*, ex §. *VIII* colligimus. Uxorem ejus §. *XI* indicat, quæ fuit *Isabella de Combarieu*, Præfecti in Senescallia Cadurcorum filia, quatuor ei liberos enixa, ex quibus duos nominavit Autor filios, *Edmundi* alterum, alterum *Joannis*, nomine insignitum. Denique in nota, §. X subjuncta, mortis, quam *Merillius* oppetiit, violentæ mentio injicitur.

CHRISTIANI LUDOVICI SCHLICHTERI de Mensa Facierum, ejusque mysterio, Libellus singularis, cum Tabula ænea, & Indicibus necessariis. Accedunt Vindiciæ crucis, panibus facierum impressæ, & phraseos Paulinæ, καθ' ἡμέραν, Hebr. VII, 27.

Halæ Magdeburgicæ, impensis Jo. Andr. Baueri, 1738, 4.
Plag. 10.

Præsentem Libellum Clarissimus Autor, memor promissi sui, ante annum facti, subjunxit priori, *de Panibus Facierum* edito, nec minore cum eruditionis sacræ pariter ac profanæ apparatu hoc argumentum, a nullo Antiquitatum sacrarum scriptore satis excussum, pertractavit. Eadem, ac in præcedenti, methodo usus, *quinque Capitibus* illud complectitur, in quorum *primo* de Mensæ sacræ aliarumque nominibus disserit, ubi vocis שלחן etymologiam ostendit, eandemque pro cibis quoque ac pro ara usurpari notat, atque simul locum quendam ex *Jes. LXV, 11*, de mensa in honorem *Gadæ* ab Israelitis exstructa illustrat, & *Dan. VI, 18*, דחון mensam significare, asserit, variasque aliorum opiniones recenset. Porro in sensum vocis τράπεζα, varium item μάγις & μάζα, inquirit, ac mensam facierum alicubi puram quoque appellari commonstrat. *Capite secundo* de materia Mensæ sacræ & aliarum agit, eaque lignum & aurum cum fuerit, copiose lignum שטים vel

Sittim, quale ſit, & quod acaciam notet, ex Arabica lingua, & doctorum virorum conſenſu, oſtendere ſtudet, ac locum ex *Jeſ. XLI, 19*, explicat, ſimulque, ligna *Sittim* ubinam exſtiterint, disquirit. Dein laminas aureas, ceu menſæ ſacræ tegumentum, & gentilium diverſas menſarum ſpecies, & menſam *Juſtiniani* ſplendidam, conſiderat. *Capite tertio* ad Menſæ ſacræ aliarumque formam, & partes ſingulas, progreditur, ac de menſis Hebræorum quadratis, non circularibus, de menſura Menſæ ſacræ, pedibus, eorumque materia ex auro, annulis quatuor aureis in pedum lateribus, per quos vectes, בדים dicti, immittebantur, ut ex uno loco in alium transferri poſſet, de cingulo מסגרת dicto, pedes menſæ in medio connectente, limboque זר appellato, cingulum illud ambiente, de ſenſu vocis τρεπτον & κυματιον, de menſæ ſuperficie, erudite commentatur. *Capite quarto* Menſæ ſacræ ſitum ac fata perpendit, eamque in Sancto Sanctorum, non tamen ſtatim poſt velum ei oppanſum, verſus ſeptentrionem collocandam eſſe, ex *Joſephi* teſtimonio & aliis probat, &, quorſum ea demum pervenerit, quodque in templo ſecundo adhuc cum reliquis vaſis ſacris ſuperfuerit, contra Judæos oſtendit. *Capite quinto* Menſæ ſacræ myſterium prudenter indagat, media incedens via, ne malignis cenſoribus anſa cavillandi detur, ut ipſe in Præfatione obſervat, ubi & ſtudii Antiquitatum neceſſitatem atque utilitatem commendat, deque vulgari ejus neglectu non ſine cauſa conqueritur. Itaque pro ſingulari ſua ingenii præſtantia opinatur, Menſam ſacram ipſius Meſſiæ fuiſſe typum, lignum *Sittim* Chriſti hominis, ſpinas ligni hujus peccatorum, ſed aurum, menſæ obductum, Chriſti glorificati, item ſapientiæ, ſanctitatis, &c. non divinæ naturæ, emblema eſſe, formam quadratam & numerum pedum quaternarium Fœderis Novi quatuor Evangeliſtas, de quo in priore libello fuſius jam dixerat *pag. 92*, reſpexiſſe, pedes ipſos robur, dominium, ac poteſtatem Meſſiæ denotaſſe, limbum aureum regiam ejus dignitatem, cingulum pedes ambiens conjunctionis officii duplicis, regli & ſacerdotalis, ſymbolum fuiſſe, annulos pedibus infixos quatuor Evangeliſtarum quoque numerum, & binos vectes, duos teſtium veritatis ordines, nempe Prophetas & Apoſtolos, præfigu-

figuraſſe, &c. quorum omnium varias analogias mira ſolertia indicavit. In controverſia annexa, quam ſtrictim perſequitur, & in qua Viro cuidam doctiſſimo, multisque nominibus nobis venerando, reſpondet, opinionem ſuam utramque, de crucis ſigno panibus facierum impreſſo, & de ſacerdote magno καϑ' ημέραν ſacrificante; phraſeosque *Paulinæ Hebr. VII*, 27, ſenſu, rationibus nonnullis fulcire, ac contra objectiones modeſte tueri, conatur. Opuſculo quatuor Indices, locorum Scripturæ Sacræ illuſtratorum, vocum Hebraicarum, Græcarumque, ac rerum in eo notabiliorum, adjecti ſunt.

NOVA LITERARIA.

Prodierunt Lucæ ex *Leonardi Venturini* prelis *tria Volumina Annalium Eccleſiaſticorum*, a *Cæſare* Cardinale *Baronio* quondam editorum, ex quibus intelligent eruditi, a nobili hoc typographo editionem ſuſceptam, quæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam, a mendis expurgatam, integram, aptoque ordine diſpoſitam, exhibeat. Eccleſiaſticos quidem Annales *Baronius* elucubravit tanta cum laude, ut merito eorundem parens appelletur; aliqua tamen diligentiam ejusdem ſubterfugerunt, aliqua ætate, qua ſcribebat, monumentorum defectu, pæne inexplorata jacuerunt. Qua de cauſa Operi perficiendo P. *Antonius Pagius* totum ſe conferens, Animadverſiones in ſingulos annos ſcripſit; ſed, dum *Baronium* caſtigare conatur, ipſe interdum in errores incidit, nec raro ſuis monitis Cardinali doctiſſimo facere injuriam videtur. Ultimam vero nunc operi tam difficili manum admoverunt Eruditiſſimi Viri, Abbas *Dominicus Georgius*, Venetus, & *Joannes Dominicus Manſi*, Lucenſis, e Congregatione Matris Dei, qui ſudoribus improboque labori nec pepercerunt, nec parcunt, ut numeris omnibus abſoluta prodeat editio, non utilis modo, ſed cum literariæ, tum chriſtianæ, Reipublicæ plane neceſſaria. Rev. Abbatis *Georgii* opera *Faſti Conſulares* illuſtrantur & caſtigantur, ineditaque plurima monumenta proferuntur, quæ ad caſtigatiſſimam lectionem monumentorum, quæ ſunt in *Annalibus* edita, maxime conferunt. Animadverſiones dat P. *Manſius*, quas & crebriores ſuppeditabit, cum ad Chronologiam inferioris ævi editio procedet,

Connectet cum his typographus continuationem *Odorici Raynaldi*, quæ item mendis expurgabitur. Sed præclarus ordo optimaque dispositio pretium Operis auget. *Pagii* Critica non ad calcem cujusque *Baroniani Voluminis*, quod incommodum magis, quam commodum, lectori foret, sed singulis annis, singulisque, ad quos refertur, paragraphis, diligenter subjicitur, ac minori charactere distinguitur. Sicuti *Pagii* Critica *Baronio*, ita *Pagio* Animadversiones, subjiciuntur. Autorum verba, quæ a *Baronio* afferuntur, diverso charactere distinguuntur. Quæ ab eodem in *Vallicellanæ* editionis voluminum fine adduntur, vel castigantur, in proprias sedes relata certis quibusdam signis includuntur. Quæ autem rejiciuntur, ne quid tanti viri intercidat, ad horum Voluminum calcem annotantur. Ex *Baluzio* excerpta sunt, quæ ad rem faciunt, plurimis tamen ejusdem variis lectionibus, quæ nihil ad Historiam Ecclesiasticam conferunt, prætermissis, ne inutile negotium Lectori facesseretur. Aliqua *Baronii* manuscripta, dummodo exstent, & Patrum Congregationis Oratorii Opera prodeant, suis locis inserentur. Præter accuratissimos Indices ad singula *Volumina*, Index etiam generalis accedet. *Voluminibus* in lucem editis præmittetur suo tempore aliud, continens Apparatum ad Annales Ecclesiasticos tum *Baronii*, tum *Pagii*, Dissertationem Hypaticam, eorundem nuncupatorias ceterasque literas, quæ in *Annalibus* huc usque excusis vulgatæ sunt, sicut & *Baronii* vitam, a *Spondano* editam, Epistolam consularem Cardinalis *Norisii*, Præfationemque disertissimam de hac editione nuperrima. Ut omni ex parte autem satisfiat eruditis, in duplici chartæ genere Opus imprimitur. Qui huc usque sua nomina subscripserunt, pro singulis *Voluminibus* in charta majori Julios tantum octodecim, & pro singulis in charta minori Julios sedecim, anticipato solvunt; ab his vero, qui deinceps subscribent, pro singulis in charta majori Julios 24, pro singulis vero in charta minori Julios 18, exiget typographus. Unum insuper totius Operis exemplar largietur his, qui duodecim eruditos, sua nomina subscribentes, colligent. Singula *Volumina* singulis trimestribus prodibunt. In hoc suam typogrphus fidem obstringit. Nihil restat, quam ut rem tam nobilem meditanti opem ferant Historiæ Ecclesiasticæ

clesiasticæ studiosi, adjuventque conatus hoc præclaros, subscribendo editioni, quam publico doctorum hominum suffragio consilioque susceptam esse, omnes intelligimus.

Gottingæ Cel. *Gesnerus*, insigne cultioris Germaniæ ornamentum, & elegantiorum literarum strenuus vindex, novum meditatur, & a multis desideratum, opus, cui applaudere nemo non vir bonus, & amœnioribus studiis amicus, debet. Dabit enim novis & typis expressam, & curis expolitam, *Harduinianam Plinii* editionem, eamque hoc majori jure præferendam prioribus duabus, quo plura ei industriæ *Gesnerianæ* elegantissima specimina accedent. Cujus instituti rationes ut plenius cognoscat Lector, en! ipsas Cel. Editoris publicas ad Eruditos literas, illam Autoris sui suavitatem redolentes, hic legendas damus:

Jo. Matthias Gesnerus *Lecturis S.* C. Plinii Secundi Historiæ naturalis Libri XXXVII, Jo. Harduini *repetitis curis expoliti, thesaurus procul dubio & Bibliotheca dici merentur, qua ægre admodum carent non ii modo, quorum res angusta domi non patitur, eam illos pecuniam impendere, qua apud nos Opus venditur, sed lautiores etiam homines, & Bibliothecarum domini. Sunt porro multa a viris doctis observata, quibus vel augeri, vel emendari, ista editio potest. Est denique hic Gottingæ auspiciis magni Regis nostri, cura præsertim Illustrissimi* Munchhusii, *ea constituta opportunitas moliendorum majoris momenti operum, ut, si usquam in Europa, hic profecto procudi aliquid possit, quod & chartarum nitore, & typorum elegantia, in summa pretii æquitate, commendare se oculis etiam elegantissimorum arbitrorum possit. Quæ cum ita sint, quod felix faustumque rei literariæ Deus esse jubeat, constitutum est, & deliberatum, typis reddere, & quatuor Voluminibus chartæ quadruplicatæ includere, laudatum Opus, hac fere ratione.* 1) *Recudetur, quam poterit fieri, emendatissime editio* Parisiensis, A. 1723 fol. *vulgata, nulla litera vel addita, vel detracta, nisi ubi typorum manifestus error intercesserit.* 2) *Adhibebitur charta pura ac nitida; typi erunt omnes novi, ac notis quidem exprimendis minutiores, textui autem, quem vocant, majores, justa & eleganti proportione respondentes; omnes Belgicam elegantiam æmulantes.* 3) *Inserentur suis locis, sic tamen, ut cum* Harduini *notis non misceantur,* a) *quæ de* Salmasianis, Gronovianis*que, observatis nondum adhibita sunt ab* Harduino, *indicatu tamen digna videbuntur;* b) *quæ Professor Parisiensis,* (Crevierium *esse accepimus,*) *quæ*

item

item Durandus, *ille in Epistolis, hic in Historia picturæ, argenti, atque auri, illustrationis causa attulerunt;* c) *indicia locorum in scriptis Physicorum recentium, ubi illi vel explicant* Plinium, *vel emendant, cum brevissima sententiæ ipsorum recensione. Hac in re licet diligenter a nobis elaboretur; tamen præsertim implorandi sunt viri eruditi, qui amant* Plinium, *ut succurrere nobis, &, cum primum ipsis commodum est, submittere sua in hoc genere observata, velint. Quæ in* Philosophicis *Anglorum* Transactionibus, *quæ in Parisiensis Academiæ Commentariis, annotata sunt, ea ne subterfugiant nos, curabitur.* d) *Sed nec critica subsidia desunt, quibus hinc inde meliorem futurum speramus* Plinium. *Ne de qualicunque στοχασμῷ dicamus, quo verecunde, ut par est, hic maxime utemur; spes certa nos tenet* Codicis MSti, *qui a Viro doctissimo in hac vicinia possidetur, conferendi,* Plinii*que inde expoliendi. Deinde & penes nos est, beneficio* Z. C. Uffenbachii, *τοῦ μακαρίτου, exemplum editionis* Elzevirianæ, 1635, 12, *in cujus marginibus manu* Petri Francii *passim adscriptæ sunt lectiones optimæ.* 4) *Ac, ne quis metuat, ne Opus, quod non mediocrem sane sumtum postulat, inconsiderate forte susceptum, spem hominum propediem destituat, illud fide boni viri confirmo, ita instituta comparataque esse omnia, ut, quantum est in rebus humanis certi, tantum de hoc Opere exspectari possit.* 5) *Non petuntur, qui pecuniam conferant; ne qui nomina dent quidem; sed illud promittitur bibliopolis, futurum, ut, qui in tempore transigere voluerint, iis de pretio remittatur pro portione. Totum enim hoc eo comparatum est, non ut vel ego, vel quicunque hominum professionis meæ, in partem quamcunque lucri (de honorario modico, sed certo & definito, hic non agitur,) veniat; sed ut* Plinii *studiosis, nostro qualicunque ingenio, ministerioque bibliopolarum honestissimorum, consulatur, quorum unice ut periculum, ita lucrum esse, par est.* 6) *Qui metuunt forte, ut ego par esse labori queam, aliis in rebus, præsertim in* Thesauro L. L. *congerendo & emendando, occupatus, illi sciant, adjutorem mihi esse, in hoc quoque labore, Virum, ut ingenii & doctrinæ laude dignissimum, ita ferrea plane diligentia, sobrietatis, & hinc bonæ valetudinis, radicibus nixa,* Georgium Matthiæ, *Med. Cand., qui porro, ubi semel aliquid suscepit, fidei & religionis se vinculis adstrictum censet sanctissimis. Hoc adjuvante, utramque nos molem, modo porro faveat nobis Deus, suo tempore emolituros, læta spe præcipio. Ceterum significare ista publice visum est, tum ut consilia sua & operas, de quibus ante dictum est, conferant, quos rogamus humanissime, homines eruditi, tum ut bibliopolæ, in tempore admoniti, possint sibi prospicere, & in lucri partem, qua dictum est ratione, venire. Bona quidem fide agi omnia, & malam omnem fraudem ab hoc consilio abesse, si quis me bonum virum putat, in quo diligenter equidem elaboravi, credere illum, & securum esse jubeo. Gottingæ, Cal. Octobr.* cIɔ Iɔ cc XXXVIII.

(o)

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXXXIX.

Pars II.

VERONA ILLUSTRATA. PARTE PRIMA, &c.

h. e.

VERONA ILLUSTRATA. PARS PRIMA, continens historiam illius civitatis, simulque antiquarum Venetiarum, ab origine usque ad Caroli M. in Italiam adventum. Pars altera, complectens historiam literariam ac notitiam de Scriptoribus Veronensibus. Pars tertia, continens notitiam rerum in ea urbe perquam memorabilium. Pars quarta & ultima, exhibens auctam editionem secundam libri de Amphitheatris, ac speciatim de Veronensi.

Veronæ, typis Jacobi Vallarsii, ac Petri Antonii Berni, 1731 & 1732, fol. maj.

Alph. 6 plag. 6½.

Illustrissimi Marchionis *Scipionis Maffæi*, fama super æthera noti, Opus in compendium redigere tentamus, in quo elaborando & perpoliendo omnes ingenii vires Autor inclytissimus contendit, ut Scriptoris diligentissimi laudem ferret, & utilia cum dulcibus conjungeret. Opus, *Partes* in *quatuor* distributum, splendide & curate exiit, & velut quædam Phidiæ statua oculos mentesque omnium in sese convertit. Serenissimo Duci ac excellen-

cellentissimis Senatoribus Venetorum reipublicæ, ex Romana descendentis, Volumen hoc satis grande fuit dicatum & inscriptum. *Pars prima Libris* constat *undecim*, & accessionibus nonnullis. Originem Veronæ Autor a Thuscis, Thuscos a Lydis, repetit. Nominatim *Plinius Hist. Nat. III, 19*, Veronam ab Euganeis & Rhetis primo cultam esse, refert. De Henetorum, seu Venetorum, natalibus & origine intexit Autor conjecturas satis probabiles. *Livius Lib. V* refert, Hetruscos omnia ad Padum sita occupasse, *excepto Venetorum angulo*, qui, teste *Polybio*, fuerunt *ἔθνος πάνυ παλαιὸν*, *gens antiquissima*.
P. I pag. 8. Mantuæ origines ipse a Thuscis Venetisque, cum *Servio*, deducit. Quarta Romæ factio, circo propria, vocabatur Veneta, colore, qui mare refert, insignis. Ex habitu & ornamentis aurigarum & equorum, quibus color ille familiaris fuit, ortum est nomen coloris.
9. *Fanucius Campanus*, Euganeorum metropolin fuisse Veronam, sed citra rationem sufficientem, credidit. Alii eam reputant pro Gallorum colonia. Sed falso. Nullum enim Gallis favet vestigium, si Veronensium linguam respexeris.
12. Legitur vulgo in *Catulli Carmine LXVIII* hoc Distichon:

Flavus quam molli percurrit flumine Mello,
Brixia, Veronæ mater amata meæ.

Ostendit Ill. Autor in libello *dell' antica condizion di Verona*,
16 seq. versum hunc esse a librario intrusum ac suppostititium. At, quia ea sententia doctis nonnullis visa fuerat durior, jam in ea copiosius exponenda ac comprobanda omnes contendit nervos. Addit, illud in tribus *Catullis* Vaticanis non legi, quorum unus exstiterit olim *Fulvii Ursini;* fluvium vicinum dici ab antiquis Mellam, non Mellonem, qui ab occasu Brixiam præfluat; *Cellarium* frustra vocem *percurrit* mutasse in vocem *præcurrit*. Gartiam fluviolum per urbem fluere Brixiam, non Mellam; contextui orationis id Distichon esse grave & inimicum. Refert *Livius Lib. V Cap. 35*, *Gallorum manum*, *Elitovio* duce, transiisse Alpes, &, *ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt, consedisse*. Monet Noster, legendum esse: *Brixia & Cremona*.
20. Ipse quoque *Plinius*, qui *Librum* suum *tertium* ex *Livio* collegit, legit: *Brixia & Cremona.* Imo ipse *Livius* Cenomanis

nis Gallis *Lib. XXXII* non nisi *vicos* tribuit, *Brixiamque*, *quæ caput gentis fuerit.* Hac occasione emendat Autor locum *Strabonis*, in cujus *Lib. V* legitur *Ordia*, *Epiterpo*, *Ucetia*, & *Ifombri*, ac *Sumbrii*, loco vocum *Concordia*, *Opitergio*, nunc Oderzo, *Vicetia*, nunc Vicenza, & *Insubri*. In *Novella XI Justiniani* legendum esse monet *Sirmium*, loco *Firmi*. In *Aurelio Victore Schotti* legitur, *Othonem* victum esse *Veronensi prælio*, ubi legendum sit: *Cremonensi prælio*. Ita in *Lib. V Zosimi* legendum est *Verona* loco *Cremona*. Veneti Gallis Senonibus, Roma vel reversis, vel repulsis, sese opposuerunt, 400 annis ab urbe condita, *Polybio* teste. Unde reipublicæ elucet fortitudo antiquissima. Aquilejæ nomen adhæsit a fluvio *Aquilo*, quem alii Natisonem vocarunt. Non vacat delibare singula, ad historiam Veronæ vicinique tractus ab Illustrissimo Comite solido deducta & exposita nexu. Ostendit idem curate, errasse *Josephum Scaligerum*, qui crediderat, urbes a *foris* cognominatas inserviisse publicis conventibus judicialibus. Nam nonnulla loca a foris dicta fuere vici & castella. *Forum Gallorum* erat vicus, testibus *Cicerone Lib. X Ep. ad Famil. 30*, & *Appiano de Bell. civ. Lib. III. Forum Julii* non a judicio, sed eo, sic dictum fuit, *quod Julius Cæsar forum negotiationis ibi statuerat*, teste *Paulo Diacono Lib. II Cap. 14.* Quæ in scriptoribus Romanis leguntur passim de Gallis Transpadanis, ea hic copiose solideque edisseruntur. Cives ejusdem coloniæ vel urbis a *Cicerone* aliisque vocantur *municipes*, at coloniæ passim vocantur *municipia*. Verona tempore Triumvirorum postremorum fuit haud secus, ac alia loca vicina, *Antonii* partes secuta, coloniis distributa. Eam ob caussam ipsa vocatur *misera* a *Virgilio Ecl. I & IX.* Verona dividebatur olim in decuriones ac plebem. *Lepiefs*, apud *Gruterum* ac *Reinesium* obvii, emendandi sunt in *Lebactes*. Quinquennalis magistratus fulgebat honore fascium. Duumviri juri dicundo erant fere in universis Galliæ transpadanæ civitatibus. Alicubi floruerunt etiam Quartumviri ad judicandum. In coloniis præterea muneribus aliis publicis locus quoque fuit datus. Erant in eis *Quæstores ærarii*, *Ædiles*, *Duumviri cum potestate fascium.* In civitatibus liberis magistratus habebat jus

Pag. 27. 33. 75. 76. 86. 89. 91.

T 2 sup-

Pag. 94. supplicii; in municipiis vero jus castigationis minoris, ut patet ex *D. Lib. II Tit. I leg. 12, Act. XVI, 19, 22, 35, Tacito Hist. Lib. IV.* Hoc ipsum ab Illustrissimo Autore solidis argumentis, haud secus ac cetera, edisseritur. Quid fuerint *sacra Romaniensia*, exponit, quæ ignota exstiterant doctissimo *Fabretto.* De vocibus geographicis, *caput* & *civitas*, plerumque non sat cognitis, egregie commentatur, earumque significatu in lucem producto, loca detegit, in quibus sitæ fuerunt *civitates* haud unæ, in monumentis veterum commemoratæ. Nec omittit dicere de situ multorum oppidorum, quorum in Inscriptione arcus Susensis fit mentio.
115. Et, cum magna doctorum pars communem alant opinionem, imperante *Augusto* Italiam in provincias fuisse divisam, ipse ostendit, divisionem regionum & divisionem in provincias to-
128 seq. to cœlo differre. Lapides, quibus Romani milliaria sua designabant, non notarunt genus milliarium, quod nunc in Italia increbuit ac receptum est. Milliare enim Romanum antiquum erat minus parte quinta, si cum Italico milliari in comparationem adducatur. Id argumentis solidioribus idem ostendit. Perigraphen numi seu numismatis, quod *Maximianum* Cæsarem refert, ac muros turresque cum quatuor figuris immolan-
147. tibus repræsentat, huc usque incognitam: VERONANPRITE COND ita exponit: VERONA NOVA PORTA RITE CON-
151. DITA. Simul ac ipse de occupata per *Constantinum* Verona exponit, de *Indictionis* indole, una primariarum Epocharum, adjicit haud tralatitia, ratus, scriptores sese aliosque fefellisse, qui crediderant, Indictiones, obsidionem Veronæ antecedentes, quibus pensionum exactiones publicæ indicebantur, a *Maxentio* esse constitutas. Contra ea ipse, eas a *Diocletiano* profectas esse, demonstrat, terrisque duntaxat, quæ Langobardiam nunc conficiunt, impositas, non argento, sed alimentis venalibus
156. mercibusque, exsolvendas. Plerique putant, formam imperii a *Constantino Maximo* instituti male confundi cum ea, quæ eam præcesserat. Ut id ipsum quidam comprobaret, ad *Inscriptionem* provocarat. Noster viginti Inscriptiones Vero-
160. nenses, peræque spurias, in medium producit, mirans, cur nemo huc usque tentaverit *Artem criticam lapidarem*, in Historia antiqua

antiquâ tantopere usui futuram. Varium significatum vocis Italiæ evolvit, articulumque temporis definit, quo Langobardiæ vocabulum in Italia audiri cœptum. Provinciis Romanis Pag. 169. singulis singulas fuisse urbes primarias, in quibus jus fuerit dictum, solide negat, ostendens potius, Præsidem provinciæ ævo 182. Romanorum jus per varia provinciæ loca dicere debuisse, nec ei licuisse in unico perpetuum domicilium servare. Distinguit inter provinciam geographicam & Romanam. Hæc enim complures provincias geographicas, adeoque plures *metropoles*, complexa fuit. Exitium Romani imperii deducendum credit ex *Caracallæ* famosa lege, quæ promiscue cum omnibus hominibus, Romano imperio subjectis, jus civitatis Romanæ com- 197. municavit. Ipse, formam regnandi, Romanis olim probatam, in Italia adhuc vigere, putat, idque probat scripto quodam, ex ævo 226. *Theoderici*, Regis Gothorum, superstite, quod in papiro Ægyptia fuit consignatum. Ut ostendat originem libertatis Venetiarum, it comprobatum hanc opinionem, quæ tradit, imperium Romanum nunquam exstitisse monarchicum, sed potius Imperatorem fuisse reipublicæ magistratum. Venetos, exstin- 244. cto *Augustulo*, continuasse libertatem, qua jam olim fuerint gavisi, nec Græcos, nec Gothos, nec alios, Præfectum vel Præsidem Venetias misisse. Græcos urbibus singulis, Gothorum regno deleto, præfecisse Duces, eumque morem Langobardis placuisse postea. Singulare illud videbitur nonnullis, *feuda*, id quod 258. Autor contendit ostendere, a Romanis accepisse denominationem potius, quam a Germanis. *Infeudationem* dictam putat 269. ex voce Latina *infeduciare*, quam deprehendit in Acto anni 591, in papiro Ægyptia inscripto. In regno Langobardico, sic idem sentit, singulis urbibus Duces singulos Rex per nexum feudalem præposuit; quorum potentissimi Capuam, Spoletum, 270. ac Tridentum, tenebant, singuli nutu Regis arma capessiverunt. Tum certamina singularia, quæ vulgo *duella* vocantur, enata, quibus fortitudo quidem promota, sed honoris notio genuina admodum fuit per Italiam corrupta. Contra hanc sigillatim depugnandi rabiem olim Ill. Autor scripsit librum *della Scienza* 275. *cavalleresca*, quo lecto, furor ille monomachicus cœpit paululum

residere. Gothos vel Langobardos esse architecturæ irregula-
Pag. 307. ris, quam appellamus *Gothicam*, inventores, negat, ratus, hos-
ce exstruxisse domos e ligno, Italos vero, novitatis studio du-
ctos, artem depravasse. Linguam Italicam non ex commix-
tione Germanicæ linguæ, sed ex abjectione consonantium fina-
310. lium, vocibus Latinis propriarum, ortam esse, existimat. Im-
mutatio hæc increbuit in Italia, antequam barbaræ gentes
Italiam inundarunt. Eodem fato pressa jacet lingua Græca an-
tiqua. Modos scribendi vulgo numerant quinque, Latinæ scri-
321. pturæ accommodatos, videlicet *Romanam*, *Gothicam*, *Lango-
bardicam*, *Saxonicam*, & *Franco-Gallicam*. Autor, hæc scri-
bendarum literarum genera esse pariter Romana, luculente it
comprobatum. Chartæ Langobardicis literis scriptæ sunt an-
tiquiores ipso Langobardorum in Italiam adventu. Idem de
338. Gothicis est affirmandum. Ne Historia ecclesiastica Italiæ
fictionibus opprimatur, suadet Autor, ut catalogis antiquissimis,
e diptychorum serie desumtis, suum pretium statuatur. In
fine *Partis primæ Inscriptiones* rariores, ex parte ineditæ, &
Acta, e Seculo V residua, in lucem proferuntur.

Pars secunda, *Libris quinque* comprehensa, historiam Ve-
ronæ literariam recludit, seu, ut accuratius loquamur, *Biblio-
thecam Scriptorum Veronensium*, chronologice adornatam, ex-
hibet. Numerus Scriptorum ad 700 assurgit. A. 1465 in
numero 29 Academiarum Veronensem septimo loco numera-
tam esse, ex colloquio Pragensi Anti-Hussitico, tunc habito,
significat. Præcedebant eam Romana, Bononiensis, Parisiensis,
Oxoniensis, Tolosana, & Salamanticensis. Qui sese *Veronen-
ses* dixere, haud universi eam ob causam nati fuerunt Veronæ,
sed veritatis studiosos sese indicare voluere. Hæc Autor in
Præfatione ad *Partem alteram*. *Virgilius* vocatur *Andinus
vates*, Andibus quippe natus. Credidere multi, Pietolam ab
Andibus haud differre. Sed *Maro* sese ibi natum significat,
P. II *qua se subducere colles incipiunt*, id est, a latere territorii Vero-
pag. 6. nensis. Autor pagum *Bande Virgilio* patriam assignat, cre-
dens, literam *B* Æolismum voci Bandi adhærere. *Catulli*,
26. *Cornelii Nepotis*, *Æmilii Macri*, *Pomponii Secundi*, *Cassii Seve-
ri*,

ri, *Plinii* ſenioris, *S. Zenonis*, cujus ſcripta ſeſe Veronæ editurum promittit, vitas & ſcripta copioſe enumerat. *Plinium* alii Comenſem, alii Romæ ortum, tradiderunt. *Caſſium Severum* Veronenſem Autor credit fuiſſe Hiſtoricum, cujus *Plinius* junior, *Tertullianus*, *Minucius Felix*, & *Lactantius*, meminerint. *Petrus Belius* de *Caſſio* congeſſit varia, ſed quibus lux & diſcrimen deeſt. *Pacificum* Veronenſem Seculo VIII exeunte horologia, rotis ponderibusque obnitentibus inſtructa, inveniſſe, ac Jureconſultum *Ardizonium* capita Conſtitutionum imperialium, Pag. 44.
alibi haud obviarum, nonnulla conſervaſſe, commemorat. Famoſum Poetam *Dantem* Veronæ fortunarum ſuarum domicilium fixiſſe, ac de eloquentia vulgari, titulo *Comœdiæ* uſum, ſcripſiſſe, ſignificat. Ea enim ætate opera ſtilo ſublimi ſcripta *Tragœdiæ*, mediocri concinnata *Comœdiæ*, ac ſtilo depreſſo ſimplicique compoſita *Elegiæ*, appellabantur. Ipſe promittit editionem Operum *Guilielmi Paſtrengi*, ætati *Petrarchæ* ſup- 58.
paris, qui in libro quodam primam promulſidem attulit *Bibliothecæ univerſalis*, ſeu *Dictionarii hiſtorici*. De *Guarino*, A. 1370 nato, & ad A. 1460 vitam prorogante, literarum Græ- 67 ſeq.
carum per Occidentem inſtauratore, *Emanuelis Chryſoloræ* diſcipulo, copioſe differit. Ex poſteris ejus prodiit Autor *Paſtoris fidi*. *Domitius Calderinus*, anno ætatis 24 jam Academiæ Romanæ Profeſſor, anno 32 defunctus, cœpit interpretari Autores veteres, conjuncto eruditionis adminiculo cum præſidiis Grammaticorum. Vocantur vulgo literaturæ Trium- 114 ſeq.
viri. Duo reliqui erant *Laurentius Valla* & *Angelus Politianus*. *Calderini* opera permulta in abdito jacent, ac notitiam publicam fugiunt. Ipſe correxit & illuſtravit primus *Ptolemai Coſmographiam*, collatis inter ſeſe MStis Græcis. Commentarios ſcripſit in *Suetonium*, in diverſa opera *Ciceronis*, in *Pauſaniam*, aliosque Scriptores. Frater *Jucundus* ineunte 135.
Seculo XVI claruit, Criticus gravis, antiquitatum peritiſſimus, magnusque architectus, qui primus ad *Vitruvium* intelligendum induſtriam convertit. Celeberrimi eodem Seculo extitere *Maffei*, qui primi Muſea naturalium rariorumque rerum cœperunt adornare. *Joannes Baptiſta de la Torre* callem novum

vum

Digitized by Google

vum exponendi motus planetarum detexit. *Scaligerorum* gens in *Josepho Scaligero* intercidit, de cujus patre, ejusque in Guienmam secessu, Ill. Autor copiose commentatur. *Ludovici Nogarola*, aliorumque complurium ejus ætatis doctorum Virorum, qui Veronæ floruerunt, opera MSta ipse celebrat, & ex parte designat. *Hieronymus Fracastorius*, cujus *Vitam Menckenius*, Collega noster, separatim edidit, ab eo laudibus evehitur, eo quod Philosophus, Mathematicus, Medicus, & Poeta exstitit inusitatæ diligentiæ summique judicii, quod Philosophiam corpuscularem amavit, usus est telescopio, & carmina pepigit secunda Minerva. *Panvinius*, licet anno ætatis 38 mortuus, volumina conscripsit multa, quorum catalogus hic texitur. Antiquitatum Romanarum, Historiæ ecclesiasticæ, & Chronologiæ consularis, complexum primus adumbravit. Inscriptiones quantum ad Historiam conferrent, noverat probe. Primus in *Annium Viterbiensem* calamum strinxit. *Caracallam* omnibus sibi subjectis gentibus impertiisse civitatis Romanæ jura, ante *Salmasium*, *Valesium*, atque *Spanhemium*, jam ostendit. Amatores Musices A. 1543 primi novam Veronæ Academiam aperuerunt, assumto cognomine *Philharmonicorum*, pauloque post consilia inierunt, studia cujuscunque generis philologica & philosophica amplificandi. Ex hoc Collegio *Ræmundus* novam stellam in Cassiopea primus ostendit A. 1572. *Ludovicum Lilium*, famosum Calendarii emendationis *Gregorianæ* autorem, Veronensem fuisse, nonnulli perhibent, quem Ill. Autor Calabris vindicat.

Pag. 177 seq.
182 seq.
263.

P. III. Hinc *Partem tertiam* recludit, qua, quicquid in urbe & territorio Veronæ memoria dignissimum existit, cum Lectore communicatur. Præmissa apparet urbis ac munimentorum ejus accurata delineatio, describitur dominandi ratio, regiminisque forma, vires, indoles, reditus, commercia, & jurisdictio terræ, quam Veronensem vocant. Antiquitates Romanæ, quibus Verona conspicua existit, tractantur. Quarum principatum obtinet Amphitheatrum illud famosissimum, cujus descriptionem *Pars quarta* complectitur, libros duos illos denuo sistens, quos Autor jam A. 1728 Veronæ edidit, & nos ample satis in compendio

pendio recensuimus *A. 1729 pag. 298 seq.* in hisce *Actis*. In *Parte tertia* autem disserit Autor præterea de theatri reliquiis, de capitolio, de pontibus, ac de aliis, quibus Romani Romam ornarunt, ædificiis, de loco, in quo situm fuit Regis *Theoderici* palatium, de domicilio & sepulcro *Alboini* Regis, ac de parte mœnium, ævo Imperatoris *Gallieni* constructorum. In hac murorum parte restat porta bivalvis, qualem veteres *emeritam* vocabant, & quam nonnulli pro arcu habuerunt. Re- Pag. 33.
gulas ipse adjungit aliquot, quibus portæ ab arcubus poterunt 42.
distingui. Persequitur deinde observationes suas, ad Architecturam referendas. De *ordine columnarum composito* inprimis disserit, qualis in Arcu *Titi* ac reliquiis Veronæ superest, sed addit, capitula columnarum inferiorum esse ordinis compositi, superiorum vero ex ordine Corinthio. Exponit porro 46.
de arcu celebratissimo, quem *Vitruvius Cerdo* architectatus fuit Veronæ, constantem ordine composito & proportione Corinthia. De arcubus ita disserit, ut tres errores vulgo susceptos profliget, negans, omnes arcus exstitisse triumphi causa, eos Imperatorum honoribus fuisse consecratos ac erectos, ac exstructos esse ad victoriarum reportatarum celebritatem. Descendit deinde ad antiquitates Christianas enucleandas, quas Verona præbet spectandas, nominatim sepulcra, reliquias templi cathedralis, & baptisterium octo facierum, decimoque Seculo antiquius. Tractat tandem expositionem de ædificiis, quibus 73.
jam floret effulgetque Verona, de foro lapidibus perpulcre munito, de theatro, quod *Franciscus Bibbiena* exstruxit, de hor- 107.
to amœnissimo, de muris ac propugnaculis, de arte muniendi, eisque, qui de ea inde a 200 annis ac ultra scripserunt, de primo inventore propugnaculorum triangularium, *San Michaele*, 119.
ac primo hujus naturæ propugnaculo Veronensi, de picturis celebrioribus, de Museis & rariorum rerum receptaculis, de Manuscriptis, de marmoribus antiquis, de singularibus territorii Veronensis, ac erroribus *Maximiliani Missoni*, quibus iter Italicum contaminaverit. Ut autem felix est Verona, quæ tantum præconem, tamque doctum & illustrem Scriptorem, nacta fuit; ita Italis omnique Europæ gratulamur de tali to-

pographiæ documento, quod ſeram poſteritatem ad admirationem, reliquosque patriæ ſuæ amatores ad imitationem, concitabit.

GUILIELMI VANDER MUELEN, Domini d'Oudbrouchuyſen, supremæ Trajectinæ Curiæ Senatoris, Diſſertationes Philologicæ de Die mundi, & rerum omnium natali, complectentes hiſtoriam creationis juxta ſeriem & ordinem a Moyſe deſcriptum Cap. I & II Geneſ. Accedit Defenſio Diſſertationis de Origine Juris Naturalis, oppoſita SIMONIS HENRICI MUSÆI, D. & in Academ. Kilon. Jur. Nat. & Gent. Prof. Vindiciis Juris naturalis paradiſiaci, contra prædictam Diſſertationem editis. Editio ſecunda, aucta cum Diſſertatione tertia ad Cap. III Geneſ.

Partes II.

Trajecti ad Rhenum, apud Herm. Beſſeling, 1738, 4.
Pars I Alph. 3 plag. 11, Pars II Alph. 3 plag. 7.

Opus creationis hominem merito ad prudentem νόησιν excitat. Ex illo quippe non ſolum ſempiterna Dei potentia ac divinitatis vis, verum etiam virtutes ac perfectiones divinæ, luculenter apparent. Ab illo ſupremum Numen initium exequendarum molitionum ſuarum fecit, quas tum circa totum hoc univerſum, tum ſingulas illius partes, tum ſpeciatim hominem, ejusdemque diverſum ſtatum, ab æterno, liberrima tamen voluntatis determinatione, conſtituit; in illo prima ſemina hiſtoriæ omnis ac originis rerum qualiumcunque ſunt quærenda. Quo de opere, effectore ejus, ſucceſſu, ordine, fine, eo certius judicium proferre licet, quo firmius perſuaſum nobis eſt, ejus hiſtoriam a Scriptore divinitus ducto, adeoque falli neſcio, verbis planis atque dilucidis perſcriptam eſſe; cum profani Philoſophi circa rerum omnium ortum miſere cæcutiverint, mundum vel *æternum*, vel ex *materia* Deo *coæterna* formatum, vel

vel *ex divina natura fatali quadam necessitate promanantem*, statuentes, vel denique ad *cæcum* aliquem naturæ *lusum*, fortuito impetu quæque *compingentem*, temeraria persuasione ducti, delabentes. Quæ causa est, cur tum prisci, tum recentiores, Ecclesiæ doctores historiam creationis, a *Mose* consignatam, Commentationibus suis illustrare sint aggressi, quorum alii, filum historiæ legentes, singula verba ac sententias excusserunt, ordinem operum divinorum enarrarunt, ac ab ἐμπαικτῶν φλυαρίαις vindicarunt, alii arcaniorem significationem tum generatim totius operis, tum speciatim singularum illius partium, subjunxerunt. Prioris generis Commentatoribus accensendus est Amplissimus Autor, aliis jamdum scriptis, potissimum vero *Annotationibus in Hug. Grotium de J. B & P.*, eruditis cognitus, qui, cum illustri munere apud Trajectinos suos fungatur, a persona tamen sua alienum haud duxit, horas subsecivas Scripturæ sacræ scrutinio destinare: cujus sui laboris documentum aliquod, idque satis eximium, cum erudito orbe communicat. Appellat *Dissertationes* has *philologicas*, cum tamen maxima ex parte sint argumenti theologici, vel moralis, non alia sine dubio de causa, quam quod ex notitia linguæ Ebrææ ac affinium, Historia prisca, Scriptoribus antiquis, ac omnis literaturæ apparatu, ea affert, quæ ad illustrandum *Mosen* aliquid facere judicavit. Nec opera ejus versatur circa solum creationis opus, verum etiam hominis statum, qualis ille in concreata perfectione conspicuus, per peccatum labefactatus ac prostratus, tandemque per gratiam divinam restitutus fuit. Prius agit *Dissert. I* & *II*, posterius *III*. Sistitur igitur in hisce Dissertationibus luculentus Commentarius *trium* priorum *Capitum Geneseos*, in quibus non facile aliquid, quod notatu dignum, prætermittitur. Ut autem potiora momenta, in quibus vel argumentum aliquod dedita opera explanatur, vel ab aliis interpretibus disceditur, brevibus enotemus, postulare & instituti nostri ratio, & argumenti dignitas, videtur.

Posteaquam, mundum non ab æterno exstitisse, sed in principio, a quo omne tempus fluere cœpit, conditum esse, docuerat, ac sententiam *Simplicii*, *Avicennæ*, aliorumque Peripatetico-

ticorum, Deum mundum ab æterno necessario creare debuisse, asseverantium, refutaverat, ipsamque materiam, ex qua omnia facta sunt, Deo ortum suum debere, solidis argumentis evicerat;
Pag. 1-15. creationem potius per *productionem rei per imperium*, quam *productionem ex nihilo*, definiendam esse judicat, caussatus, etiam res, quæ ex materia jamdum facta emerserunt, creatas fuisse,
15 seq. ac verbo oris Dei omnia prodiisse, sacras literas testari. Quam creandi potentiam soli Deo vindicat, nec cum ulla re creata com-
19-23. municari posse, contendit. Per *spiritum aquis incubantem* non *angelum*, nec *ventum*, nec *animam mundi*, quam prisci Philosophi, Stoici maxime, sunt commenti, sed *Spiritum Dei*, intelligendum esse ostendit, locutionemque hanc, ab avibus petitam, illam vim Spiritus Sancti, qua res omnes corporeas suo ordine, suaque pulchritudine, ex materia informi eduxerit,
54-58. indicare. *Lucem primigeniam* fuisse *collectionem materiæ lucidæ*, vicissitudines diei ac noctis tribus primis diebus efficientis, quæ postea magis exornata, solem atque sidera constituerit.
59-63. *Aquas supracælestes* non esse nisi *nubes*, aquarum terrestrium collectionem in cavitates factam fuisse, terra forte per *tonitrua*, vel *motu vehementiori*, fissa diruptaque: ex qua aquarum collectione, quæ oceanum efficiat, omnia maria, fontes, atque
63-74. fluvii, ortum suum ducant. *Atheos* pejores esse paganis, quibuscum nulla amicitia, nulla pax, nulla societas, conciliari
79 seq. queat. Tertio die terram omnis generis arboribus instructam fuisse; ex pororum diversitate derivandam esse fructuum diversitatem: quæ pororum diversitas faciat, ut succus nutritius aliam
81 seq. itemque aliam formam accipiat. Ad opus tertii diei refert quoque *metallorum, marmorum*, atque *fossilium*, productionem, illorum ideo *Mosen* nullam facere mentionem putans, quoniam
84 seq. tantum in terræ *adspectabilis* descriptione fuerit occupatus. Occasione demonstrationis, solem a Deo productum fuisse, multa disserit de cultu solis antiquissimo, ejusdemque variis apud diversas gentes appellationibus; per *Valentinianorum Abraxam*, cujus vocis singulæ literæ numerum 365 efficiant, quantum pariter nomen *Mithras* constituat, solem intelligendum affirmat; figuram simul *Abraxæ* exhibet, solemque *æternitatis* symbolum habitum fuisse,

fuisse, ex numo *Fl. Vespasiani* probat. Contra *annihilationem* Pag. 92-103.
mundi copiose disputat, eamque nec secundum rationis dictamen, nec Scripturæ oracula, fieri posse docet, mutationem vero aliquam, quod ad *qualitates* atque *formam*, & quidem per 110-121.
ignem, olim passurum esse, non diffitetur. Numerum stellarum, ex luce primigenia & materia cœlesti factarum, soli Deo cognitum, iniri non posse, &, licet alii 1022, alii 7000, numerent, illorum tamen laborem vanum esse, judicat, cum, si quidem notabiliores observari possint, semper tamen novæ in conspectum prodeant, quin imo in *via lactea* innumera illarum 129-132.
series contineatur. Pisces ex aqua, aves e terra productas esse, ductu Cel. *Pfeifferi*, ex *Gen. I, 20*, probat, ubi per *atnach* 185-186.
illud, & *volucris volet*, a superiore segmento distinguatur. Animalcula, quæ ex putredine gignuntur, cujus generis esse ait *pulices*, *mures*, alia, non *formaliter*, sed *potentialiter*, sexto die, & quasi in *seminali ratione*, producta fuisse, docet. *Adamum* creatum fuisse ætate fere *sexagenarium*, quoniam Patriar- 195.
chæ antediluviani ab illa ætate procreandis liberis operam dare 211.
cœperint. Animas omnes in primo rerum ortu creatas fuisse negat, sed *immediate* a Deo produci, eas immortales esse, nec tres partes in homine constitui debere, contendit. Sedem animæ cum 221-253.
Cartesio in *glandula pineali* quærendam esse opinatur. *Adamum* 274 seq.
non factum esse *ἀνδρόγυνον*, nec ex integro *latere* formatum, sed *costa*, carne vestita, in qua *semen* quasi *prolificum* fuerit. Quare autem illius formatio ex *costa*, non *capite*, vel *pede*, fuerit facta, illius rationem investigat. De loco & tempore creationis *Adami* & *Hevæ* hoc sentit, *Adamum* extra paradisum, *He-* 304-307.
vam intra illum, formatum fuisse: quoniam autem ad hujus formationem, introductionem in hortum, adductionem animantium ad *Adamum*, nominum impositionem, haud exiguum tempus fuerit requisitum, non *sexto* die, sed illo *elapso*, conditam esse *Hevam*, arbitratur. Ubi de conjugio disputat, societatemque conjugum arctissimam esse adstruit, contra nonnullos ne- 309 seq.
gat, tempore extremæ famis, vel alterius necessitatis, patri potius atque matri, quasi autoribus, quam conjugi, subveniendum esse. Conjunctionem viri & fœminæ per conjugium 312-315.

excludere omnem vagum concubitum & promiscuam venerem, *polygamiam* interdictam esse non tam *Jure divino naturali*,
Pag. 323-341. quam *positivo*, existimat. Dominium in creaturas inferre simul carnium esum, probat tum ex ratione dominii, tum ex *Gen. I, 30*, ubi ל præmissum τῷ כל idem significet, quod כ, inclusionem denotans, uti *Gen. IX, 3*, tum ex sacrificiis in recenti mundo paratis, tum denique, quia sic sub peccato, quam in statu integritatis, ampliori jure frui fuissent. Ad imaginem Dei
372-375. conditum esse hominem, agnovisse etiam paganos, illamque non consistere in *corpore*, quod *anthropomorphitæ* olim fingebant, nec in ipsa *essentiæ divinæ communicatione*. Dispe-
375-378. scit illam in duas partes, *naturalem* ac *moralem*. Ad *naturalem* refert naturalia attributa animæ, spiritualitatem, facultatem intelligendi atque volendi, ad *moralem*, rectitudinem ac sanctita-
378-386. tem voluntatis. Indicium illius animadversum fuisse ait, ubi animalibus imposuerit nomina, ad quod non *philosophica*, sed *hi-*
386-387. *storica*, cognitio requisita fuerit. Consequens imaginis divinæ constituit in immortalitate, non animæ solius, sed totius hominis; hinc, mortem demum a peccato arcessendam esse, contra
390-397. *Socinum* monstrat. In *Cap. II Gen.* ἀνακεφαλαίωσιν & uberiorem explicationem eorum, quæ in *Cap. I* describuntur, conti-
401. neri dicit. Vocem צבא *Gen. II, 1*, non vertit per *ornatum*, quo sensu in V. T. non veniat, sed per *exercitum*, docens, exercitum *cælorum* esse sidera & angelos, *terræ*, homines, animalia,
403-405. & omnia terrræ crescentia. Sabbathum periodicum imperatum fuisse *Adamo*, negat, cui omnia tempora sancta fuerint, quique per omnem vitam in Deo colendo venerandoque occupatus esse debuerit: igitur præcipue intelligendum esse de *quiete Dei*, per *prolepsin* autem de sabbatho hebdomadali accipi posse, nec verba decalogi, *memento sabbathi*, veterem institutionem indicare, sed tantum hac locutione mandatum
414-425. Dei fortius inculcari, uti *Job. VII, 7, XXXVI, 24.* Ipso autem illo hominem ad perpetuum sanctitatis studium obstrictum fuisse: cum autem is ob peccatum in cultu Dei se negligentiorem præbeat, & magis de corporis commodis, quam æterna
425-427. salute, solicitus sit; Deo fuisse visum, *septimum* diem ab aliis se-

segregare, ejusdemque observationem Israelitis præscribere. Inde hoc infert, præceptum de celebrando sabbatho esse *positivum*, hoc autem *moralitatis* eidem inesse, ut cultus divinus certo ac definito tempore administretur. Docet porro, initium *Cap. II Gen.* a *v.* 4 rectius duci posse, per תולדות *rerum omnium originem* significari, scribi autem vocem hic loci *integre*, uti etiam *Ruth. IV*, 18, cum alias *defective*, omisso ו, exprimatur, quo sic ex Judæorum sententia secreto indicetur; mundum a principio perfecte productum, sed, *Adami* peccato corruptum, restituendum esse per *Messiam*, filium *Davidis*, qui ex posteris *Phares* natales suos repetiturus esset. Nomen יהוה, quod primo omnium occurrit *v.* 4, proprie designare illum, qui ab æterno ante jacta mundi fundamenta decretum fecerit de rebus, quas in tempore in actum deducat, quique faciat, ut decreta & promissa sua exitu & eventu compleantur. Ubi de formatione hominis verba facit, adducit sententiam veterum, existimantium, *filium Dei humana sub imagine in terram descendisse, hominemque in hanc effigiem finxisse*, cum de illo dicatur, *per ipsum facta esse omnia:* sed probationem eidem deesse, non sine ratione affirmat, nullus tamen asseverare dubitans, ab hac prima hominis formatione Deum in sacris oraculis passim *figulum* appellari. Hortum a Deo plantatum appellari Græcis *παράδεισον*, *locum deliciis ac voluptatibus sepositum*, quæ vox a Persis orta, inde ad Græcos dimanarit; de cujus diversa derivatione atque scriptione, cum nonnulli *παράδησος* scribi velint, disserit. Per *Edenem* regionem intelligendam esse, probat ex præfixo ב, quo ipso declaretur, non solum esse nomen *proprium*, verum etiam esse locum ab *amœnitate* & *deliciis* denominatum. Circa investigationem situs paradisi tantum fere laborem insumtum esse, quantum ad lapidem Philosophorum inveniendum. De illius situ tres cumprimis in medium producit sententias; *Tillii*, paradisum in *Mesopotamia* quærentis, illorum, qui in *Babylonia*, ejusque parte vel *superiori*, vel *media*, vel *infima*, constituunt, *Jo. Henr. Heideggeri*, in *terra sancta* locantis, ac *Jordanem* fluvium paradisiacum nominantis. Quarum sententiarum momenta ubi ponderaverat, ac difficultates, quibus premuntur, expromserat, calculum

Pag. 427-433. 433-436. 436 seq. 437-448. 450. 451-453. 453 seq. 456-459.

culum suum adjicit illis, qui paradisum in Edenis regione versus Orientem circa Mesopotamiæ atque Babyloniæ confinium prope *Apamiam* ponunt, quæ sententia olim fuit *Calvini*, & a
Pag. qua non alieni exstiterunt *Bochartus*, *Steph. Morinus*, & ex
461-479. parte *Huetius*. Ita vero mentem suam exponit, Tigridem & Euphratem, pervadentes regionem Eden, ubi accesserint hortum, conjunctos cursum suum prosecutos esse, quorum duo nomina sua Tigridis & Euphratis retinuerint, duo alii Gihon & Pischon dicti fuerint; divisionem autem illam non intra Edenem, nec
488-497. hortum, factam esse. *Pischon* non esse *Paso-Tigrim*, nec *Gangem*, sed potius *ostium* Euphratis *occidentale*, *Gihon* ejusdem ostium *orientale*; atque sic a *Calvino* discessionem facit, qui *Havilam* ad *orientem* in *Susiana*, cum tamen ad *occidentem* sit sita, *Chus* vero cis Euphratem & Tigrim in Arabia collocat, atque ita Gihonem fluvium, ostium Tigridis *orientale*, facit *occidentale*.
506-511. *Pischon* nomen suum trahere ex rad. פוש, vel פָּשָׂה *abundavit*, *diffudit se*, quoniam patiatur graviores *æstus maris*, qui tam alte adscendant, ut, quamvis aggeribus muniti, nihilo tamen minus late satis agros inundent. *Chavilam* esse
509-513. regionem prope solitudinem *Sur*, inter Ægyptum, Assyriam, & Palæstinam, quem tractum posteri *Ismael* possedisse videantur, quæ regio *multo auro* abundet, unde absolute *Arabia dives* nuncupetur, quod ipsum testimoniis & Scripturæ & profano-
513-518. rum Autorum confirmat. Per בדלח, recensitis variis virorum doctorum suspicionibus, intelligi vult *uniones*; cui sententiæ favere putat locum *Num. XI*, 7, maxime cum, probante id *Huetio*, nullibi locorum pulcriores, & quidem majori copia, quam in mari, capiantur, quod circa *Bahareinam* est, sinus
519 seq. Persici insulam; per שהם *sardonycha*, quæ, teste *Plinio*, in Arabia inveniatur, nec Scripturam hic adversari, quæ Arabiam omnis generis lapidibus pretiosis divitem pronuntiet *1 Reg. X*,
520-522. *2 Chron. IX*, *Ezech. XXVII*, *22*; *Gihon* appellatum esse vel a גיח, *erupit*, *exivit*, vel a גחון, *venter*, illum autem non esse *Nilum*, secundum sententiam *Josephi*, qui ortum suum non ducat ex
522-525. *Euphrate*, seque non in *sinum Persicum*, sed *mare mediterraneum*, exoneret. Terram *Cusch* esse illam regionem, quæ Persis *Chuzestan*, aliis *Susiana* & *Cissia*, nominetur, quam sen-

tentiam

tentiam, a *Bocharto* propositam, sed rationibus minus stabilitam,
firmat ex *Gen. X, 8*, unde probat, *Nimrodum* fuisse *Cussitidem*,
adeoque Arabem, qui primo quidem imperium tenuerit in Ara-
bia, inde vero, a fratre *Chavila* adjutus, terras Babylonicas inva-
serit, illisque sub potestatem suam redactis, Chusæis suis regionem
trans-Tigritanam concesserit; habuisse illos sedem ad litus flu- Pag.
minis orientalis, quod ex Edene egressum tradit *Moses*, ubi 526 - 538.
loci est provincia *Susiana*. *Hiddekel* esse *Tigrim*, cum ex nomi-
ne, tum testimonio *Plinii*, probat. פרת ostendit ex פרה, *fructifi-
cavit, fœcundavit*, derivandum, quia Nili instar terras riget atque
fœcundet. *Euphraten* dici ex הוא פרת, qui nulla nota characte- 538 - 542.
ristica a *Mose* insigniatur, cum alias satis in Scriptura sit notus.
Arborem vitæ in medio horti fuisse non *geometrice*, sed *physice*,
& *optice*, illamque unam in sua specie fuisse, ex *Apoc. XXII, 2*, do- 544 - 546.
cet. Nomen hoc sustinere illam non ob vim aliquam *physicam*,
vel *medicam*, sed quia vim *sacramenti* præstiterit, obsignans
communionem Dei in vita æterna, & probabile esse admodum,
Adamum ab illa sponte sua abstinuisse, cujus arboris notitia apud
gentes in *nectare* & *ambrosia*, itemque *nepenthe*, & Homerico
moly, remanserit. *Arborem scientiæ boni & mali* non inde 546 - 556.
nomen habuisse, quod illius fructus *scientiam* ingenerarit,
nec a mendaci serpentis promissione *omniscientiæ*, sed po-
tius a *fine*, qui hic fuerit, manifestare bonum in obedientia,
malum in inobedientia, vel ab *eventu*, ex quo homo cogno-
verit, quantum inter bonum atque malum interesset; inde
probabile esse admodum, nomen demum sortitam esse, ex
quo homo de illa comedit, ante id tempus vero per *anticipa-
tionem* hoc nomine venire; quæ cujus speciei fuerit, non de-
finit, de *ficu* tamen vel *pomo* cogitandum non esse, censet.
Adamum, extra paradisum conditum, in illum translatum esse, 556 - 562.
quo eum cum voluptate absque molestia ac defatigatione cole-
ret, custodiam spectasse animalia tum in paradiso, tum extra
illum, ne quid damni horto afferrent. Præceptum de non 562 - 567.
comedendo fructu arboris vetitæ fuisse *probatorium*, illudque
non soli *Adamo*, sed utrique, datum esse. Qua occasione ex- 567 - 576
plicat sententiam suam, primis mortalibus præter præceptum

hoc probatorium *nullas leges*, vel *positivas*, vel *naturales*, quod ipsum olim statuit *Lamb. Velthusius*, *injunctas* fuisse. Inde primam originem litis cum Cl. *Simone Henr. Musæo* pandit, hypothesin suam argumentis munit, seque a Socinianismi
Pag. ac Pelagianismi suspicione immunem præstat. Per *mortem*,
576-594. quam interminatus erat Deus, omnis generis mortem intelligendam esse, docet. Animantia ad *Adamum* fuisse adducta, partim ut nomina imponeret, partim ut illorum contemplatione sui præ illis præstantiam cognosceret, partim ut dispiceret, num ex illis adjutorium sibi conveniens inveniret. Pisces adductos non esse, vel quia, ex illis adjutorium nullum *Adamo* esse posse, certum erat, vel quia extra aquas statim periissent, vel quia
594-606. Deo non placuerit. Adductionem hanc ex mente *Cajetani* non per *visionem* aliquam *intellualem* concipiendam esse, sed fuisse *adductionem realem*, quæ facta fuerit ante *Hevæ* formationem, accessisse autem per instinctum aliquem naturalem, quem Deus illis indiderit, ut se sponte sua *Adamo* stiterint. In imponendis nominibus usum fuisse *Adamum* lingua Ebræa, cujus usus a Deo *Adamo* & *Hevæ* ad societatem colendam divinitus concessus fuerit, quæque post exstructionem turris in varias dialectos abie-
606-615. rit, in *Heberi* autem familia incorrupta permanserit. Benedictione conjugio addita, approbasse quidem Deum matrimonium, eandem vero non necessitatem ineundi conjugii injungere, cum
615-636. ad illud obligatio naturalis non detur. Vestibus primos parentes non indiguisse, quia justitiæ splendore toti contecti fuerint, nec ob cœli temperiem frigus persenserint, nec ullus in illis pudor, cum alicujus mali conscii sibi non essent, fuerit.

Posteaquam igitur felicitatem primorum hominum fuse explicuerat, *Dissertatione tertia* demonstrat, qua ratione illa exci-
Diss. III derint. Serpentem fuisse *naturalem* serpentem, in quo fuerit spi-
Pag. 1-14. ritus aliquis, probat ex loquela; illam enim ante lapsum animantibus propriam fuisse, haud largitur. Diabolum usum fuisse serpente, docet, quia is calliditate, id est, celeritate motus corporis, alia vincebat animalia, nec mulierem ad serpentis sermonem obstupuisse, quia nondum usu edocta fuerit, anim[illegible]
14-38. lam loquendi facultatem adesse. Particulas אף כי *Cap. III.* [illegible]

cum

cum Chaldæo interprete convertit per *etiamne*, *itane verum est*, adeoque aliquid de præstantia hominis, de absoluto ejusdem in res omnes dominio, de singulari Dei in hominem benevolentia, præcessisse, ut sic *Hevam* eo adduceret, forte verba Dei non recte percepisse, ipsam autem responso satis testatam, se præceptum Dei probe intelligere, nec quidquam de suo addidisse, cum verbum נָגַע proprie significet *aliquid eo animo arripere*, *non ut abjiciamus*, *sed utamur*, *Gen. XXVI, 11, Jer. XII, 14*, nec *Hevam* dubitationem aliquam præ se tulisse, dicendo פֶּן תְּמֻתוּן, quoniam particula פֶּן aliquando *as-* Pag. 18-28.
severet, & *confirmet* rem vel præceptum, *Ps. II, 12, L, 22, Levit. X, 7, Ruth. IV, 6*. Diabolum, dicendo: *nequaquam moriemini*, *v. 4*, non hoc agere, ut Deum mendacii alicujus insimularet, vel *Hevam* metu mortis eximeret, sed potius se tanquam Dei *legatum* fingere, qui verbis illius hominem certiorem redderet, *legem positivam una cum pœna sublatam esse*, quam sententiam, a *Marckio* improbatam, fulcit; unde verba, *novit Deus*, non tanquam *jurisjurandi* formulam accipit, sed de *scientia* Dei interpretatur, qua conscius æterni sui consilii, præstita jam ab ipsis obedientia, *abrogationem legis probatoriæ* 28-42.
constituerit. *Apertionem oculorum* non innuere apertionem oculorum *corporis*, sed *majorem* longe cognitionem, quam ipsi impetraturi essent, ut futuri sint tanquam אֱלֹהִים, cum Deo multitudinem Deorum constituturi. Licet enim magna jamdum gavisi sint cognitione; majorem tamen polliceri serpentem, ut scirent bonum & malum non *speculative*, sed *practice*, eademque de causa ostendisse, arborem talis naturæ esse, nec frustra 42-56.
in horto plantatam demonstrasse. Excitato igitur desiderio fructus arboris hujus, comedisse *Hevam*, pariterque marito dedisse, quo ejusdem illum secum felicitatis participem redderet, *Adamum* autem hoc donum in pignus amoris tenerrimi accepisse. Inde quæstionem discutit, num *Heva* peccasset, si vel 56-62.
solam concupiscentiam concepisset; ac, primos concupiscentiarum motus peccaminosos esse, contra Pontificios tuetur; quæ interna concupiscentia tandem in actum, peccatumque omnino grave, eruperit. Ex voce עִמָּהּ *v. 6* colligi posse, neutiquam 62-89.

 Ada-

Adamum Hevæ, cum ſerpente confabulanti, adfuiſſe, ſed illa
tantum conjugii ſocietatem indicari; *Hevam* potius fructum
hunc ad *Adamum*, alio in loco horti commorantem, detuliſſe.
Admiſſa hac legis divinæ violatione, in qua omnium malo-
rum confluxus fuerit, cognoviſſe quidem parentes noſtros
primos, ſe nudos eſſe, ſed nuditatem illam fuiſſe probroſam, &
inordinatos motus in membris ſuis hos perſenſiſſe, illam autem
ſuccinctoriis ex foliis ficus, in quam forte perturbati primum
inciderint, velaſſe, cui rei folia ficus, quæ lata ſint admodum,
Pag. 89-100. apta cummaxime fuerint. Per חגורה non intelligit, cum
Clerico, ſcenam foliis & ramis ficulneis tectam, in quam ſe ab-
diderint, ſed *præcinctorium*, quod a medio corpore, ſive *um-
bilico*, ad pedes usque dimittitur, illudque cum *campeſtribus*
veterum, quibus in gymnaſiis pudenda juvenes obtegebant, com-
ponit. Tale autem ſibi aptaſſe tegmen, quoniam vim libidinis,
ejusdemque flammas, admiſſo peccato, intus advertebant; qua
occaſione in naturam pudoris, & unde oriatur, fuſius inquirit.
100-115. Per Jehovam, cujus vocem audiverit *Adamus* in horto, cum
quibusdam ex Patribus, *Juſtino*, *Irenæo*, *Tertulliano*, *Clemente
Alexandrino*, & *Hilario*, intelligit *filium Dei*, qui, humana ſpe-
cie indutus, cum trepidi fugerent, ſe illis mediatorem ſtite-
rit, quique per ambulationem in horto ac levem ſuſurrum ſpem
gratiæ *Adamo* ac *Hevæ* fecerit. לרוח היום non deſignare *tem-
pus veſpertinum*, ſed *locum adventus*, ipſum ſcilicet a plaga horti
orientali adventaſſe, ut ſic indigitaretur, ipſum tanquam ſo-
lem juſtitiæ aliquando exoriturum, peccatique tenebras disjectu-
rum eſſe, ſimul autem inde colligi poſſe arbitratur, circa *tem-
pus matutinum* judicium hoc habitum fuiſſe, cum a probabili
ratione ſit alienum, parentes noſtros ſub mortem in exilium
115-133. actos fuiſſe. Inde conſiderat, qua ratione in jus vocati ac cau-
ſa cognita fuerit; in qua cauſæ cognitione *Adamus* culpam in
Hevam, *Heva* in ſerpentem, conjecerit, qui propterea cauſam
dicere juſſus non fuerit, quoniam facinus adeo manifeſtum
erat, ut illud nec negare, nec in alium transferre, potuerit.
133-145. Pœnam in ſerpentem pronuntiatam non ſolum ſpectaſſe *ſer-
pentem*, quoniam alias diabolus impune peccaſſet, nec ſolum
diabo-

diabolum, cum in allegoriam historia non sit convertenda, sed *serpentem* pariter atque *diabolum*, proindeque illius sensum esse compositum, cujus pars alia *literalis*, de pœna organi, alia *mystica*, ad diabolum, sceleris autorem, referenda: voluisse Deum serpentem, licet ratione destitutus fuerit, pœnis urgere, ut sic tanti facinoris detestatio manifesta evaderet. Illam Pag. 145-152.
quinque partibus absolutam fuisse, 1) *maledictione*, mutuo horrore, quo homines serpentes, serpentes homines, aversarentur; 2) *reptatione super ventrem*, ut, cum ante capite & anteriori parte erectus incesserit, posteriorem vero tantum corporis partem post se traxerit, ab illo temporis articulo toto corpore fuerit dejectus, ut rependo multum pulveris deglutiat, illoque cibum conspergat, maculet, quæ ipsa *pulveris deglutitio* 3) pœnam constituit, 4) *inimicitia* ac odia homines inter atque serpentes, 5) *capitis*, in quo omnis vis posita, *contritione*, quare serpentes illud solicite custodiant, quod dum conteritur, calcaneum petunt, quod cumprimis facere assolent *cerasti*, quorsum allusit moribundus *Jacobus Gen. XLIX, 17.* Toti- 152-169.
dem pœnas inflictas esse diabolo, qui, absque spe veniæ summis submissus cruciatibus, miserior longe animantibus omnibus evaserit, quæ pœnam non persentiscunt, &, si sentiunt, eam penitus cessare in ipsa morte vident.. *In pectus graditur*, de cœlo præceps datus in ima tartara est detrusus, victori suo subjectus, qui, licet electis insidias intentet, ab illis tamen superatur, ut ad homines impios, inutilia terræ pondera, se convertere necesse habeat. Per איבה expri- 169-180.
mi non qualecunque odium, sed apertas & gravissimas inimicitias, quæ in internecinum erumpunt bellum. Hanc inimicitiam ipsum Deum inter homines atque diabolum posuisse, quo ipsos, peccati laqueis irretitos, expediret, sibique vindicaret: quæ pœna eo gravior, quoniam bellum hoc non cum uxore solum, sed & omni ejusdem posteritate, indicebatur, nec unquam desiturum erat. *Semen serpentis* esse tum 180-194.
omnes *angelos diaboli*, quibus serpens ille antiquus tanquam princeps præsit, qui hoc nomine mactentur, quoniam ipsi ratione naturæ, malitiæ, & factorum, persint similes, tum *homines*

Pag. *impios*, qui opera diaboli faciant. *Semen mulieris* non esse
194-198. sensu *strictiori* Messiam, sed *collectivo* totam priorum multitudinem, ex qua proditurus erat Messias, qui in aciem cum serpente descenderet, ejusque regnum everteret: quare Pontificiis indignatur, ex הוא effingere satagentibus הִיא, quæ mutatio a *Fabricio Boderiano*, non in gratiam *Jo. Pici Mirandulani* Comitis, qui ab istiusmodi interpolationibus toto aberat animo, suscepta est, prudentioribus societatis Romanæ doctoribus fraudem hanc detestantibus. Lectio ipsa in vulgata, quæ dicitur, versione jamdum *Augustini* tempestate irrepsisse videtur, saniore ac legitima in pluribus Codicibus manu exaratis retenta. Quod autem hic dicitur de *capite conterendo*, id sen-
198-211. su *primario* non nisi de Messia, *secundario* autem & per *accommodationem* aliquam de credentibus, accipiendum esse. *Caput* serpentis significare *potestatem diaboli*, quæ ipsi per peccatum data; illam destructam esse 1) per mortem Christi, *Ebr. II, 14;* 2) per resurrectionem ejus & adscensionem in cœlum, *Eph. IV, 8.* Uti igitur *contritio capitis* respectu diaboli omnimodam potestatis illius abolitionem significat; ita *contritio calcanei* ratione Christi illam partem respicit, quæ terram attingit, humanam scilicet illius naturam, quæ, tamen nulla veneni
211-242. noxa, peccati labe, fuerit vitiata. In pœna parentibus nostris dictata observat miram Dei misericordiam, quod, licet æternam meriti essent mortem, tamen ipsam in *exercitia castigatoria*,
242 seq. quæ etiam in salutem operentur, converterit. Mulieri, quæ prima peccaverat, denuntiat *α*) *conceptionem cum dolore*, *β*) *subjectionem erga maritum.* Verba *multiplicando multiplicabo*, עצבונך והרונך, per ἓν διὰ δυοῖν interpretatur, *dolorem conceptus tui*, & complectitur omnes dolores, quos mulieres tum in *conceptione*, tum toto *gestationis* tempore, tum in *partu*, pa-
243-246. tiuntur. תשוקה denotare *subjectionem mulieris*, *quæ servorum more ad maritum continuo decurrat*, *jussa ipsius petitura*. Licet vero ante peccatum maritus in uxorem dominium habuerit, qui muliere ex se formata, tanquam *re sua*, uti potuisset, & quoniam paterfamilias domui necessario præesse debeat, id tamen post peccatum factum esse *pœnale per accidens*, ob utrius-

utriusque ex peccato ortam infirmitatem; dominium autem illud ab omni sævitia sejunctum esse debere. Terram maledictioni subjectam esse *Adami* causa, illamque, paradiso non excepto, spectasse universam, & in eo se exseruisse, ut fœcunditas terræ, in creatione indita, fuerit imminuta, proindeque illa duro labore dehinc subigi debuerit; quare non pollicem premit illis, qui, terram ante peccatum fructus suos sponte sua dedisse, statuunt, colendam fuisse terram, sed non multo cum labore, existimans. Quod mentio injiciatur tribulorum & spinarum, non eo sensu accipiendum esse, ac si in creationis initio non adfuissent, sed quod ex paradiso, loco fœcundissimo, in agrum nunc sterilem exturbatus esset homo, cujus agri sterilitas in eo etiam se proderet, quod tribulos & spinas progerminet, quæ non nisi multo cum labore evelli possint. Panis, in sudore vultus comedendus, est id omne, quod ad victum & amictum spectat, quod sibi multo cum labore paraturus esset. Quod additur, *donec in pulverem revertaris*, significare *mortem corporis*, illamque solam memorari, quia pro *æterna* semen mulieris satis erat facturum: per illam igitur corpus in pulverem redigi, anima superstite. Mortem *naturæ sequelam* esse, contra Pelagianos & Socinianos negat, docens, corpus quidem ejus esse naturæ, ut solvi possit, ut autem ipso actu solvatur, a voluntate Dei pendere, quod demum post perpetratum peccatum factum fuerit, quando iræ divinæ homo se reum fecit. *Adamum*, *Hevam* appellando *matrem omnium viventium*, hoc ipso fidem suam testatum esse, ipsam fore *matrem omnium viventium*, quatenus per varias generationes Christus ex ipsa procreandus sit, qui vitam reparaturus esset, nec solum futuram matrem seminis *vivificantis*, sed etiam *vivificati*, adeoque *Adamum* etiam sperasse, se per illam vitam æternam, in cœlis degendam, consecuturum esse; quin ipsa illa nominis impositione suam in mulierem potestatem declarasse, quoniam illa signum potestatis in aliquem haberi queat. De vestibus pelliceis, rejecta sententia *Bechai*, autumantis, adfuisse parentibus nostris vestem *natalem instar unguis*, monstrat, probabile esse, ipsas non a Deo, sed parentibus nostris, con-

Pag. 246-249. 249-259. 259-263. 263 seq. 264-274. 274-282.

concinnatas esse, quibus Deus artem conficiendi vestes indiderit. Paratas autem non esse ex materia præexistente, conversa in pelles, sed *pellibus animalium*, quæ in sacrificia cesserint,
Pag. quoniam fœdera olim sacrificiis mactatis firmabantur. Inde di-
284-292. versas diversorum de materia vestium harum sententias, nec minus *Clerici* conjecturam de *tabernaculo, pellibus contra ardores*
292-312. *solis contecto*, refellit. Quare autem vestibus pelliceis fuerint induti, illius rei has affert rationes, ut perpetuam mortalitatis memoriam haberent, porro scirent, non in ornamentum, sed necessitatem, datas esse, adhæc tales luctui convenire inducerentur, denique ut inde cognoscerent, se ad perpetuum damnatos esse exilium, cum ad metalla damnatis hujus generis
312 seq. vestes antiquitus darentur. Pelles istas ex *bove*, unde sacrificium *pacificum* paraverit *Adamus*, sumtas esse conjicit, illumque non *candidi coloris*, quod quidam hariolantur, in signum victoriæ, a semine mulieris olim reportandæ, sed *rufi* potius, fuisse, tum in testimonium agnitionis proprii peccati, tum in præsignificationem sacrificii futuri sospitatoris. Has autem toti corpori contegendo aptiores longe, quam *ovis*, quam hic sibi nonnulli invenisse sunt visi, fuisse, easque non *rudes*, sed vestis instar aptatas, esse, quo differentia sexus ex ipsis vestibus appareret.
313-326. Hominem ita vestitum a Deo compellatum, *ecce Adam factus est sicut unus ex nobis*, quibus verbis *pater*, qui ante incarnationem filii personam judicis sustinuerit, hominum stultitiam
326-343. exprobraverit, adeoque *ironice* accipienda esse. Quod Deus hominem post admissum peccatum ab arbore vitæ arcuerit, hoc ipso docere voluisse, homini peccatorum sordibus maculato ad vitam æternam aditum non patere nisi per Christum, qui sanguine suo hominem vindicaret; arborem enim hanc fuisse typum futuræ immortalitatis, quam homo in cœlis consecuturus esset, si in obedientia perstiterit. Porro, arcendo hominem ab esu arboris hujus, Deum præcavisse hominem a majore peccato, ne invito Deo ulterius ex illa quidquam decerperet. Adhæc non dignus erat homo, qui paradisi incola per-
343-356. maneret, qui ipsi in obedientiæ præmium assignatus erat. Inter sententiæ pronuntiationem, quæ procul dubio prope arborem

rem vitæ audita fuerit, ejusdemque executionem, moram aliquam intercessisse, donec vestirentur. Jussos fuisse primum loco illo, ubi ad tribunal citati comparuerant, excedere, inde vero paradiso fuisse exclusos. *Dimissionem* fuisse gratiæ & misericordiæ, ne peccatum peccato cumularetur, *ejectionem* justitiæ, quo pœnæ gravitas ipsis ob oculos poneretur, quæ ejectio cum laboriosa terræ cultura conjuncta fuerit. De die, quo homo lapsus, cum alii uno eodemque die & creatum & lapsum fuisse asseverent, alii 33 annos numerent, quot Christus in his terris vivendo exegit, alii 40 dies putent, quot Sospitator noster optimus a pessimo malorum geniorum principe omnis generis insidiis est sollicitatus, nihil certi definiendum esse existimat, ratus, nec nimis longum, nec nimis breve, illud fuisse, quo opera bonitatis atque potentiæ contemplari, ac status felicitatis experimentum aliquod capere, integrum ipsi fuerit. Quæ de Cherubinis, gladio versatili instructis, ad ingressum horti positis, memoriæ prodidit *Moses*, non *allegorice*, de magnis *impedimentis*, spem omnem reditus amputantibus, accipienda esse monstrat, nec juxta *Theodoreti* & *Procopii Gazæi*, itemque *Theodori Heracleensis*, sententiam *spectra*, sive horribiles animalium formas, nec *Zonam torridam* ac æstum ibidem grassantem, nec *ignem*, gladii instar in altum adscendentem, nec denique *ignem purgatorium*, sed *Angelos*, qui speciem aliquam versatilem gladii quasi in ipso paradisi aditu continuo agitaverint ac motitarint, intelligendos esse. Ex diversis derivationibus vocis כרוב illa ipsi arridet, quæ ex radice רכב, *equitavit*, per literarum transpositionem instituitur, quoniam, præeunte Scriptura, Deus Angelis pro *curru* uti dicitur: hac ipsa appellatione vero respici vel ad *formas externas*, quas assumserint, vel *qualibus* fuerint *effecti*, docet.

Pag. 356-364. 364-372. 372-379. 379-384.

Ex his jam Lector de pretio Operis hujus judicare poterit. In subsidium quidem vocavit Autor præstantissimos quosque interpretes, *Rivetum*, *Dietericum*, *Heideggerum*, *Burmannum*, alios; illorum tamen lucubrationibus ita est usus, ut vel novis rationibus dicta eorum communiverit, vel argumentis prolatis ab illis discesserit. Historiam mundi, speciatim hominis creati,

ti, lapsi, instaurati, stilo plano, terso, luculento, rationibus ex linguarum notitia, Historia prisca, Theologia naturali, (in qua arripienda se ætatem fere consumsisse, fatetur *Diss. I pag. 385*,) doctrina morali, ipsaque Theologia revelata, petitis, ita solide illustravit, ut ab illius lectione nemo absque insigni fructu sit recessurus. Si qua subinde iterato recurrunt, factum id procul dubio ea de causa, ut, quæ alibi dixerat, copiosius & explicarentur & inculcarentur, nec ulli dubitamus, quin, si recentiorum observationes consulere visum esset, nonnullas sententias aut mutaturus, aut firmioribus argumentis corroboraturus fuisset. Gratulamur interim civitati Christianæ, quod, uti in cunis vagiens JCtos causam suam egregie tutantes suspexit, ita adhucdum ætate provecta habeat, qui doctrinam omnem atque splendorem eidem inferant, & quibus res suas adversus hostes, etiam acerrimos, tuto committere possit. Quod *Dissertationis de Origine Juris Naturalis defensionem* attinet, in illa sententiam suam, *Jus Naturale homini coævum non fuisse, quoniam distinctam notitiam boni atque mali*, cujus recens conditi homines experti fuerint, a Cl. *Musæo* labefactatam, novis rationibus fulcire contendit. Nostrum non est, judicium nostrum interponere; hoc tantum observamus, Amplisſ. Autorem *jus naturæ*, ac *rectitudinem voluntatis*, ejusdemque sanctitatem, prorsus disjungere, quæ tamen commode in una sede morari possunt. Creator optimus rem cum ratione atque consilio agentem facere non potest, nisi ad se ordinet, ad se absque lege ordinare nequit: quicquid homo rectus agebat, agebat ob certas atque justas rationes, quæ rationes in relatione, quæ inter ipsum atque Deum intercedebat, fundata erat. Igitur σχέσις illa postulabat *jus naturæ*, quæ ut sarta consistere, ac homo eidem obsequium præbere posset, requirebatur sancta quædam naturæ atque voluntatis rectitudo. Verum quidem est, juris naturalis vim, postquam homo se peccato mancipavit, in illo convincendo, arguendo, condemnando, magis conspicuam factam esse; sed illud omne ab ejusdem lapsu ortum suum demum ducere, affirmari non potest. Lex illa positiva erat quasi accessio quæ-

dam

dam legis naturalis, ex cujus obſervatione Deus cognoſcere volebat, num reliquis legibus ſuis morem geſturus eſſet. Quæ de ignoratione boni & mali in ſtatu integritatis diſſerit, in his, ſi de *ignorantia practica* accipiantur, neminem facile ſibi adverſum habebit. Sed, quid de tota lite cenſendum ſit, alii videant. Dolemus interim, duriora aliquando verba excidiſſe.

HISTOIRE ANCIENNE DES EGYPTIENS, &c.

h. e.

HISTORIA ANTIQUA ÆGYPTIORUM, Carthaginienſium, Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, Perſarum, Macedonum, & Græcorum; Autore ROLLINO, Rectore Academiæ Pariſienſis, Eloquentiæ in Collegio Regio Profeſſore, & Academiæ Inſcriptionum & bonarum literarum Regiæ Sodale.

Tomus VI — X.

Amſtelodami, apud Jo. Wetſtenium & Guil. Smith, 1734 & 1735, 12 maj.

Tom. VI Alph. 1 plag. 2, Tom. VII Alph. 1, Tom. VIII Alph. 1 plag. 3, Tom. IX Alph. 1, Tom. X plag. 19.

Elegantiſſimæ Hiſtoriæ, quæ communi dudum plauſu excepta eſt, *Volumina* priora *tria* in his *Actis A. 1732 Menſ. Aug. pag. 352, quartum A. 1733 Menſ. Aug. p. 359, quintum A. 1735 Menſ. Jun. pag. 257*, breviter, ſed quod ſatis eſt, laudavimus. Jam de ceteris, quæ poſtea ſecuta ſunt, commemorabimus. *Volumen ſextum Librum XIV* & *XV* complectitur, & primo hiſtoriam *Philippi*, Macedonum Regis, altero vitam & res geſtas *Alexandri Magni*, enarrat. De Phalange Macedoniorum, *Demoſthene*, *Ariſtotele*, Brachmanibus, nonnulla quoque lectu digna ibi exſtant. In calce autem *Voluminis* cogitationes *Boſſueti* de Perſis, Græcis, & Macedonibus, repetuntur.

Septimo Volumine, quod unico *Libro*, *decimo* ſcilicet *ſexto*, conſtat, traditur, quid poſt mortem *Alexandri* inter ejus ſucceſſores actum, & quomodo regna diviſa fuerint. *Liber* hic

temporis intervallum ab initio regni *Ptolemæi Soteris*, Ægyptiorum Regis, usque ad *Cleopatram*, emetitur. Initio sistitur summa chronologica historiæ hoc *Volumine* contentæ, ratione regni Ægyptiorum, Syriæ, Macedoniæ, Thraciæ, Bithyniæ, Pergami, Ponti, Cappadociæ, Armeniæ, Epiri, Syracusæ, & Tyrannorum Heracleæ. Abit vero totus *Liber* in *tres Articulos*. *Primus* spatium 23 annorum, scilicet 23 annorum priorum *Ptolemæi Soteris*, complectitur, atque de litibus bellisque inter *Alexandri* duces obortis, ab hujus morte usque ad pugnam ad Ipsum in Phrygia, commemrat. *Secundus* 55 annorum spatium percurrit, scilicet posteriores annos *Ptolemæi Soteris*, & 40 annos *Ptolemæi Philadelphi*. *Tertius* denique complectitur spatium 25 annorum, quibus *Ptolomæus Evergeta* cum imperio fuit. De Helopoli simul, Pharo, Bibliotheca Alexandrina, Colosso, hoc *Tomo* refertur.

Volumen VIII res a successoribus *Alexandri Magni* gestas eadem diligentia atque cura ex veteribus Autoribus repetitas, qua priora *Volumina* Lectoribus eruditis se probaverunt, porro enarrat. Ex Regibus Macedoniæ commemorantur Rex penultimus *Philippus*; ex Regibus Ægypti *Ptolemæus Philopator*; ex Syriæ Regibus *Seleucus Ceraunus*, *Antiochus Magnus*, & *Antiochus Epiphanes*. Quando res *Philippi* persequitur Autor, longa simul & eleganti digressione agit de ignibus illis militaribus, in altis locis jussu *Philippi* editis, ut signum essent, ex quo procul sublato, quid hostes molirentur, momento temporis intelligeret, &, quæcunque *Polybius* de iis ignibus copiose tradidit, accurate, & fere ad verba, refert. Et, quandoquidem in *Polybio* mentio atque descriptio exstat, cujus beneficio illa significatio per ignes facta fuit, Professor Matheseos in Collegio Regio Parisiensi, *Chevalierius*, *Rollini* precibus motus, hoc ipsum instrumentum in singulari Tabula ænea delineavit, & longa oratione exposuit.

Inchoatur *nono Volumine undevigesimus* universi Operis *Liber*, quo eruditissimus Autor propria sibi perpetuaque diligentia, doctrina, & elegantia sermonis, historiam successorum *Alexandri Magni* pertexit. Hinc *Articulo I* de *Perseo*, cum Romanis bellum

ge-

gerente, per *Paulum Æmilium* victo, & in captivitatem abducto; *Art. II* de *Attalo*, Romam veniente, ut Romanis victoriam hanc gratularetur, fœdere cum Rhodiis sancito, rebus Ætolorum, exilio Achæorum a Romanis indicto, rebus *Prusiæ*, Bithyniorum Regis, itemque *Eumenis*, Pergamenorum Regis, morte *Ariarathis*, Cappadocum Regis, & successione filii ejusdem nominis, bellis inter *Attalum* & *Prusiam* gestis, legatione trium celebrium Philosophorum Atheniensium ad Romanos, *Carneadis* scilicet, *Diogenis*, & *Critolani*, itemque alia ad Massilienses, cum digressione de urbe Massiliensium, rebus *Andrisci*, & præliis cum *Juvencio* & *Metello* commissis, secundo quoque & tertio regni Macedonici usurpatoribus victis, turbis in Achaja, prælio Achæorum cum *Metello*, Corintho a *Mummio* capta, & Græcia in provinciam Romanam redacta, triumphis *Metelli* & *Mummii*, in fine denique, appendicis loco, de florentissimo Græciæ statu, tum ejus decrementis & ruina, quatuor veluti ejus provinciæ ætatibus constistitutis, agit. *Articulo III* procedit ad exponendam cum regni Ægyptiaci, tum Syriaci, historiam, utramque centum circiter annorum spatium complexam. Cum vero res singulorum utriusque regni Præsidum non seorsim & separatim, sed prout confusius gestæ, & alii atque alii nunc imperii fastigio admoti, nunc de eodem dejecti, nunc restituti fuerunt, commemorare habuerit; præmittendam omnium rectorum seriem, eo, quo se exceperunt, ordine contextam, putavit, qua finita, copiosiorem rerum gestarum enarrationem exorditur. Sunt igitur, quorum historia hoc *Articulo* continetur, ex Regibus Ægypti *Ptolemæus Philometor*, *Ptolemæus Evergetes*, *Ptolemæus Lathyrus* seu *Soter*, *Alexander*, *Alexander II*, *Ptolemæus Auletes*; ex Regibus autem Syriæ *Antiochus Eupater*, *Demetrius Soter*, *Alexander Bala*, *Demetrius Nicator*, *Antiochus Diodatus*, *Tryphon*, *Antiochus Sidetes*, *Alexander Zabina*, *Seleucus V*, *Antiochus Cyzicenus*, *Seleucus*, *Antiochus Pius*, *Antiochus XI*, *Philippus*, *Demetrius Eucærus*, *Antiochus Dionysius*, *Tigranes*, Armeniæ Rex, *Antiochus* Asiaticus, & tandem Syria in provinciam Romanam a *Pompejo* fuit redacta. In medio autem historiæ contextu data occasione etiam de *Attalo*, qui *Philometor*

 cogno-

cognominatur, & populum Romanum hæredem instituit, de exitu *Aristonici*, de *Phraate*, Rege Parthorum, & *Mithridate*, Ponti Rege, *Ptolemæo Appione*, regnum Cyrenaicum Romanis relinquente, de *Nicomede*, Bithyniæ Rege, populum Romanum itidem hæredem relinquente, de rebus etiam Judæorum, agitur. *Libri vicesimi Artic. I* sistit historiam Judæorum, inde ab *Aristobulo*, filio *Hyrcani*, usque ad *Herodem* magnum Idumæum. Occurrere igitur videas *Aristobulum I*, *Alexandrum Jannæum*, ejusque uxorem *Alexandram*, *Aristobulum II*, *Hyrcanum II*, *Antigonum*. *Articulo II* traditur epitome historiæ Parthorum, inde a primis orignibus usque ad *Crassicladem*. *Articulo* demum *tertio* itidem exstat epitome historiæ Regni Cappadociæ, a prima ejus constitutione usque ad id tempus, quo transiit in provinciam Romanam.

Volumen decimum Librum vigesimum, & sequentes duos, complectitur. Et *vigesimus* quidem finem historiæ Syracusanæ pertexit, & de rebus *Hieronis* secundi, ejusque filii, *Hieronymi*, illorumque, qui post hujus mortem rerum potiti fuerunt, de obsidione urbis Syracusæ, per *Marcellum* facta, damnoque ab *Archimedis* machinis illato, de capta urbe, morteque *Archimedis*, ipsiusque tumulo, a *Cicerone* detecto, exponit. Accedunt meditationes de regimine & charactere Syracusanorum, itemque de *Archimede*. *Liber vigesimus primus* persequitur ea, quæ supersunt de historia successorum *Alexandri*, & primo quidem res gestas *Mithridatis*, Regis Ponti, bellaque Romanorum cum illo a *Sylla*, *Murena*, & *Lucullo*, gesta, & quæ porro idem non minus ac *Tigranes* a *Lucullo* pariter atque ejus successore *Pompejo* perpessus fuerit, & expeditiones *Pompeji* in Arabia & Judæa, refert. Posthæc Ægyptum petens, historiam & fata *Ptolemæi Auletæ*, *Berenices*, atque *Cleopatræ*, & quomodo Ægyptus tandem in Romanam provinciam desierit, enarrat. *Libro vigesimo secundo* de artibus & scientiis veterum populorum agitur. Inter eas eminet agricultura, cujus antiquitas, & utilitas, & honor, prædicatur, & simul loci ex abundantia frumenti celebriores enumerantur. Huc etiam cum viticultura, qua occasione vina Græciæ & Italiæ præstantiora concelebrantur, tum nutritio variorum

riorum

riorum animalium, pertinet. Innocentia & voluptas vitæ rusticæ & agriculturæ ab Autore eximie collaudatur. Commerciorum quoque veteres fuerunt studiosi, de quorum excellentia, emolumentis, & antiquitate, disseritur, urbesque ob eandem illustriores indicantur. His vero commerciis exposita erant ferrum, cuprum, aurum, argentum, ex quibus posterioribus maximam partem divitiæ veterum redierunt, margaritæ, purpura, texta sericea, aliaque. Agitur quoque, ob argumenti affinitatem, de numis veterum & monetis.

JO. RUDOLPHI ENGAU, J. U. D. ET P. P. in Academia Jenensi, Elementa Juris Criminalis Germanico-Carolini, ex genuinis fontibus deducta, variis observationibus & formulis illustrata, atque commoda Auditorum methodo adornata.

Jenæ, sumtibus viduæ Crœckeriæ, 1738, 8.
Alph. 1 plag. 20.

Exsolvit ergo fidem, quam in *Germanicæ Jurisprudentiæ Elementis* obstrinxerat Cons. *Engavius*, desiderioque orbis Themidi litantis, quod ipsa hæc *Acta* nostra excitarant, facit ex asse satis. Nullum est dubium, quin primæ hæ majoris Operis in posterum tempus adornandi lineæ omnibus istarum literarum æstimatoribus sese sint probaturæ, quippe quæ res & scitu necessarias, & lectu jucundas, commoda legentibus ratione complectuntur. Ipse Cons. Autor tales sibi in scribendo leges dixit, quæ telam omnibus numeris absolutam non poterant non efficere. Præfat. Namque ita se gessit, ut 1) gentium peregrinarum instituta repudians, Germanicos mores unice illustraret; 2) ut Romanum Jus non nisi in subsidium, post investigatas Teutonum sanctiones, consuleret, 3) ut ipsos fontes salutaret, atque illorum tot, quot haberi possent, volumina conquireret; 4) ut JCtorum meditationes adhiberet, neque tamen in verba magistri, cœca quadam reverentia inductus, temere juraret; 5) ut cujuscunque criminis indolem ac pœnam una cum causis, pœnam vel mitigantibus, vel exacerbantibus, solide enuclearet;

6) ut

6) ut doctrinas in scholis tradi solitas cum usu fori sedulo conferret; 7) ut ipsas agendi formulas adderet, quarum adhuc ampliorem accepissemus numerum, nisi & bibliopolæ consilium, & typis describentium segnities, optimo conatui obstitissent. Ex quo perspicuum est, plurimis, qui huc usque Criminalem Jurisprudentiam versarunt, scriptoribus *Engavium* longe anteponendum. Dum enim illi vel Pythagorica quadam inconsiderantia magistrorum crambem bis coctam apponerent, vel solas leges Quiritium sanctas atque prudentes, Germanicas contra stultas & frigidas, censerent, vel subsidiis, ex rerum gestarum tabulis, antiquitatibus, morali disciplina, & arte disserendi, petitis, destituti agerent, vel denique inordinatissimum alphabeti ordinem sequerentur, hic meditando & legendo fecit periculum, quid humeri valerent, quid ferre recusarent. Itaque, post præviam Dissertationem exordialem, *de Jurisprudentiæ criminalis necessitate, usu, & subsidiis, Libro priori* crimina recensuit, *posteriori* judicii criminalis ideam formavit. *Leges Germanorum criminales, earumque origo, fata, ac usus, Capitis I* materiam suggerunt. Ex quo solis vivere moribus majores nostri desiere, singulæ nationes legum sibi tabulas condiderunt,
§. 4. quas post *Heroldum Frid. Lindebrogius* evulgavit. Variant plurimum, communibus tamen nævis sæpius laborant, inque hoc præterea omnes ferme congruunt, quod 1) specialissimos delictorum gradus innuunt, 2) delinquentium patriam ac conditionem distinguunt, 3) iniquitatem agentium in foro & malitiam, crimina hodie impunita, coercent, 4) mulctas plerumque, rarius ultimum supplicium, irrogant, 5) homicidium a murdrido disjungunt, 6) probationes vulgares sanciunt, 7) primas torturæ origines exhibent, 8) post introductam religionem
9. Christianam diritate antiquas vincunt. Confusionem postera ætate natam Sec. XIV & insequenti *Maximilianus I* tollere conatus est, quem tamen peculiarem Juris criminalis Ordinationem composuisse, compositamque cum Statibus in Comitiis Coloniensibus A. 1505 communicasse, nemo facile probabit, licet id susceperit in Præfatione *Commentarii ad Carolinam Nemesin*
10. Cel. *Kressius*. Mansit iste honos *Carolum V*, cujus *Ordinatio* cum

Bam-

Bambergensi de A. 1508, & Brandenburgica de A. 1516,
valde congruit, & A. 1532 in Comitiis Ratisbonensibus prodiit.
Quemadmodum autem ab initio legis universalis naturam non
per omnia induit, Ordinibusque S. R. I. aliud statuendi faculta- §. 11.
tem liberam reliquit, ita, exceptis Episcopatibus Herbipolita-
no & Monasteriensi, itemque Solmensi Comitatu, vix ulla Ger-
maniæ provincia eandem servat. Fuerunt etiam gravissimæ 12.
rationes, quæ eo traxerunt Principes, cum & inordinata articu-
lorum congeries, & crambe sæpius apposita, & rerum no-
tatu digniorum prætermissio, & inutilium copia, & supina in
pœnis constituendis negligentia, & principiorum cum sacris
Christianis pugnantium suppositio, æstimatione de medio sub-
lata, odium ejus gravissimum induxerint. *Caput alterum* est
de delictis in genere. Fines præclare rexit Cl. *Engavius*, *pec-* 14.
catum pro facto divinis legibus contrario, *vitium* pro actione
normam honesti ac decori lædente, *delictum* pro facto legi hu-
manæ, pœnam comminanti, adverso, *crimen* pro delicto, acce-
dente dolo malo, id est, prælucente intellectu, & decernente 31.
voluntate, perpetrato, accipiens. Inde est, quod actiones il-
licitæ casu, vel ob urgentem necessitatem, commissæ, e criminum 52.
numero exulant, cum dolo malo destituantur. Facti enim
causam, non factum, spectari voluerunt majores nostri. De
casu quidem eruditissimi homines dubitarunt, inprimis cum in
Leg. Sax. Tit. 12, Leg. Frision. add. Tit. 3, Jure Prov. Sax. II, 14,
38, & *Jure Prov. Suev. Cap. 227,* aliquam ornandæ opinionis spe-
ciem deprehenderent. Sed est alia longe adoptanda istarum le-
gum interpretatio, quippe quas de casibus prævia culpa evenien-
tibus disponere, ex collatis *Leg. Wisigoth VI, 5, 4, XII, 6,* & *Ca-*
pitul. Regum Franc. VII, 297, recte conjecit Autor Consultissi-
mus. Caput 3 agit *de veris & quasi criminibus*; Caput 4 *de cau-*
sis, quæ crimina vel graviora reddunt, vel leviora efficiunt;
Caput 5 *de pœnis*, quarum & justa proportio, & varietas, & deter-
minatio arbitraria, sub examen vocantur; Caput 6 *de fredo, fai-* 90.
da, mulcta, & emenda. Olim *fredi & faidæ* nominibus indica-
batur, quod postea *Wette* & *Busse* dici suevit. Illud judicis pa-
trimonio adjicitur, & ad pacem publicam redimendam tendit;

hæc læso, ejusve familiæ, exsolvitur, ut compositio maturetur. In perantiqua Frisiorum lege vox *faidosus* legitur, & hominem, qui faidæ solutione sese nondum liberavit, significat. Talis publica pace destituebatur penitus, nisi aut in ecclesia versaretur, aut in domo sua delitesceret, aut per plateam ad sacra placitumve obambularet. Ad recensionem criminum specialiorem conversus Autor doctissimus, *Cap. 7 de furto* disserit, ejusque naturam, crimen, pœnam, civilemque, quæ furtum passo
§. 123. competit, actionem, repræsentat. Inter ea, quæ ad pœnam mitigandam faciunt, incerta rei ablatæ quantitas locum occupat, quam & tum Doctores statuunt, si dominus justam suæ æstimationis rationem non edidisset. Nimiam hic in fures indulgentiam *Leyserus* & *Engavius* accusant. Nos vero, si sederemus judices, accuratam haberemus τῶν περιστάσεων rationem, ne, dum, scyllam evitaturi, præfractæ audaciæ latronibus patrocinium denegamus, in charybdin incidamus. Etenim hoc quoque iniquitatis aliquid admixtum habet, in aggravando crimine judicium hominis rebus intenti, & ob inopinatum detrimentum ira perciti, plurimum valere, pretiaque affectionis consuli, cum de vita & salute alterius disceptatur. Caput 8 est *de sacrilegio;* Cap. 9 *de rapina;* Cap. 10 *de plagio;* Cap. 11 *de furto ferarum;* Cap. 12 *de delictis carnis generatim, inprimis fornicatione;* Cap. 13 *de stupro;* Cap. 14 *de concubinatu;* Cap. 15 *de adulterio;* Cap. 16 *de bigamia;* Cap. 17 *de stupro violento;* Cap. 18 *de raptu;* Cap. 19 *de sodomia;* Cap. 20 *de incestu;* Cap. 21 *de lenocinio*, quod, Germanis olim inauditum, postea exemplo Romanorum innotuit. Inde in solis *Wisigothorum Legibus III*, 4, 17, memoratur, donec subsequentia tempora, detestatione illius, vivi lenonis defossionem imperarunt. Vid. *Jus Brunsu. P. II n. 56*, apud *Leibnitium Script. Brunsu. T. III pag.*
281. *434*. Jus Romanum tanti patrationem flagitii in maritis & parentibus gladio ultore vindicavit, cui Cl. *Engavius*, in sententiam Cel. *Leyseri* concedens, tum demum locum esse relinquendum statuit, cum quis invitæ mulieris prostitutionem procuravit. Nos, cum lenones sine distinctione eodem, quo adulteros, supplicio affici debere, ex *L. 8 ff. ad L. Jul. de Adulte-*

riis

riis discamus, hos autem gladii subire pœnam, *l. 30 §. 1 C. eod.* doceamur, nullam dubitandi materiam nanciscimur. Transitur Cap. 22 *ad injurias*, & *Cap. 23* agitur *de blasphemia*, Cap. 24 *de alapis & vulneribus*; Cap. 25 *de libellis famosis*; Cap. 26 *de duello*; Cap. 27 *de homicidio*; Cap. 28 *de latrocinio*; Cap. 29 *de assassinio*; Cap. 30 *de parricidio*; Cap. 31 *de expositione infantum*; Cap. 32 *de abortu procurato*; Cap. 33 *de sterilitate conciliata*; Cap. 34 *de veneficio*; Cap. 35 *de homicidio proditorio*; Cap. 36 *de autochiria*; Cap. 37 *de incendio*; Cap. 38 *de mania*; Cap. 39 *de falso*; Cap. 40 *de perjurio*; Cap. 41 *de termino moto*; Cap. 42 *de decoctoribus*; Cap. 43 *de prævaricatione*; Cap. 44 *de læsæ majestatis crimine*; Cap. 45 *de diffidationibus*; Cap. 46 *de violata certarum personarum certorumve locorum sanctitate*; Cap. 47 *de falsa moneta*; Cap. 48 *de usuraria pravitate*, *abigeatu*, *effractione carceris*, *dardanariatu*, & *peculatu*; Cap. 49 *de delictis ministrorum principis*; Cap. 50 *de militaribus & maritimis delictis*. His solide expla- §. 2.
natis, *Lib. II Processum* fori Germanici exhibet Cl. *Engavius*, & quidem Cap. 1 *Jurisdictionem criminalem*, id est, potestatem criminales causas dirimendi, illustrat. Illa antiquiori, qua *Tacitus* 3.
floruit, ætate in bello penes sacerdotes, in pace penes principes centenariis cinctos & stipatos, erat. Sub Francorum imperio Comitibus competiit, ita tamen, ut ad Reges esset provocatio, iisque judicia illustrium personarum reservarentur. Cum Sa- 4.
xonicæ stirpis Reges sceptra tenerent, ipsi plerumque de criminibus cognoverunt, nisi ob delinquentium conditionem Ducibus Comitibusve mandare negotium consultius arbitrarentur. Acci- 5.
dit postea, ut propriam sibi vindicarent, quam Imperatoris nomine exercebant, jurisdictionem quamplurimi Duces, Burggravii, Palatini, Marchiones, Landgravii, Comites, itemque per aliquod tempus Episcopi & Prælati, ab advocatis ecclesiarum liberati, nec non civitates regiæ, immediatique Nobiles. Hi omnes jus dicere in causis criminalibus per suum quisque territorium cœperunt, eamque prærogativam ad partem superioritatis territorialis sub titulo *des Blut- und Kœnigs-Banns* traxerunt. Pergit Cl. *Engavius*, & agit Cap. 2 *de Judice, Scabinis, & Actuario*; Cap. 3 *de judiciorum criminalium forma ac generibus diversis*;

 Cap.

Cap 4 *de foro competente*; Cap. 5 *de processu accusatorio*; Cap. 6 *de inquisitoria procedendi ratione*, *speciatim de corpore delicti investigando*; Cap. 7 *de eruendo delictorum autore*; Cap. 8 *de indiciis*; Cap. 9 *de incarceratione facinorosorum*; Cap. 10 *de mediis carcerem avertendi vel mitigandi*; Cap. 11 *de examinibus reorum*; Cap. 12 *de articulis inquisitionalibus*; Cap. 13 *de mediis responsionem ad inquisitionales articulos avertendi*; Cap. 14 *de reo confesso*; Cap. 15 *de probatione criminis*; Cap. 16 *de confrontatione*; Cap. 17 *de defensione*; Cap. 18 *de probationibus*, *speciatim per ordalia*; Cap. 19 *de tormentis*; Cap. 20 *de probatione religionis jurisjurandi*; Cap. 21 *de defensione avertendæ purgationis*; Cap. 22 *de sententia*; Cap. 23 *de publicatione sententiæ*, & *illius effectis*; Cap. 24 *de urpheda*; Cap. 25 *de solenni sententiarum executione*; Cap. 26 *de processu criminali contra absentes instituendo*; Cap. 27 *de salvo conductu*; Cap. 28 *de processu proscriptionis*, *speciatim banni Saxonici*; Cap. 29 *de criminalibus militum judiciis*; Cap. 30 *de præscriptione criminum*; Cap. 31 *de abolitione*; Cap. 32 *de criminalibus expensis*. Ita feliciter rem suam egit, telamque susceptam dextre absolvit Vir doctissimus; ita talem se gessit, ut non possimus non & quibusvis ejus conatibus, & speciatim majori Jurisprudentiæ criminalis compilationi, prosperos successus precari.

L'ART DE GUERIR &c.

h. e.

ARS MEDENDI PER VENÆSECTIONEM, ubi eodem tempore examinantur alia auxiliorum genera, quæ cum isto remedio vel conjungi, vel eidem plane præferri, in morbis medicinalibus perinde ac chirurgicis, debent; Autore FRANCISCO QUESNAYO, Magistro Artium, Chirurgo in S. Cosmæ nosocomio, Collega Societatis Academicæ Artium, atque item Academiæ Scientiarum & meliorum literarum Lugdunensis, Ducis de Villeroy Chirurgo.

Parisiis, apud Guilielmum Cavelierum, 1736, 12 maj.
Plag. 17½.

Perti-

Pertinet hic libellus ad alium quendam ejusdem Autoris, jam a nobis commemoratum, qui *Tentamen physicum in œconomiam animalem* inscribitur, cujus velut altera pars esse ipse hic videtur, qui & eo consilio huic præmissus est, ut hæc ipsa de Venæsectione Commentatio rectius perspici & intelligi queat. Dividitur in *duas Partes*. *Prima* agit de venæsectione, ejusque effectibus generatim; *altera* vero de indicationibus venæsectionis speciatim. *Prima Pars duabus* constat *Sectionibus*, quarum *prior* de venæsectione generatim, *altera* de ejus effectibus, tractat. Ex doctissimi Autoris sententia sanguinis eva- P. I
cuationem considerare licet duplici modo, vel quoad inanit Sect. I
vasa, quo sensu appellatur depletio, vel quoad quosdam cor- Cap. 1.
poris nostri humores magis subtrahit & exhaurit, quam alias, quo sensu spoliatio dici meretur. Utraque & ratione effectus, & ratione durationis, discrepat. In depletione, dum 2.
massa liquidorum minuitur, plenitudo quoque vasorum minuitur, quæ liquida ista continent. Depletio hæc æqualiter & eodem fere tempore per omnia vasa sanguinea, in quibus sanguinis circuitus eodem fit vigore, eodemque impetu, distribuitur. Ejusmodi autem depletio, quam efficit una venæsectio, non magni admodum videtur esse momenti, multumque illi tribui nequit, nisi in sanguinis missione larga & frequenti.
Spoliatio, quam efficit venæsectio, in eo consistit, quod mas- 3.
sa sanguinea parte sua rubicunda, albisque succis, qui per vasa sanguinea vehuntur, privetur. Illud enim certum est ac manifestum, per venæsectionem extrahi immediate & proxime humorem vasorum sanguineorum, non æque succos, qui per vasa remotiora & alius generis feruntur, in quibus sectio non æque locum habet, & qui, cum, quicquid educitur, ex vasis sanguineis educatur, proinde pedetentim tantum atque eminus evacuationis illius participes evadunt. Vasa sanguinea ratione vasorum reliquorum se habent fere ut *1* ad *3*. Sanguis proprie ita dictus, sive portio rubicunda, se habet ad succos albos, qui solum in vasis sanguineis continentur, propemodum ut *1* ad *3*, & ad universam massam succorum alborum per totum corpus diffusorum, ut *1* ad *9*. Quando igitur una venæsectio subtrahit $\frac{1}{40}$ portionis rubicundæ, tantum $\frac{1}{180}$ succorum albo-

rum ſecedet, hoc eſt, major ad quartam partem ſanguinis quantitas, quam ſuccorum alborum, una venæſectione profundi ſolet. Vaſa autem ſanguinea non contribuunt, niſi ad $\frac{1}{5}$ in venæſectione, &, quicquid contribuunt, id omne in parte rubicunda ſuggerunt. Unde tandem concluditur, tantum abeſſe, ut venæſectio ſuccos albos in vaſis ſanguiferis minuat, ut eosdem ſemper augeat; effectum tamen ex ſubtractione partis rubicundæ ad ſuccos quoque lymphaticos redundare, atque, ſi hæc doctrina de ſpoliatione recte applicetur, plura circa venæſectionis doctrinam rectius explicari, multasque

Sect. II difficultates ſolvi egregie poſſe. Quantum ad effectus venæſe-
Cap. 1. ctionis attinet, principes fere hi eſſe ſolent, ut ratione depletionis, ſi ſcilicet alicujus fuerit momenti, liquidis aliqua progrediendi in vaſis ſuis facilitas concilietur, ratione ſpoliationis au-
2. tem maſſa ſanguinea magis ſeroſa reddatur. In partibus vero ſolidis ſigillatim ratione depletionis in earum relaxatione conſiſtit. Princeps vero effectus ſpoliationi adſcribendus eſt, atque eatenus venæſectio reſtituit alacritatem ſolidis; eadem vero & nimium actionis impetum in partibus organicis aliquantum infringit, porro & vaſa relaxat & remittit, pulſum efficit magis facilem, liberum, & celeritatis capacem, partes ſolidas mollit, ut tractabiles evadant. In partibus liquidis hi effectus oriuntur.
3. Depletio frequens multum tribuit ad cruditates humorum pariter atque ſpoliatio. Præterea venæſectione ſucci redduntur magis fluxiles, & fervor humoris biliosi aliquantum intra ſuos limites coercetur. Noxia proinde eſt venæſectio, ubi cruditas humorum dominium tenet. Varias quoque alias mutationes in motu liquidorum parit, qui magnis & copioſis venæſectionibus retardatur & relangueſcit. Eadem quoque infirmum eſt remedium in morbis ex atonia & inertia ſolidorum natis. Nec quidquam valet immediate & proxime contra vitium quoddam liquidorum abſolutum, ut per eam prava indoles tollatur. *Pars ſecunda tribus* conſtat *Sectionibus*. *Prima* tradit venæſectionis indicationes, ex ſtatu ſolidorum deſumtas; *ſecunda* indicationes ex ſtatu liquidorum repetitas; *tertia* indicationes a ſtatu utrorumque ſuggeſtas. In morbis explicandis, quibus an venæſectio conveniat, diſquirit, ipſam ſimul Patho-

thologiam enucleat, multa etiam de ipsorum curatione per alia P. II
remedia commemorans. In debilitate & infirmitate, quæ fit ab Sect. I
abundantia sanguinis, hujusque motu impedito, venæsectio lo- Cap. 1.
cum habet, quæ semper plethoræ, sive curationis, sive præser- 2.
vationis, rationem habeas, optime medetur, non vero tam de-
pletione, quam spoliatione. Ubi de intemperie biliosa Autor 3.
agit, veteres venæsectionem refert in morbis acutis biliosis me-
tuisse, quod crediderint, sanguinem esse frenum bilis. Quam-
vis vero hoc utique certum sit, in ejusmodi morbis secta vena
magis agitari sanguinem, & vasa insolentius moveri, ut sæpius
ejus profusiones extra vasa sua funestæ consequantur, eo usque
tamen largis & repetitis venæsectionibus progrediendum est,
ut illa vis aucta vasorum infringatur. Biliosis quoque præser-
vationis causa convenit, & ad avertendam phthisin ex acrimonia
bilis ortam valet. Pari ratione Autor, quid & quando in intem- 4.
perie melancholica, morbisque inde ortis, & intemperie pitui-
tosa, morbisque inde natis, juvet, definit. Ad morbos dela- Sect. II
tus, qui a liquidis proficiscuntur, de usu venæsectionis in vitiis Cap. 1, 2.
digestionis, in putrefactione humorum, atque in acrimonia eo- 3.
rundem, disputat. Ex numero morborum, qui solidis flui-
disque simul debentur, & de quibus disputatur, quousque ve- Sect. III
næsectio ipsis conveniat, præcipue in censum veniunt omnia Cap. 1-11.
circuli sanguinis impedimenta, phlegmone, erysipelas, scirrhus, œdema, inflammatio lymphatica, dolor, hæmorrhagia, vulnera, gangræna, febresque varii generis, in quibus pertractandis eam semper tenuit rationem, ut necessitatem, usum, frustra susceptam administrationem, imo noxam venæsectionis, ex sua theoria, quam de morbis tradit, longius deducat & persequatur. Quæ omnia etsi initio in summam redigere, atque huc transferre, decreveramus; tamen, cum, manu operi admota, prævideremus, omni licet adhibito brevitatis studio, propter argumenti indolem nos nimis longos fore & Lectori tædiosos, satis quidem nobis fuit, argumentum libri strictim indicasse, qui Lectorem plura nosse cupientem ad lectionem ipsius libelli
certe non pœnitendam invitamus. Restat *ultimum Caput*, quo 12.
declarat Autor, quatenus ex sanguinis inspectione colligatur, venæsectionem esse repetendam.

EDUAR-

EDUARDI CORSINI INSTITUTIONES *Philosophicæ, ad usum Scholarum piarum.*
Tomi VI.

Florentiæ, typis Bernhardi Paperini, 1731-1737, 8.
Alph. 9, cum plurimis Figuris æneis.

Licet ea ætatis nostræ sit felicitas; ut scriptis Virorum eruditionis laude conspicuorum, qui in explicandis illustrandisque Philosophorum placitis operam posuerunt suam, fere abundet; actum tamen egisse, vel Iliada post *Homerum* scripsisse, minime dicendus videtur Cl. Autor, suas *Institutiones* in lucem publicam emittendo. Non cujusvis omnino est, de celeberrimis sententiarum divortiis, quibus ab omni tempore distracti fuere Philosophi, ornate copioseque satis disserere, ita quidem, ut libro molis non admodum magnæ includantur omnia, quæcunque in cognitione rerum philosophicarum scitu utilia putantur. Hanc vero, si cuiquam, Cl. *Corsino* deberi laudem, lubentes profitemur. Atque hæc causa est, cur repetenda hic priora Operis egregii *Volumina*, quorum jam olim mentionem fecimus in *Supplementis ad Nova Acta Tom. I Sect. V pag. 218, & Tom. II Sect. XII pag. 546*, putemus, quippe tunc brevius, quod cetera libri utilissimi *Volumina* ad manus non essent, collaudata. Magni faciendum est purum nitidumque scribendi genus, quo in argumentis philosophicis, terminorum barbarie multum obvolutis, uti annisus est, quoad ejus quidem fieri potuit, eo fine, ne a studio philosophico arceantur juvenes, qui bene & eleganter dicendi facultatem in pretio habent. Igitur, cum Scholasticis solennis fuerit methodus dogmata proponendi per conclusiones, probationes, objectiones, instantias, & similia: quibusdam vero Philosophis, ut *Platoni* quondam, & *Galilæo* quoque, Dialogorum forma arriserit; Nostro, ad exemplum *Ciceronis, Aristotelis*, aliorumque, rem omnem perpetuo & æquabili orationis flumine proponere, visum fuit, ut nescias fere, Philosophumne magis legas, an magis Rhetorem. Ea quoque de causa ipsa Scriptorum, quos frequenter citat, verba textui sic inseruit, ut tota sermonis series sibi perpetuo constaret, nec ullibi diffflueret; quod quidem Lectorum permultis non ingratum fore confidimus. Sed sic quidem satis prælusimus:

mus: id adhuc, antequam ad ipſam Operis recenſionem accedamus, indicandum eſt Lectori, Curſum hunc uſibus Auditorum ſuorum præcipue deſtinaſſe Cl. Autorem, quorum animos ab omni ſectarum ſtudio ut abſtrahat, iisque liberam, veram, eclecticamque philoſophandi methodum inſtillet, id ipſum magno ſtudio diligentiſſimeque agit. Totum Opus dividi in *Tomos ſex*, jam docuit titulus: quorum priores *quinque* Inſtitutiones philoſophicas, *poſtremus* autem mathematicas, exhibet. De quibus ut breviter, nec tamen negligenter, dicamus, &, quæ Lectorum attentione digniora videntur, carptim recenſeamus, ad id negotii jam accingimur.

In *primo* igitur *Tomo* Hiſtoria comparet philoſophica, quam Logica excipit. De Hiſtoria equidem multa dicere ſupervacaneum fere videtur, cum in ea pertexenda dudum deſudarint Viri clariſſimi; id tamen laudis haud dubie Cl. Autori debetur, quod ſectarum genera omnia & ſucceſſiones concinno prorſus & percommodo ſchemate ita exhibuerit, ut cujusvis ſectæ origo, propagatio, principes, qui non interrupto ordine floruerunt, uno velut intuitu legentium oculis animisque obverſentur. Quos ad certam aliquam ſectam referri poſſe dubitavit Philoſophos, poſtremo loco, ſervata tamen temporum ſerie, ſubjunxit. In hoc autem Opere frequenter uſus eſt Scriptoribus optimæ notæ, *Diogene* inprimis *Laertio*, cujus vitam fuſius deſcribit, deinde *Petavio*, & *Stanleji* Hiſtoria Philoſophica, ex qua ſe multum profeciſſe, & pleraque accepiſſe, non ſine grati animi ſignificatione fatetur. Errores tamen aliquos, a Viris hiſce eruditiſſimis commiſſos, detexiſſe ſibi videtur, quos ut corrigeret, ſuarum eſſe partium judicavit. Et hæc quidem de Hiſtoria philoſophica.

Tranſeundum jam nobis eſt ad Logicam, ſeu Philoſophiam rationalem. Ei præmittitur Præfatio de origine, incremento, nomine, præſtantia, objecto, natura, partibus, Logicæ. Quod apud Arabes temporibus antiquiſſimis Logicæ uſus jamjam viguerit, ex hiſtoria *Jobi* conſtare putat Autor, cum ſermones, qui ibi continentur, ad regulas logicas probe ſint exacti. De præſtantia Logicæ artificialis multa, & egregie quidem, dicit, monet tamen, mathematicas ſcientias comparari absque illius ope poſſe, id quod patere credit tam ex veterum conſuetudine etiamnum recepta, qua juvenes Logicæ Geometriam præmittere debeant, quam ex arctiſſimo veritatum mathematicarum

inter ſe nexu, qui a ſimplicioribus ad magis compoſita facile & pede inoffenſo perducit, ita, ut ab errore quivis ſibi cavere poſſit, modo attentus eſſe velit. De ſtudio Logicæ præclare meritos judicat, qui ex Geometria leges ei dederunt. Ex quo conſequi videtur, Cl. Autorem veram Logicam a methodo mathematica, uti fieri ſane oportet, non diſtinguere. Ubi itaque Matheſin ſine Logices adminiculo addiſci poſſe dixit, Logicam illam vulgarem, vel Dialecticam otioſam, aut ſimile quid, procul dubio intellexit, quibus utique Geometria carere & poteſt & debet. Porro, Logicam ipſam perfecte tradi non poſſe, exiſtimat, niſi plurima ex metaphyſicis & phyſicis conſideratio acceſſerit. Quæſtio enim v. g. de origine idearum ex Phyſica, & Pſychologia inprimis, dilucidanda eſt, adeoque inter præliminares philoſophicas referri nequit, quod jam pridem obſervatum eſt *Leibnitio* in ſuis ad *Lockii* Opera notis. Ea de cauſa factum conjicit Autor, ut *Poſidonius*, *Panætius*, aliique antiquorum, ſapientiæ ſtudium a Phyſica incipiendum exiſtimaverint. Ex Præfamine, non eſt, cur plura annotemus; pauciſſima adhuc de ipſa Logices diſpoſitione dicemus. Ea vero facta eſt juxta receptum fere ubivis ordinem, qui a tribus, vel, ſi methodum connumeres, a quatuor, mentis humanæ operationibus deducitur. *Prima* igitur *Parte* agitur de perceptione, ideis, & vocibus. Plenam quidem de idearum origine tractationem in Metaphyſicam rejicit Autor; interim tamen ſententiam *Carteſianorum*, quæ *Platonita* quodammodo eſt, amplectitur, quam & *Leibnitium* in Theodicæa valde excoluiſſe affirmat. De idearum claritate ac diſtinctione *Capite* integro diſſerit, ubi notandum, ideam claram & diſtinctam unam eandemque ei rem eſſe. Non litigandum de vocibus; ſed dicendum tamen, hanc ipſam maximi momenti materiam accuratius & uberius potuiſſe tradi a Viro doctiſſimo. Qui cum in recenſendis Philoſophorum placitis diligenter verſatus fuerit, oppido miramur, eum meditationes *Leibnitianas* de cognitione, veritate, & ideis, *Actis* noſtris *A. 1684 Menſ. Nov.* jam inſertas, ſilentio prorſus præteriiſſe, quibus tamen Logicæ ſcientiæ inſignis acceſſio eſt facta. De prædicamentis ita diſſerit, ut, quæ de iis tradita ſunt, recenſere potius, quam approbare, videatur. *Parte ſecunda* agitur de judicio & propoſitionibus, ubi ſtatim ab initio diſſeritur de judicii defectibus & remediis, traduntur-

que

que aliquot regulæ generales, eo conducentes, bonæ quidem, sed non satis late forsan patentes. Quæ deinceps de propositionibus, earumque natura, divisionibus, &c. afferuntur, iis recensendis supersedemus, cum trita & pervulgata sint. *Pars tertia*, de discursu agens, totam inprimis doctrinam Syllogismorum copiose & clare satis exhibet, ubi Cl. Autor non raro pressisse videtur vestigia Artis cogitandi. Id tamen minime docet, an Syllogismum ipse putet ad inveniendam veritatem facere, an vero secus. Constat, Virorum doctissimorum sententias ea de re varias esse. *Quarta* denique *Parte* agitur de methodo, cui leges dantur ex illa docendi discendique ratione, quæ Geometris solennis est. Deinceps de fallaciis & vitiis contra methodum; de methodo circa autoritatem, in rebus scilicet fidei; tandemque de veritatis criterio, differitur. Quæ vero de methodo circa autoritatem in articulis ad fidem spectantibus proponuntur, ea ad placita Ecclesiæ Romanæ prorsus attemperata esse, animo Lectores nostri facile præcipient. Hæc de Logica, deque *primo* totius Operis *Volumine*.

Tomus secundus Physicam generalem continet, in *Tractatus quatuor* distributus, quorum *primus* agit de principiis corporum, *secundus* de principiis extrinsecis sive causis rerum, *tertius* de proprietatibus corporum, *quartus* denique de qualitatibus corporum. Singuli in varias *Disputationes* subdividuntur. Huic etiam *Volumini* Præfatio satis ampla præfigitur. De omnibus singulatim ut dicamus, cum fieri plane non possit, summa solum capita pro instituto nostro indicasse, paucaque exinde delibasse, sufficiat. Quæ igitur in *primo* habentur *Tractatu*, *quatuor Disputationibus* omnia comprehenduntur, quæ sunt inscriptæ: de principiis metaphysicis, de principiis mechanicis, de principiis sensibilibus, & de natura generationis. Ubi videre est ingentem opinionum farraginem, *Pythagoræ*, *Platonis*, *Aristotelis*, *Epicuri*, aliorumque plurimorum, & ex recentioribus *Gassendi* & *Cartesii*. Opiniones eorum, qui unum, vel qui plura etiam elementa statuunt, nec non Chymicorum de iis placita, sub judicium vocantur. Quo facto, de generationis natura agitur, & primo quidem loco, Philosophos circa prima rerum principia in pluribus convenire, ostenditur; dein de generatione ipsa, ejusque principiis, sermo est, argumentis Philosophorum inter se com-

paratis & pensitatis. Melior tandem & opportunior de primis rerum principiis sententia exponitur. In *Tractatu secundo* doctrina causarum exponitur, ubi, quod valde notari mereatur, occurrit nihil. *Tertius Tractatus* versatur circa proprietates corporum. Et primo quidem loco sententia *Cartesii* & sectatorum ejus, qui essentiam corporis physici in sola extensione collocant, adeoque id cum corpore mathematico confundunt, recensetur, illustratur, sed refutatur quoque. Armis autem theologicis sæpe pugnat Cl. Autor; quod, veremur, ut omnibus sit placiturum. Si quis enim Protestantium sacris addictus, hacque *Cartesianorum* sententia imbutus, exinde refelli debeat, quod dogma istud philosophicum repugnet Sacramento Altaris, quod sancte colunt Pontificii; num quid tali argumento commovebitur? Nihilo tamen minus afferuntur argumenta philosophica non pauca, quæ contra *Cartesium* militant. *Gassendi* sententia, quæ corporis physici essentiam in impenetrabilitate collocat, *Cartesiana* adhuc infelicior pronuntiatur, cum apud Philosophos & Theologos (Pontificios intellige,) certissimum sit, corpora *compenetrari*, adeoque saltem divinitus impenetrabilitatem actualem amittere posse. Rejectis itaque sententiis hisce omnibus, suam proponit Cl. Autor, dicendo scilicet, essentiam seu constitutivum corporis esse substantiam, quæ exigat impenetrabilitatem & extensionem, seu substantiam cum extensione, seu substantiam cum extensione & impenetrabilitate radicali. Igitur, licet a Deo destrui in corpore possit actualis extensio & impenetrabilitas, non posse tamen principium istud, quod impenetrabilitatem & extensionem requirit, tolli, quin tota corporis essentia pereat. De eo viderint oculatiores. Hoc saltem certissimum existit, in hac Autoris sententia plurima esse, quæ ad salvanda Ecclesiæ, cui addictus est, placita collineant. In eo tamen est laudandus, quod sententias modo recensitas conciliare contendat: quem in finem ita concludit, *Cartesio* non minus ac *Gassendo* definitiones suas concedendas esse, modo per naturam & essentiam corporis id indigitent, quo corpus ab omnibus spiritibus primario distinguitur, licet quidem intimum discrimen animo comprehendere nequeamus. Ceterum pace Viri doctissimi dicere liceat, nos mirari, de sententia *Leibnitii* nostri, quæ non in *Actis* hisce solum, sed in aliis quoque locis, publicata fuit, ne minimam quidem ab

eo mentionem factam, cum tamen in enarrandis Philosophorum doctrinis adeo diligenter sit versatus. Vix enim adduci possumus, ut credamus, hanc Viri Illustris sententiam, hodie non parum, in Germania certe, excultam, Cl. Autorem fugisse. Hæc obiter; pergendum enim nobis est, ne limites transiliamus. Igitur in sequentibus de corporis divisibilitate, tempore, loco, motu, quiete, vera gravitatis, motusque localis, origine, & quæ sunt similia; tractatio instituitur, unde hæc fere annotanda sunt. De corporis divisibilitate mentem suam ita exprimit Autor, ut dicat, id *Epicuro* & ejus asseclis omnino concedendum esse, quod corpora physice in partes infinitas resolvi non possint, adeoque admittenda sint tanquam composita ex indivisibilibus physicis, quæ, licet ex partibus infinitis re vera composita sint, nulla tamen vi creata in partes sejungi divellique possint. Differre autem hæc duo quam maxime, scilicet corpus in se consideratum in infinitum divisibile esse, & in infinitum (a vi nimirum finita) actu dividi posse; Autores quamplurimos in eum impegisse errorem, ut hæc a se invicem non distinxerint. Eos deinceps reprehendit, & recte quidem, qui, corporis physici indivisibilitatem probaturi, demonstrationes ex Geometria magno molimine arcessiverunt. In tractatione de motu definitionem *Aristotelis*, quod motus sit *actus entis in potentia, prout in potentia*, tantum abest, ut improbet cum recentioribus, ut potius dubitet, an melior inveniri possit, quæ omnium motuum genera complectatur. Eam tamen, ut clarior existat, ita inflectit, ut motum dicat *perfectionem alicujus subjecti, quod tamen adhuc ulteriorem perfectionem acquirere potest, ac ad illam actualiter tendit*. Quale vero auxilium in perscrutanda rerum natura ex isthac definitione expectari possit & debeat, nos equidem non videmus. Porro, vacuum admitti posse, contra *Cartesium* adstruere conatur. De vera gravitatis origine cum sententias *Cartesii*, *Hugenii*, *Gassendi*, enarrasset, ostendissetque, maximis eas difficultatibus premi, adeoque admittendas non esse, rem tandem confici posse existimat, si Deum ex machina arcessat, vimque gravitatis a divina & immediata operatione repetat, ita, ut corporum impetus & energia iisdem prorsus legibus a Deo varietur, quibus per impulsum fluidi alicujus, aut alia quacunque ratione, variaretur. Facilis sane ex difficultate exitus. Quæ sequuntur, agunt de causa continuati motus; ubi de projectorum motu, de causa motus reflexi, ejusque legibus, de levitate, de æquilibrio gravium, fluidorum, aeris, & quæ sunt alia. Traduntur adeo Elementa Statices, & Hydrostatices. Doctrina *Galilæi* de descensu gravium explicatur, demonstratur, aliaque ejus inventa recensentur, nec dissimulantur errores quidam, qui viro perspicacissimo exciderunt, is præcipue, sed fa-

cile excusandus, quod lineam celerrimi descensus circularem credidit. Ait Cl. Autor, *Hugenium* solvisse problema descensus celerrimi, quod tamen non nisi post fata ejus publice propositum fuit. *Hospitalium* forsan dicere voluit Vir diligentissimus. Id monemus, ne quis solutionem *Hugenianam* frustra quærat. Porro regulæ motus in collisione corporum, præcipue elasticorum, enumerantur, sed absque demonstratione. Ex quoque motuum leges, quas *Cartesius* primum stabilire conatus est, recensentur, & confutantur. Ubi sermo de levitate est, sententia magni quondam *Torricelli* de positiva corporum omnium levitate non serio prolata, sed ingenii excolendi causa efficta, Cl. Autori videtur, qui absolutam levitatem prorsus rejicit. Principia Staticæ, Hydrostaticæ, &c. satis perspicue, pro captu tyronum, proponuntur. Tandem vero in *Tractatu quarto* de qualitatum natura & origine, calore, frigore, raritate, densitate, fluiditate, soliditate, deque qualitatibus occultis, luculenter differitur, & sic huic *Volumini* finis imponitur.

Ad *tertium* jam accedimus, in quo Physica particularis pertractatur, *duobus*, quos Cl. Autor appellat, *Tractatibus*, quorum uterque Præfatione ornatur, comprehensa. *Primus Tractatus* in *quatuor Disputationes* subdividitur, quarum *prima* agit de mundo in communi. Summa rerum capita, ibi contenta, hæc fere sunt: de nomine, unitate, perfectione, anima &c. mundi; de mundi origine; de sphæra armillari; de parallaxi, adspectibus, & distantia siderum; de præcipuis corporum cœlestium phænomenis, veterumque hypothesibus; de systemate *Ptolemaico*, *Tychonico*, *Copernicano*, &c. Cum singula libare neque liceat, neque sit necessarium, attingemus modo aliqua ex iis, quæ de corporum cœlestium phænomenis edisseruit Autor. In enarrandis veterum placitis diligentissime versatur, & *Ptolemæi* systema copiose explicat. Ad *Copernicanum* systema conversus, hoc non modo maximis effert laudibus, sed clare quoque, & satis ample, exponit, captuique suorum auditorum accommodat. Eodem modo in *Tychonico* systemate versatur; omnibusque deinceps inter se comparatis, concludit, systema *Philolaicum* vel *Copernicanum* tanquam hypothesin, minime vero tanquam thesin, defendi posse. Ceterum id videtur Cl. Autori difficile, absurdum, vel certe liberius effictum, in *Copernicana* hypothesi, quod astrorum a Tellure distantia adeo ponenda sit enormis, ut diameter orbis magni præ ea evanescat. Ergo tantum abest, ut existimet Vir doctus, *Copernicanos* divini artificis leges & ordinem hac in parte assecutos esse, ut aliquando potius futurum speret, qui novam hypothesin, eamque *Copernicana* longe nobiliorem, inveniat; futurum etiam, qui nova Sidera, novas Planetas, nova denique cœlestia corpora, quorum motus atque phænomena in *Copernicana* hypothesi solvi non possunt, ostendat. In *secunda Disputatione* invenias sequentia: de cœli substantia, de Sideribus, de Sole, Luna, Calendario & Epochis illustrioribus, de Mercurio & Venere, de Marte, Jove, & Saturno, de Planetarum orbita, periodo, distantia, magnitudine, de causa motus Siderum, de luce eorum, & Eclipsibus, tandemque de

Co-

Cometis. Cum breves nos esse oporteat, Autoris cogitata de causis motus Siderum duntaxat attingemus. Is scilicet, recensitis tam veterum, quam recentiorum, *Kepleri*, *Cartesii*, *Leibnitii*, sententiis, expositisque, quibus premi videntur, difficultatibus, *Newtono* prorsus subscribit, cujus hypothesin omnium pulcherrimam & simplicissimam prædicat. Egregie id quidem; sed *Newtonus* ipsam gravitationis corporum cœlestium in se invicem rationem immediate a Deo nullibi repetiit, ut facit Cl. Autor. Id adhuc notamus, cum in doctrina de Cometis sequi placita recentiorum Astronomorum. Quæ in *Disputatione tertia* continentur, agunt de corporibus sublimibus, sive Meteoris. Et primo quidem de Elementorum numero, natura, ordine, loco; deinceps de igne, aere, aqua, terra, exhalationibus, & vaporibus: porro de meteoris igneis, aqueis, emphaticis, ventisque, quæ copiosius enarrare prohibemur spatii angustia. Tandem *Disputatio quarta* inscribitur de corporibus terrestibus, & plura complectitur; veluti de figura Terræ, juxta veteres æque ac recentiores, de zonis, climatibus, de divisione Telluris Geographica, de montium origine, structura, magnitudine, nec non de salibus succisque terrestribus, de metallis, de igne & calore subterraneo, de magnete, terræ motibus, de mari, ejusque æstu, de fontium origine, tandemque de aquarum virtutibus; sicque *Tractatui primo* coronis imponitur. *Tractatus* autem *secundus* circa corpora viventia occupatur. *Prima Disputatione* de animæ nomine, natura, speciebus, differitur. Specialius deinceps in *secunda* agitur de anima vegetativa, sive de plantis; ubi de partibus, anatome, & structura plantarum, de earum varietate & generibus, nutritione & augmentatione, qualitatibus, morbis, interitu, singulatim loquitur Cl. Autor. Qua quidem in re usus est scriptis & observationibus *Malpighii*, *Grevii*, (quem *Grævium* appellat, id quod Lectorum aliquibus imponere posset,) aliorumque naturæ scrutatorum illustrium. *Disputatio tertia* Autoris cogitata circa animam sensitivam, seu circa bruta, exhibet, pluribus distincta *Capitibus*; in quibus de anima brutorum, de generibus animalium, de structura & anatome corporis humani, de ortu & generatione animalium, de sensibus externis & internis, aliisque, copiosius haud enumerandis, agitur. Non autem vulgares Philosophorum quæstiones solum afferuntur, sed, data occasione, alia quoque, ex fontibus Matheseos petita; e. g. in Capite de organo visus, & structura oculi, & in sequentibus, de perficiendo visu, agitur, ubi de telescopiis, microscopiis, luce, coloribus, scitu digniora proponuntur. *Quarta Disputatio* de anima rationali, sive de homine, agit, ubi de animæ natura & origine, spiritualitate ac immortalitate, de commercio animæ & corporis, de potentiis, proprietatibus, & accidentibus animæ, satis luculenter differitur. De origine animæ humanæ ea mens Cl. Autori sedet, ut existimet, illam a Deo ex nihilo tunc temporis creari, quo corpori jam organizato conjungitur, cumque occultum sit tempus, quo anima corpori conjungitur, occultum etiam obscurumque censeri debere tempus, quo a sapientissimo Creatore

pro-

producitur. In probanda animæ immortalitate argumenta folum vulgaria, quibus Philosophi hodierni & rigidiores non acquiescunt, afferuntur. In explicando commercio inter animam & corpus sententiæ *Leibnitii* ita subscribit Autor, ut dicat, nullam inveniri posse sententiam sibi videri, quæ aut animi dignitati servandæ, aut mutuo operationum consensui explicando, accommodatior existat. Interim *Leibnitii* sententiam a *Cartesiana* non satis, ut par erat, distinxit. Verum de hoc *Volumine* plus, quam satis. Quæ restant, in iis erimus brevissimi.

Quartus Tomus Tractatum Metaphysicum continet, *tribus* constantem *Disputationibus*, quarum Capita breviter indicabimus. *Prima* scilicet agit de ente, adeoque Ontologiam complectitur; ubi de ente, ejusque divisione, de essentia, existentia, & subsistentia, de aliis proprietatibus entis, deque primis cognitionis nostræ principiis. *Secunda* Pneumatologica est, agitque de existentia, natura, origine singulorum, nec non de eorum numero, divisionibus, muneribus, & accidentibus. *Tertia* denique Theologiam naturalem complectitur. Itaque in ea de nomine, existentia, natura Dei, de attributis divinis, de scientia, de voluntate Dei, atque decretis, differitur. Metaphysicæ recentioris capita non attigit Autor.

Quintus Tomus moralem disciplinam, sive Ethicam, *Disputationibus quatuor* complectitur. *Prima* agit de ultimo fine, summo bono, & felicitate hominis. In id igitur inquiritur, quod forsan mireris, an ultimus finis hominis admitti debeat. Quo facto, sententiæ Philosophorum de ultimo fine hominis examinantur, eaque eligitur, quæ veri est simillima. Qua ratione, quo tempore, & loco, ultimus finis acquiratur, exponitur, nec non de beatitudine supernaturali, ejusque dotibus, quædam in medium afferuntur. *Secunda Disputatio* versatur circa actus humanos, ubi de libertate, actuum moralitate, legum origine, lege naturali, nec non de conscientia. Notamus, Autorem moralitatem objectivam, qualis præcipue a recentioribus defenditur, rejicere, actuumque bonitatem & pravitatem a decreto Dei repetere. *Disputatio tertia* agit de virtutibus & vitiis, deque affectibus. *Quarta* denique de officiis hominum erga Deum, erga se, erga alios, erga familiam, erga rempublicam. Et sic quidem finis est totius Operis, quod sua utilitate non destitutum iri, nobis plane persuademus.

Sextus denique, isque ultimus, *Tomus* Institutionibus Mathematicis destinatus est. Eas autem nullo gloriæ amore, aut innovandi studio, se conscripsisse, Autor fatetur, sed id unice in animo habuisse, profectibus auditorum suorum ut consuleret, qui inprimis ordinem *Euclidæum*, nimiamque prolixitatem, in quam non raro incidere videtur summus Geometra, fastidiunt. Operam dedit, ut quamplurima demonstrationibus directis confirmaret, quæ in *Euclide* demonstrantur per impossibile; ut doctrina de æquidistantibus, &c. Quintum Elementorum Librum de rationibus & proportionibus, quas *Euclides* per æque multiplices demonstrat, ratione multo magis naturali & clara pertractat.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXXXIX.

T. LIVII PATAVINI HISTORIARUM ab Urbe condita Libri, qui supersunt, XXXV, cum Supplementis J. FREINSHEMII. Recensuit, & notis illustravit, J. B. L. CREVIER, Rhetor. Prof. in Collegio Dormano-Bellovaco Univers. Paris.

Tomus I.

Parisiis, apud Gabr. Franc. Guillau & Joannem Desaint, 1735, 4. Alph. 4 plag. 12.

Magna fuit de *Crevieriano Livio* in Germania, nescimus quo autore, opinio. Ea fecit, ut non satis patienter ferremus ejus ad nos perferendi difficultatem & tarditatem. Itaque omni contentione confirmare possumus, magna nos & cupiditate & exspectatione, cum ejus copia nobis facta esset, ad eum legendum accessisse. Ceterum, quomodo exspectationi nostræ opinionique responderit, non est, ut hic dicamus ante, quam instituti *Crevieriani* rationem reddiderimus, ipsiusque Operis speciem quandam informaverimus. Et instituti quidem ratio satis explicata est Præfatione Autoris. Ea descripta est in *tria Capita;* quorum *primum* est de ipso *Livio*, ejusdemque libris; *alterum* de interpretibus *Livii*, editoribusque superioribus; *tertium* de editionis hujus ratione. De *primo Capite*, in quo & ipsius *Livii* vita & Operis *Liviani* virtutes nævique, exponuntur, quoniam nihil magnopere in eo dicitur, quod non cognitum doctis hominibus perspectumque

 sit,

ſit, nihil eſſet, quod diceremus, niſi hanc nobis occaſionem datam eſſe putaremus, de orationibus veterum Hiſtoricorum directis pauca dicendi, atque ita reprehenſionis diluendæ, qua recentiores plerumque, cum de Hiſtoricis veteribus dicunt, utuntur. Non prætermiſit adeo hanc reprehenſionem *Crevierius*, ſed ei ita reſpondit, ut non tam probare hanc veterum rationem, quam excuſatione dignam judicare, videatur; uſus ſcilicet iis argumentis, quibus vulgo defendi hæc ratio ſolet. Ut dicamus, quod nobis videtur, primo fatemur, ſemper mirum nobis viſum, qui factum ſit, ut, quam rationem hodie omnes vitioſam eſſe agnoſcunt, etiam qui nondum magnopere ingenium probarunt, & multis ratiunculis, quare in vitio habeant, diſputant, ejus rationis vitium primo ſummi homines, qui ea uſi ſunt, & qui nobis in ſcribendo exemplo eſſe ſolent, non agnoverint, ſed, ut quisque excellentior ſit, eo frequentior in ea adhibenda fuerit; deinde nullus ex Criticis priſcis & magiſtris ſcribendi, *Ariſtoteles*, *Dionyſius Halicarnaſſius*, *Longinus*, *Cicero*, *Quintilianus*, &c. eo acumine, quo nos homunculi ſumus, fuerit, ut in vitio habendam eſſe hanc orationum immiſcendarum conſuetudinem videret, nec, quos Hiſtoricos in aliis rebus reprehenderit, eos in hoc quoque reprehenderet. Illud vero libenter concedimus, ſi, qui noſtra ætate res geſtas memoriæ produnt, hujusmodi orationibus directis diſtinguere orationem perpetuam vellent, reprehenſione dignos futuros. Quid ergo eſt? Quod in noſtris hominibus reprehendi jure poteſt, id in antiquis probabitur? Enimvero alia eſt priſcorum, alia noſtrorum, temporum ratio. Noſtris temporibus hujusmodi orationes aut raro, aut nunquam, ab hominibus in republica verſantibus habentur. Quid igitur opus, eas confingere, aut quem uſum habere poteſt, eas legere? Eſt, unde eloquentia diſci poteſt, neque hujusmodi oratiunculis opus. Apud veteres Græcos autem & Romanos, aliosque populos, omnia publice orationibus in ſenatu, aut in concionibus populi, agebantur. Itaque utiliſſimum erat legentibus hiſtoriam, præſertim his, qui rempublicam capeſſere cogitabant, hujusmodi orationes quamplurimas legere. Jam viri poterant, inprimis Romæ, pæne quotidie audire.

Pueri

Pueri autem, qui nondum forum attigerant, adeoque concionibus interesse non poterant, aut qui in municipiis aliisque urbibus extra Romam vivebant, quod genus orationis audire non poterant, id legere debebant. Hi itaque cum historias legebant, quæ olim ab hominibus in republica versatis fere scribebantur, non solum prudentia civili imbuebantur, sed etiam ad illam eloquentiam senatoriam & politicam conformabantur. Ipsis etiam viris ad rempublicam accedentibus non minus utile erat hujusmodi orationes accurate scriptas legere, quam audire eas, quæ a magistratibus aliisque haberentur. *Ciceronem* scimus adolescentem *P. Sulpicium*, Tribunum plebis, concionantem quotidie de republica non minus studiose audisse, quam *L. Crassum* & *Antonium*, in judiciis causas agentes. Idem, non dubium est, quin alii etiam fecerint, qui in foro, in concione populi, in senatu, florere aliquando cuperent. Quodsi vero orationes forenses, conciones, & sententias senatorias, editas legere solebant eloquentiæ utriusque studiosi, eæque hoc consilio edebantur, ut ad hanc eloquentiam contendentibus prodessent, quid est, quare Historici reprehendantur in eo, quod hujus generis orationes libris suis immiscuerint, quæ pæne eandem vim habere, certe docere, poterant, quomodo e rebus quibusque deligenda sint & oratione comprehendenda, quæ ad obtinendum id persuadendumque hominibus in republica valere possint, quod persuadere velis. Sed ad *Crevierium* redeamus. Is igitur *Capite secundo* primo negat, sibi de antiquis *Livii* editionibus agendum, cum otium sibi faciat *Gronoviana* ad *Livium* Præfatio, quam huic suæ Præfationi subjecit Vir Clarissimus. Sententiam tamen dicit de *Gronoviorum*, *Clerici*, & *Dujatii*, editionibus. Et *Jo. Frid. Gronovii* quidem mirifice laudat in emendando constituendoque *Livio* ingeniosam diligentiam sobrietatemque; ceterum eum emendatorem potius, quam interpretem, *Livii* esse putat; in quo tamen non negat plurimis locis eum insignem lucem attulisse, omnibus facile allaturum, nisi Criticum potius, quam interpretem, agere voluisset. Quod autem sobrietatem *Gronovianam* in emendando laudat, de contextu tantum intelligi vult; nam in animadversionibus interdum audaciores conjectu-

jecturas, ait, tradi. In quibus etiam hoc reprehendit, quod primo variantes lectiones nimis interdum cumulentur, quæ res tædium creet lectori, elegantia Francica scilicet tincto; deinde in exemplis congerendis sæpe modus non servetur. Jam, quod ad varietatem lectionis attinet, parcum *Gronovium* fuisse putemus, si cum reliquis Criticis compares, qui post eum Autores Latinos edidere, & profecto difficile nobis videtur definire, quot variæ lectiones sufficiant, quid sit in hoc genere satis, quid parum aut nimium. Atque hoc idem de exemplis dicere liceat, quibus ad confirmandas explicationes, emendationesque aut receptas adeo lectiones defendendas, utimur. Ceterum non negamus, probari nobis, & jam diu doctis hominibus probatum fuisse, quod consilii dat *Cap.3* Vir Clarissimus, ut variæ lectiones ad calcem librorum rejiciantur. Nam sunt profecto, quibus variæ lectiones curæ non sunt. Neque tamen illud Virum Clarissl. putamus negaturum, si quis Autorem hoc consilio edat, ut doctis in hoc genere tantum prosit, non ut puerorum, non ut semidoctorum elegantulorumque, manibus teratur, eum non absurde varias lectiones animadversionibus ipsis immiscere posse. Laudanda vero est Viri Cl. integritas, cum de *Dujatio* fatetur, eum *Livio* edendo parem non fuisse, neque ad eum satis eruditionis Latinæ & ad interpretandum, & ad lacunas *Livianas* replendas, attulisse. Illud autem laudat, quod *Freinshemii* Supplementa suæ editioni adjecit, in quo & ipse, post *Clericum*, *Dujatianam* autoritatem secutus est. Quid de *Hearnii* & *Clerici* editionibus sentiat, ipsius verbis dicamus, quibus in fine hujus *Capitis* utitur, ubi *Livium* bono interprete adhuc egere dixit: Jo. Frid. Gronovius *noluit omnia complecti, cum egregie posset.* De Jac. Gronovio *silemus, qui & paternis institit vestigiis, & pauca contulit de suo. Voluit* Dujatius, *nec potuit. Et ipse negat se voluisse* Clericus, *nec potuisset fortasse, si maxime voluisset.* Hearnius *materiam exædificando operi congessit, opus ipsum vix attigit. Capite tertio*, quo de suo instituto exponit, primo scholam nobis aliquam habet de laude, quæ antiquitatis interpretibus debetur, in qua iis egregie respondet, qui, leviter degustare veteres libros, satis esse contendunt. Deinde quasi leges

ges interpretibus Autorum ſcribit, quarum pleraſque æquis, credimus, animis omnes accipient. Sed, ut in omni fere genere, ſic in hoc, facile eſt bona præcepta dare, bonum legislatorem agere; ad præcepta autem & leges ſuas ſe componere, hoc opus, hic labor eſt. Hoc loco etiam reprehendit Vir Cl. editiones cum notis variorum, quæ apud Batavos Germanosque ſunt curatæ; quod multa falſa, aliena legenda ſint, antequam ad veram explicationem pervenias. Scimus, hanc cantilenam frequenter etiam apud nos audiri. Sed difficile eſt, de ea re pronuntiare. Illud quidem facile patet, ſi, qui ad Autores edendos accedunt, hac eſſent eruditione & hoc acumine, ut optima quæque deligere, & inutilia reſecare, poſſent, eam commodiſſimam rationem fore edendorum Autorum, quæ delectum notarum faciat. Enimvero, quando paucisſimi ſunt, qui id facere poſſunt, periculumque eſt, ne optima ſæpe reſecentur, reſecanda retineantur, conſultius duxerunt doctiſſimi homines, ab editoribus Autorum integros doctorum hominum labores ſervari. Fieri etiam potuit, ut quidam, difficultate delectus deterriti, maluerint ſine famæ ſuæ periculo integras notas colligere, quam delectus male agendi periculum ſubire. Ceterum, etiam in optimo delectu, tamen interdum melius putamus, integras notas afferre. *Salmaſiorum*, *Caſaubonorum*, *Gronoviorum*, *Græviorum*, ſimiliumque, animadverſiones eruditionis & bonæ frugis pleniſſimas integras omnes legere malent, quam mutilatas, neque magis æquo animo eas mutilari ferent, quam integras notas eas adhiberi, quibus res faciles & notæ, loci communes, explicantur, dicta moralia illuſtrantur, cujusmodi fere ſunt *Abramii* notæ ad *Ciceronem*, & pleræque ex his, quas ad *Plinii Panegyricum* nuper repetiit Cl. *Arntzenius*, ut alias taceamus. Cl. *Crevierius* aliam inſtituit viam. Omnes enim aliorum, etiam *Gronovii*, notas ex *Livio* ſuo ſuſtulit, ſed iis omnibus in ſuis concinnandis uſus eſt; neque ſolum his, ſed etiam conſiliis monitisque *Rollini* & *Joannis Heuzeti*. Tria inprimis in his notis ſpectavit. Primo contextus emendationem, deinde difficilium verborum locutionumque explicationem, & tandem rerum ipſarum illuſtrationem. In contextu emendando non ſo-

lum *Gronovio* uſus eſt, ſed aliis etiam ſex Codicibus MStis, a Cl. *Sallerio*, Bibliothecæ regiæ cuſtode, ſuppeditatis, & quinque quidem membranaceis, uno chartaceo, quibus *Gronovius* non erat uſus. Denuo etiam poſt *Gronovium* excuſſit excellentiſſimum *Puteanorum* fratrum librum, & quædam a *Gronovio* non obſervata animadvertit. Acceſſere duo alii Codices, alter non antiquiſſimus quidem, ſed fideliter tamen exſcriptus, e Bibliotheca Sorbonica, alter e Victorina, novitius ille, & aſſutis ſæpe medicaminibus ineptis deformatus. Conſultæ ſunt etiam editiones veteres *Andreæ* & *Campani*, aliæque, *Gronoviana* antiquiores. *Polybio* quoque ſe fatetur in emendando *Livio* adjutum. *Lib XXXIII, 35*, olim edebatur: *Ætolorum principes alii queſti ſunt* &c. *Gelenius* ex archetypo exemplari repoſuit: *interqueſti*, verbum rariſſimum, & fortaſſe nusquam obvium. Noſter, autore *Polybio*, reſtituit: *alii leniter queſti ſunt*. Nam in *Polybio*, quem hic *Livius* exſcribit, eſt: τῶν μὲν πρέσβεων καὶ πολιτικῶν μεμψιμοιρούντων αὐτοῖς. *Lib. XXXIX, 36*, locus eſt, qui mire torſit *Gronovium*: *Cædem primum* ad conflictum *factum eorum* &c. *Crevierio* ſuboluit, mendum eſſe in *conflictum*. *Polybius*, in *Excerpt. Legat. 37* de hac re agens, dicit, hanc cædem factam ad *Compaſium*, idque nomen *Livio* reſtituendum. Interdum etiam conjectura uſus eſt, ſed ita, ut nunquam in contextum admitteret, niſi quod aut MStis, aut editionibus primis, confirmari poſſet. In verbis & locutionibus explicandis quoniam non facile omnibus ſatisfieri poteſt, cum aliis aliud aut facile, aut obſcurum, videatur, eo deſcendit, ut ea ſola loca breviter explicaret, quæ aut ipſi aliquid moleſtiæ exhibuerant, aut doctiſſimis viris, quibus ducibus & monitoribus uſus erat, difficultatis aliquid habere videbantur, aut denique in quibus explicandis docti homines lapſi erant. In quo conſilio, non eſt profecto, quod reprehendi poſſit; neque dubium eſt, quin omnes, qui ad Autores edendos accedunt, eo utantur, modo recte eo uti omnes poſſent. Nam primo plerisque, etiam ſatis doctis, hominibus accidit id, quod ſibi accidiſſe ſæpenumero fatebatur, ni fallimur, *Caſaubonus*, ut, cum legeret librum, ſibi facillima viderentur, quæ difficilia explicatu & obſcura

obſcura eſſe intelligeret tum demum, cum aliis eorum ſenſus accurate perſpicueque explicandus eſſet. Hoc omnibus, pæne dicam, accidit, qui Autores ediderunt, quos non aliquoties aliis ſunt interpretati, ut facile poſſemus multis exemplis demonſtrare, ſi locus pateretur. Omnino difficile eſt, quid ſit obſcurum, ubique aliquem poſſe definire; dubiumque nobis videtur, utrum indocto, an docto, obſcuriores libri veteres videantur. Quid enim? ὁ πάνυ *Grævius* plusne difficultatis in Epiſtolis *Ciceronis* explicandis vidit ante, quam in *Gronovii* diſciplinam veniſſet, an poſtquam venerat? Quid? Libros ſacros quinam facilius ſibi perſuadent a ſe intelligi? Doctiores, an indoctiores? Quod ergo huic rei dicemus eſſe remedium? Nobis mallemus dici. Sed, ſi, quid ſentiamus, dicendum, mature defæcandum eſt ingenium, & Dialectica mathematicisque diſciplinis ita ſubigendum, ut clara ab obſcuris diſcernere diſcat, ita conſueſcere debemus, ut, ſingulis verbis formulisque utrum jungamus ideas, nec ne, judicemus, & judicare poſſimus. Conſtituendum etiam eſt & definiendum, cui ſcribamus, quo profectu eſſe Lectores noſtros velimus, ut, quid iis obſcurum eſſe poſſit, eo facilius intelligi poſſit. Redeamus in viam. Quod ad res attinet, quas illuſtravit Vir Clariſſimus, primo operam dedit, ut, quæ *Livius* omiſit, ea breviter expleret; quæ parum vera memoravit, convinceret; ritus, leges, ſine ambitione, attingeret & explicaret. Ponderum autem, pecuniæ, menſurarum, rationem peculiari Diſputatione, Præfationi ſubjecta, explicavit, cui adjecit appendicem *de ære gravi*, e *Perizoniano* libello compoſitam. Geographica in Indicem conjecit. Chronologicas diſputationes operoſas vitavit, ſed ad *Dodwelli* mentem ſummis paginis poſt U. C. & ante C. N. adjecit. Epitomis quoque aliquid curæ adhibuit poſt *Sigonium* & *Gronovium*, easque putat emendatiores, quam antea, prodiiſſe. Sed, quoniam de inſtituto Viri Cl. ſatis diximus, ipſarum notarum ſpecimina quædam afferamus. Dicamus primo de notis iis, in quibus verba & locutiones explicantur. In iis quod conſilium ſecutus ſit Autor, paulo ante demonſtratum eſt; nempe ut nihil explicaret, niſi in quo aut ipſe, aut alii docti viri, hæſerint. Exempla hæc ſunto: I, 1, *operæ pretium*,

tium, id eſt, *rem utilem, & cui haud fruſtra opera impenſa ſit.* Ibid. *vulgatam rem*, id eſt, *rem vulgo a ſcriptoribus hiſtoriarum factitatam* &c. Ibid. *res eſt immenſi operis*, hoc eſt, *quæ excreſcere debeat in immenſum opus.* I, 2, *mœnibus propulſare bellum*, id eſt, *incluſos intra mœnia propulſare hoſtem.* I, 16, *veluti orbitatis metu*, id eſt, *metu non abſimili ejus, qui orbatos parente occupat.* I, 44, *incenſis*, id eſt, *iis, qui cenſi non fuiſſent.* I, 50, *facinoroſus*, id eſt, *audax, temerarius.* I, 56, *corneo baculo*, id eſt, *e corno arbore.* I, 58, *ſatin' ſalvæ*, id eſt, ſupple, *res eſſent. Formula ſalutandi.* Et hujusmodi ſunt innumerabilia in his notis. In hiscine vero hærere, doctiſſime *Crevieri*, potuiſti, in his *Rollinus*, *Heuzetus*, aliique, potuerunt? Nemo puer apud nos ad legendum *Livium* admittitur, qui hæc non ſua ſponte intelligat. Abſint vero ab tam ſplendidis editionibus hujusmodi, infantibus ſcribendæ, notæ. Egregiam vero pœnam perſolvit manibus *Gronovii* Vir Clariſſimus, quem ſupra reprehenderat, quod exempla, quibus ad explicationes ſuas uſus eſſet, nimis cumulaſſet. Nam, dum hoc vitium fugit, in contrarium currit, & nobis notas aridas & jejunas efficit, iis ſimiles, quas in *Jo. Corn. de Paw* libris nuper jure reprehendit Cel. *Dorvillius.* Sic *Lib. IX Cap. 38* ad verba: *diem diffidit*, cum egregia dici & de lectione, & de re, poſſent, nil addit, niſi hoc: *rem in poſterum diem rejicere coegit.* Jam, quod ad res attinet, fatemur, afferri multa utilia, idque nullo eruditionis antiquariæ ambitu fieri, ſed plerumque nimis vulgata, neque in notis *Livianis* quærenda. Quis ſperet, ſe in *Livianis* notis inventurum, quid ſit *toga*, quid *lictor*, *prætexta*, *mulſum*, & ſimilia innumerabilia, quæ aut jam cognita eſſe debent ad *Livium* legendum accedentibus, aut a magiſtris explicari. Quodſi hujusmodi rebus in omnibus Lexicis & Compendiis antiquitatum obviis notas Autorum omnium replere vellemus, quis finis ſcribendarum notarum foret? Quodſi & illud genus notarum verbale & hoc rerum reſecuiſſet Vir Clariſſimus, plus quam dimidia pars demta eſſet. Hoc diximus inprimis eſſe artis, difficultates veras videre, & ῥήσεις corruptas obſcurasque conſtituere. In quo Vir Cl. quid præſtiterit, videbimus. Quo loco recordamur ejus inſti-

instituti nostri, quod in recensendo *Livio Drakenborchiano* superiori anno tenuimus. Deligebatur *Lib. I Cap. 43* de censu *Serviano*, &, quid ad id constituendum allatum esset, commemorabatur. In quo hæc laus merito tribuebatur Cel. *Drakenborchio*, nihil ab ipso intactum relictum, in quo quis hærere, quod corruptum videri possit. Jam, si compares cum *Drakenborchianis* notis ad hoc *Caput Crevierianas*, ab hoc pæne nihil actum censeas, nihil ad *Drakenborchium* esse *Crevierium*. In *minis vinculorum & mortis*, quibus lex de incensis sancita est, *I, 44*, facilius aliquis hæreat, quam in *operæ pretium*. Sed, *minæ mortis* quæ sint, aut ab eruditis putentur, nihil dixit. Sed in universo Opere hoc visi nobis sumus animadvertere, Virum Cl. in libris Criticorum & Antiquariorum non magnopere versatum, quod necessarium est ei, qui Autores edere suscipit. Si *Lipsii Electa* legisset, citata *Jo. Fr. Gronovio*, invenisset, suspectum videri locum *IV, 16*, de *bove aurato*, sed hoc totum silentio præterit, & in nota hæc scribit: *auratis nimirum cornibus*, quasi scilicet ad aram ductus bos esset. Ceterum ipse locum sic legendum censet, nullo Codice nixus: *bove aurato & statua extra* &c. Non magis dici potest, quare extra portam posita sit statua. *Lib. IV Cap. 50 Postumius* Imperator *sub crate necari* milites jubet. Id supplicium *Lib. I Cap. 5* clarius describi dicit. Fallitur. Est simile huic, sed illud in aqua factum est, hoc non item. Laudare poterat *Ferrarii Elect. II, 7. Voltumnæ* sæpe fit mentio. Quid *Crevierius?* Videtur Etruscorum Dea fuisse. Videtur vero? Enimvero nil certius. Hoccine dubitari in tanta literarum luce? *Demsteri Etruria regalis* & *Gorii Museum Etruscum* inspiciantur: quot locis Autorum veterum confirmari possit, intelligetur. De *Corniculis* item *Lib. X Cap. 44* quam jejune. Debebatne vero Interpres *Livii* ignorare disputata *Salmasio* ad *Solin. pag. 386*, &c. *Lib. V Cap. 23 Jovis Solisque equis* suspectum visum doctis hominibus, & a *Scheffero*, *Gupero*, *Clerico*que, correctum. Sed hic tacet *Crevierius*, & sic in pluribus aliis. In fine *Partis II* sunt notæ posteriores, ad emendationem contextus *Liviani* pertinentes. In iis sunt variæ lectiones e Codicibus MStis editionibus primis, atque conjecturæ quædam.

dam. His uti poterunt, qui postea ad *Livium* edendum adjungent animum. Sed satis longi fuimus; ad alios libros veniemus.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES, AB Anno Æræ Christianæ D ad MD. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, Serenissimi Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfectus, collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit.

Tomus XXIII.

Mediolani, ex typographia Societatis Palatinæ, 1733, fol. Alph. 7 plag. 4, Fig. æn. 2.

Quandoquidem, quæ *Tomo* hoc *XXIII* continentur, non esse minoris, quam quæ dederant priores *Tomi*, momenti atque pretii videntur; nec committemus nos, ut in recensendo novo hoc *Volumine* minus fuisse diligentes, quam fuimus in ceteris, dicamur. Ornant frontem ejus illustrissima nomina *Jureconsultorum*, *Judicum*, *Comitum*, & *Equitum Mediolani*, quibus Partem hanc magni sui & egregii Operis *Palatini Socii*, interprete *Philippo Argelato*, Augustissimo *Carolo VI* a Secretis, Viro industrio, & ob praeclara in res Italorum merita bonis omnibus percaro, consecrarunt. Scriptorum, quos complectitur hic *Tomus*, primus est *Antonius Hyvanus*, Sarazanensis, cujus *Commentariolus de Bello Volaterrano, A. 1472 a Florentinis gesto*, e Codicibus MStis, uno Comitum *Guidonum*, uno Sarazanensis urbis, & duobus Bibliothecæ *Strozzianæ*, nunc primum prodit. Bello, quod hic descriptum est, occasionem dedisse, constat, inventas A. 1472 in agro Volaterrano ditissimas aluminis fodinas, quarum cum sibi quisque civium partem peteret, capitales hinc contentiones ortæ sunt, non nisi plurimorum cæde, & ipsius urbis interitu, finitæ. Alii a Florentina Republica, id modis omnibus agente, ut in partem lucri admitteretur, calamitatis hujus caussam arcessunt. Sed multum ab his dissentit *Hyvanus* noster, qui, cum tanti mali culpam omnem in Volaterranos conjicit,

jicit, ita se gerit, ut plane ad id conductus mercede Florentinorum videatur. Quod sane in homine, Volaterranæ civitatis stipendio vivente, & publica hic munera gerente, vix satis mirari possis. Constat enim ex ejus literis, ad *Volaterranos* datis, quas integras ex tabulario illius urbis *Muratorius* produxit, fuisse ei jam A. 1466 Cancellarii in illa civitate dignitatem oblatam, nec dubium est, hanc susceptam ab eo, & annos aliquot administratam. Literis non leviter imbutum fuisse, ipse hic libellus docet, satis quippe eleganter, tamque copiose, scriptus, ut vix aliunde universi hujus belli initia & progressus plenius cognosci possint. Excipit *Hyvanum Leodrisius Cribellus*, cujus jam olim *Vitam Sfortiæ* Collectionis hujus *Tomo XX* dederat, jam *de Expeditione Pii Papæ secundi in Turcas Libros duos* ex Codice *Phil. Argelati* MSto exhibet, Italiæ suæ ornamentum, *Muratorius*. Exigua est, si molem spectes, hæc opella, nec, unde plura peti possint de vita *Pii II*, desunt alii Scriptores; habes tamen hic eorum, quæ sub finem vitæ gessit Papa ille, narrationem satis copiosam, & in *Scriptorum Italiæ* Corpore *Muratoriano* ob id inprimis locum merebatur hæc Historia, quod ad hunc diem nondum edita exstaret, cujus generis scripta merito præferenda dudum publicatis *Muratorio* videntur. De Autore ipso satis dictum est olim, cum *Tomi XX Scriptorum Italiæ* mentionem fecimus. Accedimus ad *Jacobi Volaterrani Diarium Romanum, ab A. 1472 usque ad 1484*, ex MSto Codice Bibliothecæ Estensis, sed eo, quod dolet *Muratorius*, non satis accurate scripto, nunc primum editum, quo plurima continentur eorum, quæ tempore *Sixti IV* Romæ, maxime vero in curia Romana, gesta sunt. Scriptor est non minus elegans, quam accuratus, cujus labore usus est *Raynaldus* in *Ecclesiasticis Annalibus*, Commentarios hos *accuratissimos* vocans. Pleniora tamen sunt, & ipsa orationis serie melius cohærent, quæ ab A. 1579 ad 1584 memorantur, quam quæ præcedunt illud tempus. Convertisse se ad Opus hoc scribendum *Jacobi* Cardinalis Papiensis, cui a secretis & in amicissimis fuit, cujus etiam *Epistolas, & Commentarios* historicos, ipsa ejus *vita* ornatos, luce publica donavit, sive hortatu, sive exemplo, videtur.

tur. Hujus enim, quos modo diximus, *rerum sui temporis Commentarii* communem doctiorum hominum plausum tulere; & exstat Epistola ejus ad *Volaterranum*, qua hujus institutum, Annales urbis Romanæ conscribendi, vehementer approbatur. *Volaterranum* hunc Historicorum Latinorum numero merito adscripsit *Vossius*; idem vero, cum a Papa *Pio* in Cardinalium collegium allectum scribit, multum fallitur, & *Jacobum Volaterranum* cum *Jacobo de Ammanitis*, Cardinale Papiensi, eodem, quem paulo ante nominavimus, temere confundit. Natum *Vossio* errorem hunc ex eo, putat *Muratorius*, quod *Jacobi* hujus Cardinalis *Commentariorum Libro tertio* & sequentibus falso inscripta hæc legantur: *Jacobi Volaterrani Cardinalis Papiensis Commentarii.* Ortu enim Lucensem fuisse hunc *Jacobum*, vix quisquam dubitet, qui legit P. *Sebastiani de Paulis*, civis Lucensis, *de patria hujus Cardinalis* Dissertationem, Lucæ editam. Id satis constat, exstincto Cardinale Papiensi, cui a Secretis fuisse diximus, in *Secretariorum Pontificis* ordinem cooptatum, & *Protonotarium Apostolicum* nominatum hunc *Jacobum*. Præterea *Archidiaconi Ecclesiæ Volaterranæ* dignitatem gessit; & anno tandem 1515 a *Leone X Episcopatu Aquinate* donatus est. Pater ei *Nicolaus*, frater *Benedictus*, patria Volaterræ, fuerunt. Ortum ex gente *Gherardorum* duxit, non *Maffæorum*, quod perperam *Waddingus* & *Raynaldus* tradunt, idem genus *Jacobo* tribuentes, unde *Raphael Volaterranus*, notissimus ille *Commentariorum urbanorum* scriptor, sed a nostro plane diversus, prodiit. Cultissimæ hic *Jacobus* vir doctrinæ fuit, &, præter hoc *Diarium*, plura alia ab eo literis mandata, ex variis *Jacobi* Cardinalis Papiensis Epistolis intelligimus. Quin probabile videtur *Muratorio*, ipsum hoc *Diarium* ad plures annos ab eo perductum; quod si ita sit, justo dolore horum, quæcunque desunt, jactura prosequenda est. Sed substituit in horum locum præstantissimus *Muratorius Epistolam Innocentii VIII ad Dominum Jacobum de Volterris*, A. 1488, cum Foroliviensis populus in *Hieronymum Riarium*, Comitem, crudelissime invaderet, scriptam, & ex alio Bibliothecæ Estensis Codice huc translatam. *Volaterrani* Opus excipit Augustini

Pa-

Patricii, *Senensis, Descriptio adventus Friderici III Imperatoris ad Paulum Papam II*, jam olim a *Jo. Mabillonio* in *Musei Italici Parte II pag. 256* publicata. Bis, quod inter omnes constat, urbem Romanam accessit *Fridericus III* Imperator, primum A. 1452, coronam Imperatoriam ex manu *Nicolai V* accepturus, iterum A. 1468, testaturus religionem suam *Paulo II*, tunc Pontifici. Alteram hanc peregrinationem in libello hoc suo descripsit *Patricius*, Vir non indoctus, qui *Vitam* etiam *Fabiani Benciani, Politianensis*, sacrorum Canonum doctoris, ab eodem *Mabillonio* editam, nec non *Epitomen Conciliorum Basileensis, Florentini, Lausannensis, & Pisani*, aliosque libros, scripsit, diligenter indicatos *Apostolo Zeno* in *Additamentis ad Vossium de Hist. Lat.* quorum partem huc pertinentem dedit *Tomo XVIII Ephemer. liter. Italiæ pag. 336. Patricium* hunc *Cerimoniarum* sub *Innocentio VIII Magistrum*, dein ab A. 1483 *Episcopum Pientinum*, fuisse, *Mabillonius*, &, ex quo ille habet, *Ughellius*, tradunt. Idem *Mabillonius* duos *Augustinos Patricios* facit, utrumque Senensem, utrumque literis & scriptis clarum. Sed feliciter hos errores refellit loco, quem diximus, *Apost. Zenus*, certo nos docens, unum eundemque fuisse *Patricium*, huncque sub *Paulo II*, &, qui ei successit, *Sixto IV*, Cerimoniis præfectum, atque postea Episcopum Pientinum. Habes jam, Lector, *Annales de Raimo, sive Brevem Historiam rerum in regno Neapolitano gestarum, ab A. 1197 ad 1487, Autoribus* Ludovico, *Seniore, & Juniore*, de Raimo, ex Codice MSto, cujus copiam Cel. *Muratorio* fecit *Ignatius Maria Comus*, Vir inter Neapolitanos doctissimus, jamque in scribendis *Romanorum Pontificum & Cardinalium, qui ortum duxerunt e regno Neapolitano, Vitis* occupatus, descriptam. Adjungendam hanc opellam, etsi tenuem & rerum valde inopem, nec lacunis carentem, *Ephemeridibus Neapolitanis*, jam olim *Tomo XXI Scriptorum Italiæ* publicatis, vel ideo putavit Cel. Editor, quod, quæcunque hic narrata sunt, ad Campaniam potissimum, ad Samnites, populosque alios Aprutio vicinos, quorum historia satis adhuc jaceat inculta, spectent. Nobilissima olim in terris Neapolitanis gens *Raimorum* fuit, unde etiam *Fransonus* &

Lancellottus, Equites Hierosolymitani, genus duxerunt. Hi ipsi gloriam conscriptæ hujus *Historiæ* cum *Ludovicis* duobus communem ferent, si fides habenda sit Codici, unde depromta est a *Muratorio*, in cujus quippe fronte, præter *Ludovicos*, *Fransoni* etiam & *Lancellotti* mentio facta est. Sed, ab his non tam scriptam, quam saltem descriptam fuisse, ex alio facile ejus Codice intelligas, ita inscripto: *Annali du* Ludovico *vecchio e giovane* de' Raimi, *descritti da un libro a penna de' M. M.* Lancellotto *&* Fransone, de Raimi, *Cavalieri Hierosolimitani. Cum additionibus* Antonii de Afeltriis. Progredimur ad Antonii Galli, *Genuensis*, *Opuscula historica*, *de rebus gestis populi Genuensis, & de navigatione Columbi*, quæ, nondum ad hunc diem edita, & diu a se frustra quæsita, tandem hic proferre Cel. Editori ex Codice MSto Genuensi licuit. Tria sunt Opuscula, a *Gallo* non indiligenter scripta, & ab Editore perindustrio mendis quamplurimis purgata. Primum *de Expeditione Genuensium in Barchinonenses*, quam susceptam A. 1466 constat, inscriptum est, cui in Codice MSto inepta librarii manus nomen *Gotifredi de Albario*, cujus exstant *Annales Genuenses*, sed nunquam editi, præfixerunt. Altero *res gestæ Genuensium ab A. 1476 ad 1478* memorantur. Tertio *origo atque fata Christophori Columbi*, nobilissimi peregrinatoris, ortu sive Genuensis, sive Savonensis, sive, quæ *Petri Mariæ Campiæ* in *Historia Ecclesiæ Placentinæ* sententia est, Placentini, quem æqualem habuit hic *Gallus*, copiose exponuntur. Ceterum non adeo obscurum hujus *Galli*, Historici Genuensis, & Scribæ Magistratus S. *Georgii*, nomen est, ut non ejus mentionem, etiam honorificam, Scriptores Genuenses fere omnes, maxime vero *Raph. Sopranus* in libro *degli Scrittori Liguri*, fecerint. Succedit Benevenuti de Sancto Georgio, *Comitis Blandratæ*, *Historia Montisferrati*, *ab origine Marchionum illius tractus usque ad annum 1490*, Italico sermone scripta. Causæ, cur opus hoc, jam diu ante editum, denuo hic publicandum duceret, Cel. *Muratorio* tres fuere; prima, quod nobilissimæ hujus regionis, quam solam magna hac *Scriptorum Italiæ* Collectione exulare, indignum videbatur, nusquam exstaret, certe inveniri non posset, quæ lucem nondum

dum publicam vidiſſet, Hiſtoria, nec inter eas, quæ prodiiſſent olim, ulla potior præſente eſſet; altera, quod præclarum hoc *Benevenuti* opus, A. 1639 in civitate Caſalis S. *Evaſii* typis æneis impreſſum, tam paucorum, ſive quod exiguus exemplarium numerus prodierit, ſive quod id divulgari homines potentiores noluerint, jam quidem manibus verſetur, ut, ſitne unquam editum, dubitare etiam rei literariæ peritiſſimos videas; tertia, quod Scriptorem hunc, Seculi ſui adhuc ſatis inculti ornamentum, præcipuus quidam veritatis amor, ſtudiumque Criticæ, commendet, quippe ad confirmandas rerum geſtarum narrationes ipſis tabulariorum divitiis, & veterum chartarum fide, utentem. Modeſtius hoc, quicquid eſt Operis, *Tractatum familiarem* inſcripſit Autor, ita obviam iturus iis, qui ſtili forte elegantiam, de qua non ita, ſicut de rebus ipſis, laboravit, hic fruſtra ſint quæſituri. *Hiſtoriam* hanc, ut diximus, diligentiſſime ſcripſit, quæ niſi exſtaret, multis adhuc res Montisferratenſes obtectæ tenebris jacerent; neque tamen, in contexenda maxime Comitum Genealogia, nihil ei difficultatum ſpinæ horridæ vetuſtiorum temporum, Seculi inprimis decimi, objecerunt. Antiquiorem enim *Alderamo*, quem dicunt ab A. 938 ad A. 995 imperium tenuiſſe, cujus & ipſius hiſtoria multum adhuc luce eget, non oſtendit; &, quæ de hujus filio quodam primogenito, & in Marchia ſucceſſore, *Bonifacio I*, cum *Arnulpho Mediolanenſi* tradidit, prorſus in fabulis ſunt habenda. Nam, quem Seculum XI tulit *Bonifacium*, A. 1052 in Burgundica *Conradi I* Imperatoris expeditione ferro venenato trajectum, Comitem, non Montisferrati, ſed Tuſciæ, fuiſſe, jam Cel. Editor, in eodem olim errore verſatus, ex certiſſimis rerum documentis exploratum habet. Fortaſſis & alia, quibus lima opus ſit, in ceterorum Comitum hiſtoria acutiores oculi animadvertant; ſed quæ facile ex Scriptoribus, in hac Collectione paſſim obviis, aut emendari, aut ſuppleri, poſſint. Antiquiſſima fuit, unde genus duxit *Benevenutus*, Comitum Blandratæ domus, adhuc hodie Auguſtæ Taurinorum, & in aliis Italiæ civitatibus, veterem ſplendorem & dignitatem ſervans. Fuerunt olim in hujus ditione oppidum Blandratæ, Caſtellum S. *Georgii*, Vallis Seſſiti,

& Oſee-

& Oscelæ. Postea in tres quasi surculos stirps hæc admodum illustris abiit. Alii enim *a Rocha*, alii *a Balangero*, alii a *Foliso*, dicti sunt. Postrema prosapia *Benevenutum* dedit, ideo cognomine *de S. Georgio* insignitum, quod suis fortunis castellum hoc, a *Carolo V* Imp. A. 1523 Comitatus honore donatum, adjunctum habuit. Pater ei *Joannes de S. Georgio*, vir in Canapicio primarius, fuit. Militiam primum sectatus, inter Equites S. *Joannis* Hierosolymitani locum, simulque splendidam, quam dicunt, *Commendam*, obtinuit; postea ad suaviores Musas conversus, illustrissima in aula Comitum Montisferrati munera gessit. Præses enim Senatus Casalis S. *Evasii* nominatus, provinciam hanc ad mortem usque *Bonifacii* Marchionis administravit, filiorum ab eo relictorum tunc curæ & tutelæ præfectus, & ipsius regionis rector vicarius constitutus. Præterea frequentes ad *Alexandum VI, Maximilianum* Imp., aliosque Principes, legationes obiit, vir non prudentiæ minori, quam eloquentiæ, & Jurium peritiæ, inter suos laude florens. In tantis rerum publicarum curis de scribenda etiam *Historia Comitum Montisferrati* cogitavit, hancque geminam, Latino & Italico sermone, composuit. Et Latina quidem primum prodiit A. 1516 in urbe Astensi, sic inscripta: *Montisferrati Marchionum & Principum regiæ propaginis, successionumque, series nuper elucidata.* Hanc ipsam, accessionibus ditatam, postea A. 1521 Trini, Ducatus Montisferrati oppido, denuo in lucem emisit. Quam deinde patrio sermone composuit, non vivente ipso, sed pluribus post mortem ejus annis, prodiit *Montisferrati* plenior *Historia*, novo jam a Cel. Editore ornatu donata, plurimisque mendis liberata. Memoratur etiam *Benevenuti* hujus *de Origine suæ Familiæ* libellus, nunquam, quod scimus, editus, & paucis fortassis cognitus. Ordo nos ducit ad *Allegretti de Allegretis Ephemerides Senenses, ab A. 1450 ad 1496*, sermone scriptas Italico, jamque primum ex *Huberti Benvoglienti*, Patricii Senensis, Codice MSto huc translatas. Parum hæ satisfacient iis, qui res tantum illustres & notatu cumprimis dignas in historiis requirunt, cetera, quæ sunt levioris momenti, fastidiosius legunt. Accidit enim & *Allegretto* huic, quod *Ephemeridum* scri-

ſcriptoribus accidere plerumque ſolet, ut in Annales ſuos, ne rerum geſtarum negligentiores fuiſſe ſpectatores videantur, obvia quæque, nullo rerum utilium inutiliumque habito diſcrimine, referant. Bene igitur a Cel. Editore factum, quod eorum, quæ nihil nec utilitatis, nec delectationis, habebant, plurima hinc ſuſtulit, nonnullis, quæ ad ipſos Senenſes ſpectant, & absque horum injuria auferri non poterant, de induſtria retentis. Si rem ipſam ſpectes, minime ſpernendum videtur hoc *Diarium*, luculentam ſane eorum, quæ ſub finem Seculi XV non inter Senenſes tantum, ſed in univerſa etiam Italia, geſta ſunt, notitiam ſuppeditans. Secutus eſt *Allegretus* partes populi ſeu plebis, penes quam tunc ſumma rerum erat in Senenſi civitate, &, quod ipſe refert, in primis populi Magiſtratibus allectus fuit. Idem patre ſe natum *Nannio Allegreto*, & illuſtri ortum genere Duodecimvirorum, dicit. Pergimus ad *Fratris* Hieronymi de Burſellis, *Bononienſis*, *Ordinis Prædicatorum*, *Annales Bononienſes*, *ab A. 1418 ad 1497*, nondum ad hunc diem editos, jamque ex Codice MSto *Jo. Baptiſtæ Bianconi*, Græcarum literarum in Gymnaſio Bononienſi Profeſſoris clariſſimi, depromtos. Exordium hujus Hiſtoriæ Autor non ab A. 1418, ſed ab ætate remotiori, duxit; at noluit vetuſtiora illa hic denuo locum invenire Editor, utpote jam diligenter deſcripta in *Annalibus Bononienſibus Matthæi Griffonis*, Collectionis hujus *Tomo XVIII* publicatis. Reſectis igitur, quæcunque annum 1418 præceſſerant, ita inſtruxit *Annales* iſtos, ut, ſi his *Griffonis* hiſtoriam, ad annum uſque 1426 deductam, conjungas, pleniſſimam, & continua ſerie decurrentem, rerum Bononienſium hiſtoriam teneas. Prodiit Autor nobili genere *Albertucciorum*, cui pro more Seculi agnomen *Burſelli* fuerat adſcitum. Patrem ipſe ſuum *Petrum de Burſellis*, *ſive de Albertuciis*, nominat, *qui*, *amore accenſus patriæ*, *arma corripuit*, *Canetulosque*, *quantum valuit*, *impugnavit*, Addixit ſe ſacris Prædicatorum, cujus Ordinis quisquis hiſtoriam tradidit, *Hieronymi* hujus doctrinam & virtutes miris laudibus extollit. Si *Altamuræ* fides, in Bononienſi civitate A. 1493 *Inquiſitoris hæreticæ pravitatis* munus geſſit. Pleuritide correptus, d. 25 Nov.

A. 1497 e vita excessit. Scripta ejus numero multa, sed nunquam edita, quorum partem aliquam Bononia servat, hæc memorantur: *Annales Ordinis Prædicatorum ab A. 1215 ad 1484; de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum; de Generalibus Magistris Ordinis Prædicatorum; Annales Cœnobii Bononiensis S. Dominici, ab ejus exordio usque ad sua tempora; Chronicon, seu Epitome gestorum ab orbe condito usque ad annum 1497; Historia Romanorum Pontificum a Sancto Petro ad Alexandrum III Papam; Chronicon, seu descriptio complurium Italiæ civitatum; de Doctoribus asserentibus, Deiparam originali peccato aliquando fuisse obnoxiam; Sermones de tempore per totum Annum; Sermones varii de Sanctis; Liber Sermonum pro tempore Quadragesimali;* denique *Annales urbis Bononiæ*, quibus *Muratorii* beneficio in posterum luce frui publica licebit. Ultimum in hoc *Volumine* locum occupat *Andreæ Naugerii, Patricii Veneti, Historia Veneta, ab origine urbis usque ad annum 1498*, sermone Italis patrio conscripta, primum nunc e Codice MSto Bibliothecæ Estensis in lucem producta. Dubium videri nonnullis possit, an *Historia* hæc verus sit *Naugerii* fœtus, quandoquidem *Petrus Bembus* sub suæ initium *Historiæ Venetæ* diserte scribat, ex eo sibi componendi hujus Operis consilium ortum, quod moriens *Naugerius*, cui hæc provincia a Magistratu Veneto demandata fuerat, comburi sua scripta jusserit; non audet tamen Codici Estensi, in cujus fronte inscripta verba leguntur: *da* Andrea Navagerio, *Nobile Veneto, che morì Ambasciadore in Francia*, fidem denegare Cel. Editor, quod certo dici non possit, an jussis his obtemperaverint hæredes mortui, cujus utique & *Carmina*, & *Orationes*, flammas evaserint, fieri etiam potuerit, ut illi *rerum Venetarum Commentarii*, quos publico nomine conscribendos susceperat *Naugerius*, Vulcano cesserint, præsenti *Historiæ*, multum ab illis diversæ, effugere hanc injuriam contigerit, præterea id satis legenti cuique appareat, Autorem hujus Operis vixisse A. 1498, quo ipso magnum in Italia *Naugerii* fuisse nomen constet, denique tam plene Autor, tamque accurate, res suo tempore gestas descripserit, ut, nisi ab homine in ipsa reipublicæ

publicæ luce versante, & arcana ejus consilia edocto, talia expectari vix potuerint. Utrum vero Italico sermone, sicut hic exhibetur, an potius Latino, quem inprimis familiarem habuit, conscripserit id operis *Naugerius*, id ipsum aliis decernendum relinquit Editor. Si recentiora tempora spectes, nihil est, quod desiderari hic possit; sed in antiquioribus Seculis meræ fabulæ & errores venia vix digni regnant, quibus ne manum violentam inferret Editor, intercessit stupor hominum quorundam, qui, sancte servandas ejusmodi superioris ætatis reliquias, nec quidquam tentandum in aliorum scriptis, audacter pronuntiant.

THE ANALOGY OF RELIGION NATURAL AND REvelated to the constitution and course of Nature, &c.

h. e.

ANALOGIA RELIGIONIS NATURALIS & revelatæ cum constitutione & cursu naturæ; Autore JOSEPHO BUTLER, L. L. D.

Londini, 1736, 4 maj.

Alph. 1 plag. 20.

Haud vulgare, sed prorsus grave & selectum, scribendi argumentum est, quod explicandum suscepit Cl. *Butlerus*, naturæ cursum, atque convenientiam ejusdem cum religionis, tam revelatæ, quam naturalis, principiis, declaraturus. Illa omnia, quæcunque disputavit, huc fere redeunt. Vere magnum inter certam veritatem & probabilitatem intercedit discrimen. Hæc enim variis gradibus, ab infimo scilicet nudæ possibilitatis, adscendit ad superiores. Nec statim probabilis redditur propositio, in eo casu, si contrariæ æque sunt possibiles. Attamen in moralem certitudinem sæpe abit propositio mere possibilis, si nimirum repetitur, & multitudine casuum corroboratur. E. c. si fluxum & refluxum maris hodie prima observares vice hoc illove loco, levissimo probabilitatis gradu concluderes, fluxum crastino die rediturum. In sententiam hanc Autoris ire hic non possumus, siquidem propositio de fluxu crastina luce repetendo mere est possibilis; probabilitatis enim notio inter Philosophos longe aliter est determinata. Si vero per integras septimanas & annos conti-

nuatur hic eventus, certiſſime credit Autor, fore eundem perpetuum. Quæ autem in probabilitate poſita ſunt, determinantur analogia & convenientia cum alia re, nobis ſatis nota. Hæcque ſimilitudinis obſervatio conjecturam & probabilitatem in innumeris caſibus efficit, ſæpe etiam convictionem & certitudinem. Futura cognitione præteritorum vel præſentium eventuum dijudicamus. Ita credimus, infantem tenellæ ætatis, ſtaturæ perparvæ, viginti annis præterlapſis, virili magnitudine fore conſpicuum. Experientia nos condocuit, menſe Januario intenſum eſſe frigus; hinc concludimus, inſtanti hoc tempore eandem inſecuturam aeris temperiem. Ita probabilitate in omni vita utimur, tanquam indice & duce fideliſſimo. Inque eruditione, quam longe patet, uſus ejus eſt plane mirificus. Hactenus Noſter: ſed regulas probabilitatis nec determinat, nec præſcribit, ſed præcipit, ut doctores Logicæ eas colant, ſuisque tradant. Pergit: rationi quammaxime conveniens eſt probabilis argumentandi modus, & *Origenes* bene ac ſapienter aſſerit, *credentem, Scripturæ autorem eſſe naturæ opificem, recte conjicere, tales difficultates in ea eſſe debere, quales in ipſa natura eſſent obviæ.* Atque eodem modo porro colligimus, eos, qui negant, Scripturam eſſe a Deo, quia multa intellectu difficilia in ea reperiuntur, negare etiam debere, mundum eſſe creatum a Deo. Porro, ſi ſimilitudo adeſt in rebus conſtitutione & providentia earundem, prout in revelatione exponuntur, ac convenientia nexus, quem experientia & ratio condocet, iterum vi analogiæ concluditur, utriusque unum eundemque eſſe autorem. Hujus tenoris ratiocinia præclare illuſtrant divinas veritates, & profecto, ſi ab analogia deſumtum argumentum haud adhiberemus, ſtulti eſſemus habendi. Et in ſanctiſſimæ religionis veritatibus præ ceteris ea argumentandi ratio venit in cenſum. Tanquam veritates cognitas Autor noſter principii loco ponit, autorem exiſtere naturæ, & univerſi rectorem. Omnis igitur liber in uſum eorum conſcriptus eſt, qui Dei exiſtentiam & naturæ fines ſtatuunt. Dubia, inquit Noſter, quibus premimur, graviſſima evaneſcunt analogiam rerum penitius conſiderantibus. Summa religionis

ligionis Christianæ hæc est: mala puniri, bona præmiis ornari, & rationem haberi omnis vitæ. Porro res huc redit, vitam præsentem esse statum, quo tentemur, & ob futura bona afficiamur variis incommodis. Ita in *Parte prima* hæc ipsa explicaturus Autor, 1) agit de vita futura; 2) de regimine Dei pœnis & præmiis creaturarum; 3) de morali œconomia Dei; 4) & 5) de δοκιμασίᾳ creaturarum, & periculis, quibus conflictantur; 6) de opinione eorum, qui actiones dicunt esse necessarias; 7) quomodo falso concipiatur reipublicæ divinæ ratio. In *Parte secunda* 1) ostendit gravitatem religionis Christianæ; 2) argumenta contra revelationem diluit ac refellit; 3) limitationem virium intellectus & judicii speciatim sistit, deque iis, quæ probabiliter in Revelatione obvia esse debent, declarat: addit denique, inesse vi analogiæ oportere objectionibus obnoxia revelationis placita; 4) nos plane fugere Christianæ veritatis principia, eorumque præstantiam, pronuntiat; 5) nexum harum veritatum, mediatoris officium, & mundi per eam redemtionem factam, exhibet; 6) defectum universalitatis revelationis, & infirmam, uti vulgo creditur, ejusdem probationem, ex mente perverse sentientium explicat; 7) evidentiam & claritatem præcipuam religionis Christianæ docet; 8) objectiones, quæ contra argumentum de analogia naturæ cum religione formantur, refellit. Hæc quidem est generatim synopsis hujus Operis. Annexæ sunt binæ Dissertationes, altera *de identitate personali*, altera *de natura virtutis*. Speciatim disputandi modum Autoris nostri depingere liceat. *Part. II Cap. 2 pag. 161* agit de objectionibus contra revelationem ratione miraculorum. Contradictoria videtur, inquit, naturæ constitutio contendentibus nobis cum ea miracula. Sed aqua nobis non hæret; etenim creatio mundi, invisibilis mundi gubernatio Jesu Christi, & judicium ejus extremum, reliqua omnia, ita comparata sunt, ut miracula haud sint dicenda; si vero ita vocaveris, discrimen tantum intercedet ratione verborum, nihil ad rem faciens ipsam. Si analogia naturæ hæc destruere debet fidei Christianæ capita, repugnare debent cursui naturæ; sed hoc nullibi observamus.

 Finga-

Fingamus quendam, cui nihil e revelatione est cognitum, si fuerit æquus rerum existimator, concedet tantum parvam partem naturalis & moralis hujus universi systematis ea determinari. Profitebitur, se exiguam tantum partem rerum scire, ergo non omnem, ergo nec destruere potest incognita, quorum tamen amplissimus est campus, & quæ sunt reliqua, non sine ingenii & doctrinæ copia a Nostro explanata.

JO. GEORGII CRAMERI, J. U. D. COMMENTARII de Juribus & prærogativis Nobilitatis avitæ, ejusque probatione, ex institutis Germanorum, & priscis, & hodiernis.

Tomus I.

Lipsiæ, apud Jo. Christ. Martini, 1739, 4 maj.
Alph. 3 plag. 8.

Prima nunc, quod omnibus doctrinæ rectioris amatoribus longe accidit gratissimum, divulgata est *Pars* præstantissimi splendidissimique Operis, cujus aliquando edendi jam olim liberalem Germanici Juris studiosis spem fecerat Consultissimus *Cramerus*, Lipsiæ nostræ decus, & ad iter illud, quod nominis monstrat immortalitatem, nobili gradu contendens. Postulat æquitas, quæ suprema nobis in recensendis doctorum hominum laboribus lex est, ut plausu partim publico insignem prosequamur industriam elegantis Viri, & ad illustranda Germanorum Jura nati plane factique, partim civitati literariæ gratulemur Opus tam politum, tamque utile, & optimarum rerum plenum, ad cujus si accederent laudem, quæcunque luce publica donari scripta solent, o quam maturos percipere posset fructus universa eruditorum societas! Ne quid enim dissimulemus eorum, quæ pertinent ad commendationem Operis egregii, ordo hic concinnus, summum judicii acumen, gravissimorum scriptorum testimonia, &, quod unum magnæ laudis materiam habet, suave venustumque dicendi genus, regnant. Fulget præterea liber, & mirifice superbit, dulcissimo Musis nomine Illustrissimi Comitis, *Hen*

Henrici a Bruehl, Mæcenatis Saxonici, cujus in patriam merita, nullis tacenda Seculis, & animus erga literatorum ordinem propensissimus, tam diu memorabuntur, quamdiu suus eruditioni solidæ honor constabit. Jam, ne legentes hæc nostra præposterum forte laudandi studium nobis objiciant, ipsum hunc Musæ *Crameriana* fœtum Lectori paulo propius conspiciendum præbebimus, &, præmissa Capitum summa, nonnulla producemus in medium, non anxie quæsita, sed oblata nobis ultro, specimina, quæ, ni prorsus fallimur, hoc efficient apud complures, ut ipsum in manus librum sumant, nostrumque probantes judicium, tantæ doctrinæ Autori bene nobiscum precentur. Quæ præmissa est ipsi Operi Præfatio, inter varios Scriptores, qui in eodem olim argumento explicando qualemcunque posuerunt industriam, nominat inprimis *Claudium Franc. Menestrierium*, Gallum, & ex nostratibus *Eberh. Frid. Georgium*, atque *Rudolph. Frid. Telgmannum*; sed quorum nullus ita in hoc munere versatus perhibetur, ut omnem posteris materiam præripuisse dicendorum videatur. Noster, nihil prætermittendum ratus eorum, unde quidquam gratiæ ac decoris conciliari argumento huic gravi ac illustri possit, & animo bene præparato ad nobilem laborem hunc conversus, *Volumen* hoc *primum Capitibus* absolvit *quinque*, quorum *primo* de inscriptione libri, & verborum significatione, exponit; *altero* origines jurium & prærogativarum avitæ nobilitatis, ejusque probationis, evolvit; *tertio* rationes illorum & æquitatem commonstrat; *quarto*, quinam eorundem in Germania capaces sint, vel minus, dispicit; & *quinto* denique jura ac privilegia nobilitatis avitæ antiqua recenset. Hisce subjunxit *Jo. Mülleri*, Reipublicæ Norimbergensi quondam a Secretis, Opusculum de *Rüxneri* libro de torneamentis, ejusque fide, quod in Bibliothecis huc usque latuit MStum; Documenta, quæ priscum, nobilitatem avitam, in dubium vocatam, comprobandi, modum ostendunt; Statuta ac privilegia Capitulorum quorundam Germaniæ Cathedralium; & alia tandem Documenta, quæ ad controversiam ecclesiæ Cathedralis Wormatiensis cum Auwachiis, & *Jacobo de Boville*, novis hominibus, pertinent. Quam appendicem, nemi-

ni

ni fortaſſe ingratam, rerum & verborum Index ſequitur, non
Pag. 5. ſine cura & ſtudio ſingulari confectus. Jus, quod Germani *das Recht derer Ahnen* vocant, ita deſcribit Ampliſſ. Autor, quod ſit *Jus peculiare, moribus Germanorum introductum, & legibus, ſtatutis, atque privilegiis, firmatum, vi cujus illi Nobiles, qui intaminatam nobilitatis ſuæ antiquitatem ex certo avorum, proavorumque, continua ſerie nobilium, numero legitime probare poſſunt, aliis, quorum nobilitas vel nova, vel labe quadam adſperſa eſt, præferuntur, & his excluſis, ſoli ad exercitationes & ludos equeſtres, ad primaria nobilium virorum collegia, & corpora, ad præcipuas quaſdam dignitates, aliorumque quo-*
78 ſeq. *rundam jurium uſum, admittuntur.* Servorum manumiſſiones, ſacris Chriſtianis feliciter in Germania inſtauratis, atque ita a *Caroli M.* temporibus, Cleri cumprimis Pontificii ſuaſu, factæ ſunt frequentiores. Ingens igitur libertinorum caterva ſuccrevit, quorum haud pauci ruri remanſerunt, & agriculturam, quam ut ſervi antea exercuerant, nunc tanquam coloni, in utilitatem patronorum, proſecuti ſunt, illisque certos præſtiterunt cenſus annuos. Maxima vero libertorum multitudo confluxit in urbes, ſpe lucri, indulgentibus patronis ex mercatura & opificiis capiendi, allecta. Et ante quidem *Henrici Aucupis* ætatem ſoli propemodum liberti urbes incoluerunt Germanicas. Hujus tamen Imperatoris auſpiciis evenit, ut ingenui quoque multi in urbibus primariis domicilium ſibi conſtituerent, qui, ut præclare ſuſpicatur Vir longe doctiſſimus, magiſtratuum ſibi munera vindicarunt, libertis in infima civium claſſe collocatis. Cum ergo liberti opificia, quæ in ſervili ſtatu didicerant, in urbes intulerint, poſteaque mercaturæ dederint operam; ſatis luculentis ſignis apparere cauſas, putat Autor, cur equeſtris ingenuorum ordo, &, quæ ex illo originem ducit, nobilitas hodierna, tantopere & a mercatura, & ab opificiis, omni tempore abhorruerit, vilemque ac ſordidam urbanorum civium cenſuerit
95 ſeq. conditionem. Antiquiſſimis temporibus, cum verum ſupremi Numinis cultum adhuc ignorarent Germani, honorifica apud eosdem habita eſt ſacerdotum conditio, ideoque nobiliſſimi quique viri ſacerdotio ſe conſecrare non dubitarunt. At in errore verſari

versari illos gravissimo credit praeclarissimus Autor, qui originem exinde hodierni derivant moris, quo non nisi nobiles, avita conspicui nobilitate, in Capitula cathedralia, & Collegia Canonicorum, recipiuntur. Complura enim tum mutata ait, cum sacra in Germaniam Christiana introducta sunt. Sub Francis profecto, quorum auspiciis paganam Germani superstitionem ejurarunt, ad sacros Ordines, & munera ecclesiastica, quosvis promiscue, sive servos, sive libertos, sive ingenuos, Clerum admisisse pontificium, nec, quod ad servos attinet, *Carolum M.* & *Ludovicum Pium* iteratis sanctionibus id consecutos esse, ne illi, dominis invitis, in Clericorum reciperentur societatem, quin potius eorundem haud paucos, impetratis a dominis suis manumissionibus, ad sacerdotii non modo honorem, sed summum etiam Episcopale fastigium, sub ipsius *Ludovici Pii* imperio, fuisse elatos, docte & eleganter ostendit. Seculo demum decimo & undecimo Collegia Germaniae Cathedralia eam, quam hodienum tenent, formam, ea, quibus adhuc utuntur, jura, obtinuerunt, hisque etiam temporibus nobiles, sive illustres, & ingenuos militares, ex quibus nobilitas inferior hodierna enata est, major, quam antea, cupido inflammavit, locum inter Canonicos capitulares ambiendi. Hujus rei causas varias, nec parum probabiles, studiose attulit Cons. *Cramerus*. Idem alio in loco arduae illius, & controversae satis, quaestionis mentionem facit, an Imperator avitae nobilitatis jura, ac praerogativas, quae generis antiquitatem, & certum avorum aviarumque nobilium numerum, juste probandum, supponunt, novis concedere queat nobilibus, & eo quidem modo, ut hi ad Torneamenta, Canonicatus, majores Ordines militares, & honores alios, quibus sola gaudet avita & gentilitia nobilitas, admitti debeant, quamvis ex parentibus, avis, & aviis nobilibus non sint prognati. Quantuscunque sit JCtorum numerus, quantacunque etiam eorum autoritas, qui affirmando responderunt, ab iis tamen, pro Academica sentiendi libertate, recedere non dubitat Autor noster, ad Instrumentum Pacis Osnabrugense, Caesareasque Capitulationes, provocans, in quibus quippe disertis cautum sit verbis de servandis Collegiorum Cathedralium pri-

Pag. 174 seq.

 vilegiis,

vilegiis, Statutis, & consuetudinibus, juste introductis. Neminem autem Juris nostri publici adeo rudem fore existimat, ut ignoret, in potestate solius Imperatoris non esse, leges Imperii fundamentales vel interpretari, vel mutare, vel contra easdem dispensare. Ex moribus Germanorum adoptionem non
Pag. 220.
esse modum acquirendæ nobilitatis, nisi per privilegium, ab Imperatore concessum, quale exemplum de *Josepho* Imperatore allatum est, docte contendit. Quid videatur Consultissimo Viro de controversia, magnis quondam motibus agitata, an nobilitate Doctores gaudeant Academici, egregio, quo omnia solet, eruditionis apparatu exposuit.
278 seq.
Admodum olim honorificum fuisse Doctoris Academici nomen, ex tot Historiæ Jurisque patrii monumentis luculenter apparet. Causa hujus rei genuina in callidis Pontificum Romanorum machinationibus quærenda est. His enim factum est, ut honores Academici dignitatibus accenserentur ecclesiasticis, ideoque equestri & gentilitiæ nobilitati non exæquarentur tantum, verum etiam præponerentur. Inde igitur evenit, ut Doctores Academici pari cum nobilibus jure ad Canonicatus & Capitula admitterentur, quin ipsi nobilissimi equestris ordinis viri magno numero ab Academiis infulas expeterent doctorales, & sæpissime Doctoris honores insignibus præferrent equestribus. Quod cum probatu non sit difficile, mirum sane non est, in ipsis Recessibus Imperii Doctoris dignitatem equestri comparatam, eademque Doctoribus, & quodammodo majora, quam nobilibus, ad equestres honores solenni ritu (*durch den Ritter-Schlag*) evectis, concessa fuisse privilegia. Sed inde a Seculo XVI imminui haud parum cœpit Doctorum conditio, & sensim sensimque plurimum de sua illi dignitate amiserunt, cujus jacturæ origo derivanda videtur Autori a recentiori ævo, & inprimis a sacris repurgatis, quo scilicet tempore hæc dignitas pro ecclesiastica & clericali haberi desiit. Quanquam vero hac nostra ætate equestris nobilitas supra Doctoris dignitatem emineat, & ubique propemodum viris sanguine nobilibus prior tribuatur locus præ Doctoribus, nativa nobilitate destitutis, nisi quidem hi splendidis fulgeant in aulis Principum muneribus;

ribus; nihilo tamen minus ne hodie quidem omnis Doctoribus nobilitas poterit abjudicari. Interim nec illud, pro candore suo, dissimulandum censet Consultiss. *Cramerus*, quod jam olim non omnia nobilitatis jura & privilegia Doctoribus cum viris avita nobilitate illustribus fuerint communia. Præsidium sententiæ suæ quærit in Torneamentis, & aliis ludis equestribus, in Ordinum militarium insignibus, in societatibus Ganerbiorum, aliisque nobilium collegiis, quæ avitæ, seu hæreditariæ, non personalis, qua Doctores tantum gaudent, nobilitatis probationem requirunt. Præclara sunt, Pag. 296 seq.
quæ doctissimus Autor de antiquo cinguli militaris conferendi, & Equitum creandorum, ritu, vulgo *das Ritter-Schlagen* dicto, ex optimis quibusque Scriptoribus in scenam produxit. Medio potissimum ævo frequentissima in Germania, pluribusque Europæ regnis, hæc fuerunt solennia, quæ cum paucis describi fere nequeant, ad ipsum elegantissimi hujus Operis Autorem ut remittamus Lectores, necesse est. De jure, adeundi Tornea- 332 seq.
menta & ludos equestres, multa disputat solide ac diligenter, ludorumque militarium initia ad Francorum & Carolingorum ætatem referenda putat, quæ deinceps *Henricus Auceps* instauravit, multoque frequentius, quam antecessores ejus, exercuit. Torneamenta vero solennia, magna pompa peracta, ante Seculum XI plane ignota, atque eodem demum Seculo inventa fuisse a Gallis, gravibus commotus & quasi convictus argumentis, Autor profitetur. Quo sane ipso *Georg. Rüxnerum*, pluresque, qui hunc præpostero secuti sunt applausu, viros eruditos recte refellit. Unde autem *Torneamentorum* vox orta fuerit, 338.
non inter se conveniunt Critici. Alii enim eandem a ludis Trojanis; alii a tirociniis, quorum denominatione ludi olim equestres frequentissime designabantur, derivant; alii ejus originem Italis, alii Germanis, & illi quidem a voce *tornare*, hi a Germanico vocabulo *treen*, id est, *circumagere*, deducunt. Nulla tamen ex conjecturis hisce probatur Autori nostro, qui longe probabilius vocis hujus originem repeti a Gallis scribit, apud quos *torner*, sive *tourner*, inde ab antiquissimis temporibus idem denotaverit, quod *vertere*, *in orbem agere*,

 id

Pag. 437-442. id quod solenne semper fuerit illis, qui in ludis equestribus decertarunt. In caussis olim & litibus Vasallorum nobilium feudalibus a testimoniis dicendis omnes repellebantur, qui ex avis aviisque nobilibus non erant prognati. Quid? quod ne ad postulandum quidem, & caussam actoris, vel rei, in judicio perorandam, admittebantur alii, quam Pares curiæ, avita nobilitate conspicui. Aliter vero hodie in caussis feudalibus. Neutiquam enim testes, & procuratores ignobiles, ab ejusmodi arceri judicio, dummodo habiles sint & idonei ad testimonium dicendum, aut caussas defendendas, a Viro præstantissimo demonstratur. Atque hæc protulisse sufficiat ex libro, nihil, quod non placeat mirifice, & plane sit dedolatum, in se continente, cujus præclarissimo Autori valetudinem precamur prosperam pariter ac diuturnam, ut non hoc solum Opus feliciter, &, quod addimus, quam proxime, perficiat, verum pluribus etiam cultissimi ingenii monumentis famam suam, satis jam amplam, adaugeat, nostræque laudem Lipsiæ, tot eruditissimorum civium scriptis partam, suo etiam nomine conservet ac tueatur.

THE GENEROUS PHYSICIAN, &c.

h. e.

MEDICUS GENEROSUS, SEU MEDICINA facile parabilium, continens claras & luculentas descriptiones caussarum, symptomatum, & methodi curationum, in variis morbis, qui corpori humano accidunt, cum formulis optimis, Anglice conscriptis, & norma utendi, conceptibus vulgaribus accommodata, per D. COLBATINUM, in gratiam eorum, quos res angusta domi solvendis exorbitantibus Medicorum sostris impares reddit.

Londini, sumtibus J. Roberts, sine anni indicio, 8.
Plag. 12.

Ars medica videtur Autori profundis adeo mysteriis & rerum difficultatibus obvoluta haud esse, ut non cuique ex vul-

vulgo liceat ad illius cognitionem adſpirare. Sanitatis potiſſimum conſervandæ arbitrium penes omnes conſiſtit, qui congenita rerum ad diætam ſpectantium cognitione, cum medicina nobiscum naſcatur, uti norunt. Exercitium corporis, moderatus cibi potusque uſus, eorum, quæ proſunt nocentve, obſervatio, ſicut olim, ita & nunc, artis fulcimenta exiſtunt. Noſtri temporis praxis, curioſior, quam utilior, remediis ingenioſe mixtis conſtat, videasque prolixas formulas magis in commoditatem & lucrum Medici & Pharmacevtæ, quam in utilitatem ægri, compoſitas. Quapropter miſertus Autor plebeculæ, antiquam medendi methodum reſtituere tentat, & ſimpliciſſima remedia, ſyrupos, potiones, julapia, deſpectui jam plerumque habita, in uſum reducit, & morborum hiſtoriam ita condit, ut ſecum reputare quilibet, etiam artis minus gnarus, poſſit, quid ſibi ſuisque ſalutare eſſe queat. Ab ovo, quod ajunt, incipiens, naſcentis hominis morbos exponit, inde ad adultorum morbos digreditur, concinne exponens morborum ætiologias, diagnoſin, & curandi methodum; hinc formulas exponit familiares. Aſt verendum, ne male utantur imperiti in propriam cladem regulis, quas applicare neſciunt, licet erudite & bono animo fuerint prolatæ.

HAMPSTEAD WELLS, &c.

h. e.

FONS SOTERIUS HAMPSTEDENSIS, ſeu norma, qua ebibendæ ſunt iſtæ aquæ, ſiſtens earundem naturam & virtutes, morbos, quibus tollendis inſerviunt, tempus, rationem, & ordinem, quibus potantur, modum corpora ad potionem præparandi, diætam, potaturis neceſſariam; cum Appendice de origine fontium in genere, & experimentis de aquis Hampſtedenſibus factis, curationumque hiſtoriis. Autore

JOANNE SOAME, Med. D.

Londini, impenſis Autoris, apud F. Clay & D. Browne, 1734, 8. Plag. 14.

Chalybeatis aquis exterorum haud indigent Britanni, suisque gloriari proventibus possunt. Servandus est suus honor Tunbridgensibus, Kentensibus, Neo-Tunbridgensibus, aliisque. Eminent tamen Hampstedenses acidulæ, coloris pelluciditate, saporis aciduli gratia. Instituitur a Cl. Autore comparatio cum Spadanis & Pyrmontanis Germaniæ fontibus; negatur verum subesse acidum, sed, martis participes eosdem esse, ex ochra aquarum, aliisque, quæ cum chalybeatis aquis institui solent, experimentis, fuit intellectum. Aperiendi virtute omnes chalybeatæ, adeoque & hæc aqua, eminent; quapropter laudatur in glandularum viscerumque obstructionibus, mensium erroribus, nervei etiam generis intemperie, morbique Anglici dicti speciebus. Regulæ, quibus aquarum potatio dirigitur, ingeniose admodum excogitatæ, cum regulis motuum sanguinis & humorum apprime conveniunt. Per intervalla, parvisque haustibus, bibantur acidulæ, quo placide decurrere per vasa, & a corde subigi, misceri que cum sanguine, fons salutaris possit; trium septimanarum decursu bibantur aquæ; æstate bibantur; corporis accedat motus & exercitatio; ante meridiem bibantur. Amplissima est curationum, quas aquarum Hampstedensium usus perfecit, recensio. Calculi renum, lepra, ventriculi intemperies, anorexia, aliique morbi, obsequiosi his aquis fuerunt, quorum historiæ adducuntur. De aquarum mineralium, maxime chalybeatarum, origine & principiis, magnorum in arte virorum, *Hoffmanni* nostratis, *du Clos*, Galli, *Freindii*, Britanni, aliorumque, sententiæ colliguntur, & conferuntur. Experimenta, cum aquis Hampstedensibus instituta, fuerunt non tantum Gallarum pulvis, sed & Thea viridis, & lignum nephriticum, quibus omnibus, diverso gradu, aquæ purpureo colore tinctæ fuerunt: syrupus violarum easdem viridi tinxit. Accedunt alia experimenta, ab amicis facta.

REGLE ARTIFICIELLE DU TEMS, &c.

h. e.

TEMPORIS REGULA ARTIFICIALIS, SIve Tractatus de divisione temporis naturali & artificiali,

ciali, de variis horologiorum, præcipue portatilium, constructionibus, deque vera ratione illa cognoscendi, & motum eorum recte temperandi; Autore HENRICO SULLY, Sereniss. Aurelian. Ducis Horologiopœo, & Societatis Artium Socio. Editio nova, correcta, auctaque quibusdam Observationibus, ad Horologiorum fabricam spectantibus, JULIANI LE ROY, ejusdem Societatis Membri.

Parisiis, apud Gregorium Dupuis, 1737, 8.
Plag. 19, Tabb. æn. 5.

Libellus hicce, mole licet exiguus, non ad perficiendam solum Horologiorum fabricam, sed ad noscendam etiam artis præclarissimæ historiam, perutilis videtur. Dolendum, ipsum Autorem *Sullium*, qui natione Anglus fuit, morte præmatura exstinctum. Artifex quippe dexterrimus pariter ac ingeniosus fuit, magnamque scientiæ famam sibi comparavit. Præsens, quod recensemus, Opusculum, quantum in arte excelluerit, satis demonstrat, cujus novam editionem, cum exempla veteris distracta essent omnia, adornare suscepit Cl. *le Roy*, ita tamen, ut verba Autoris, ubi obscuritate aliqua laborabant, correxerit, superflua resecuerit, nunquam vero ab ipsa Autoris mente discesserit. Horum omnium synopsin dare brevissimam nunc aggredimur. Et primo quidem clarissime explicatur constructio horologiorum, cumprimis portatilium, generalis, enumeratis partibus, quibus componuntur, earumque præcipuis propositionibus, per calculum determinatis. Sequitur disquisitio de variis horologiorum speciebus, deque exactitudine expectanda secundum varias constructionum rationes. Omnis horologiorum motus a tribus principiis oriri dicitur, scilicet a potentia motrice, propagatrice, & directrice. Potentia motrix in horologiis vulgaribus est pondus, in portatilibus elater. Propagatrix resultat ex varia rotarum, quæ motum secum mutuo communicant, combinatione. In potentia directrice plurimum inest differentiæ, quam distincte & singulatim Autor explicat.

plicat. Libramenta ordinaria (*Balanciers*) plurimis premuntur defectibus, eisque longissime præstant Pendula, quæ ad maximam regularitatem reduxit *Hugenius*, adhibita Cycloide. Notatur autem, cum pauca existant Cycloide instructa horologia, pauciora adhuc ejus generis esse, quæ dextre sint fabricata. Ad quæ subdit Cl. Editor, non tantam hodie esse Cycloidis necessitatem, quanta fuerit *Hugenii* tempore; quod utique satis ostendisse videtur Cel. *Saurin* in *Commentariis Acad. Scient. A. 1720*. Excellentissima autem potentia directrice gaudent automata, quæ, pendulo longiori, quod secunda vibrat, instructa, qualia nostris temporibus fabricantur, magnamque præ omnibus aliis prærogativam habent. Pendula isthæc invenisse dicitur *Guil. Clemens*, Londinensis Artifex, nomine *Regiorum* deinceps insignita. Horologiorum vero portatilium potentia directrix est filum elasticum, in spiram contortum, quod primus invenit *Hugenius*. Cum plurimi homines eo laborent præjudicio, ut ad eundem perfectionis gradum redigi posse horologia portatilia existiment, quo illa eminent, quæ pendulis instruuntur; in sequentibus plures enarrantur causæ physicæ & mechanicæ, quæ successum impediunt. Imo nec optima pendula omnis prorsus irregularitatis expertia dicuntur; quidni igitur eis subjiciantur potiori ratione portatilia? Quis enim plane evitet incommoda ex fusi figura, non accurate satis determinata, ex irregularitatibus fili elastici spiralis, seu potentiæ directricis, oriunda, & quæ plura forsan alia sunt? Quibus ita expositis, Autor ad ipsam temporis divisionem progreditur, explicatque differentiam inter tempus verum sive apparens, & medium. Monstrat porro, qua ratione tempus tam medium, quam apparens, absque errore sensibili innotescat, & qua ratione ad componendum horologii motum utrovis tempore uti liceat. Quem in finem addit Tabulam æquationis motus solaris, & accelerationis fixarum supra motum solis medium. Peculiares adhuc dilucidationes subnectit, ad usum fili spiralis elastici spectantes, cujus ope motus horologii, ut constat, accelerari aut retardari potest, idque operatione adeo deli-

delicata, ut ejus ope minutum temporis primum in 388800, & secundum in 6480, partes æquales dividere liceat, quæ vis est admirabilis mechanismi ibidem adhibiti. Sequuntur annotationes quædam Ill. *Leibnitii*, quas cum Autore communicavit, cum Viennæ versaretur. Optat ibidem Vir summus, ut opus aliquando prodeat, non solum universam artis praxin, sed accessoria quoque, complectens, hoc est, inventa varia eorum, qui ad scientiæ & dexteritatis fastigium pervenerunt. Partem arithmeticam, id est, eam, quæ rotarum, dentiumque, divisionem & numerum spectat, bene tractatam fuisse ab *Oughtredo*, pronuntiat. Parem operi *Sullium* fore, cum theoriam cum praxi conjunxerit. Primam fili elastici spiralis ab *Hugenio* factam applicationem automato cuidam A. 1674 circiter; *Hookium* & *Hautefeuillæum* primos se deinceps inventores jactasse rei adeo egregiæ, refert. Se ipsum in Diario Gallico (*Journal des Sçavans*) aliud potentiæ directricis genus, non physicum, sed pure mechanicum, publicasse, automatum vero eo instructum executioni nunquam dare potuisse, cum semper invenerit artifices vel operi non satis aptos, vel ab antiqua consuetudine deflectere recusantes. Tale autem horologium usus novos & insignes præstiturum, cum fuso conoidico carere possit, eademque ratione motum continuet, quamvis potentia motrix duplicetur; magisque profuturum mari, quam pendula. Porro examinandum esse, quantus aeris sit influxus in vibrationes fili elastici spiralis, & præcipue, quantus caloris & frigoris. Perfectissimæ pendulorum constitutioni obesse rotarum combinationes, unde frictio oritur; quæ causa sit, cur horologiorum motus acceleretur paululum, aucta vi motrice. Esse adhuc singulare horologiorum genus, in quibus pondus vibrans nullos itus & reditus absolvat, sed motu semper circulari feratur. *Hugenium* de iis aliquid conscripsisse, publici juris nunquam factum, & loco cycloidis adhibuisse solidum parabolicum, in quo circulationes sint isochronæ. Ceterum bona esse, quæ de motu horologii ad solem aut fixas componendo præcipiat *Sullius*, & tabulam, quam eum in finem condiderit, satis ingeniosam; ei tamen multis ex capitibus præferendam esse illam, quæ ad me-

 ridiem

ridiem verum tempus medium monſtrat. Hactenus obſervationes Viri Illuſtris. Eas excipit deſcriptio horologii portatilis novæ conſtructionis, oblata Academiæ Scientiarum Regiæ a *Sullio* A. 1716. Automaton idem prorſus eſt ac illud, de quo diximus ſatis in *Actis* hiſce *A. 1737 Menſ. Mart. pag. 127*, quo ablegandus eſt Lector. Sequitur narratio, ad hiſtoriam artis pertinens, ſic inſcripta: *Hiſtoire critique de differentes ſortes d' échappemens*, vel hiſtoria critica variorum modorum, ad vibrationes horologiorum recte temperandas adhibitorum, ex qua, cum digna lectu ſit, pauciſſima excerpemus notabiliora. Notatur, *Hookium* vibrationis aliquod genus excogitaſſe, cui ſubitanei ſuccuſſus nihil nocuerint, poſtea tamen rurſus neglectum, cum, quicquid hujus eſt perfectionis, incommodis majoribus compenſetur. *Tompionem*, cui præcipue debeatur artis in Anglia inſtauratio, aliud itidem adhibuiſſe, inſigni illa proprietate præditum, quod motus æquabilitas nihil ab inæquali potentiæ motricis actione patiatur, ſed frictionum incommodis nimis obnoxium. Circa annum 1700 *Fatium* primum inveniſſe methodum, horologiorum portatilium libramenta Rubinis imponendi, quam magis poſtea, cum *Baufrium* ſocium adſciviſſet, perfecerit; ex quibus omnibus occaſionem nactus eſt *Sullius*, tentandi ulteriora, & corrigendi inventorum defectus, adhibito novo vibrationis genere, quod executioni dedit A. 1721. Cum ea, quæ recenſuimus, ad horologia portatilia ſpectent; ideo ea deinceps enarrantur, quæ ad automata majora ſpectant, ex quibus notaſſe ſufficiat, eundem *Hookium*, de quo ſupra, inventionem *Penduli Regii*, quam *Clementi* tribui diximus, ſibi vindicaſſe, ac aſſeruiſſe, ſe brevi poſt incendium Londinenſe A. 1666 Regiæ Societati monſtraſſe illud vibrationis genus. *Sullius* noſter non contemnendas contra illud objectiones affert, unde anſa arripi poteſt, perfectiora, ut fecit, moliendi. Se quoque primum fuiſſe, commemorat, qui Cycloidis inutilitatem, cum ad pendula applicatur, coram Academicis quibusdam, circa annum 1715, ſuſtinere fuerit auſus. Hactenus quidem *Sulliana*; attingamus adhuc ea, quæ adjecit *le Roy*. *Primi* horum titulus eſt: *Memoire hiſtorique ſur la montre de Mr.*

Mr. Sully, h. e. Commentarius hiſtoricus de automato portatili *Sulliano*, de quo ſupra, ubi ulterior ejus perfectio oſtenditur. *Secundum* continet deſcriptionem & uſum novi horologii ſolaris, horizontalis, quod Meridianis ducendis potiſſimum inſervit. Excipit hoc Deſcriptio horologii univerſalis & portatilis, pyxide magnetica inſtructi, aliaque, eam ad rem ſpectantia. *Tertium* exhibet novam & ſimpliciorem rotarum combinationem, quæ in horologiis excitantibus (*horloges à reveil*) uſu veniunt. *Quartum* circa emendandam grandiorum horologiorum conſtructionem verſatur. *Quinto* argumentum hoc continuatur, oſtenditurque, arbores vel axes rotarum omnium ſuper rectangulo horizontaliter poſito diſponi poſſe. Quæ ſequuntur, de variis horologia emendandi modis agunt, quibus tandem coronidem imponunt 1) nova methodus conſtruendi horologia repetentia, de qua diximus in *Actis A. 1737 Menſ. Majo pag. 231*; 2) Hiſtoria artis horologiariæ, ab anno 1715 uſque ad 1729, ubi præcipue notandum, *Sullium* vivis exceſſiſſe A. 1728, menſe Octobri, poſtquam longo tempore omnes ingenii vires eo intendiſſet, ut automaton inveniret mari utile; vid. *Acta* noſtra *A. 1737 Menſ. April. pag. 178 ſeq.*; 3) Deſcriptio novi cujuſdam horologii, prælecta coram Societate artium a *Petro Gaudrono*. Plurima in ſcriptis hiſce obſervare licuit egregia, & ad perfectionem artis non parum profutura, de quibus utique copioſius diceremus, niſi limites præſtituti, quos prope jam exceſſit recenſio, nos prohiberent. Hic itaque ſubſiſtimus.

GEORGII LAURENTII HAUSFRITZ, Norimbergenſis, de Cæſare, deſignato ſucceſſore imperii antiqui, Commentarius, ad illuſtrandam Hiſtoriam Auguſtam.

Norimbergæ, ſumtibus Jo. Stein, 1737, 4.

Plag. 22.

In tanta Virorum eruditorum copia, qui nullam antiquitatis partem intactam relinquunt, mirari nos ſubit, perpaucos dari, qui argumentum illud grave & frugiferum, cui explicando ſtudium ſuum dicavit Cl. *Hausfritz*, ſatis pro dignitate per-

 tracta-

tractaverint. Quis enim neſcit *Caſauboni* & *Salmaſii* labores, in
Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ feliciter inſumtos? Quis *Panvinii*,
Gutherii, *Bulengeri*, *Dodwelli*, *Pagi*, *Becmanni*, *Harduini*, *Spanhemii*, induſtriam ignorat? In horum tamen ſcriptis tam pauca,
quæ ad rem illam faciunt, occurrunt, ut vix triceſimam partem illorum, quæ Doctiſſ. Autor ex ingenio ſuo fœcundiſſimo
protulit, abſolvant. Ex re igitur illorum, qui hac literarum
amœnitate ducuntur, fore judicamus, ſi pro inſtituti noſtri modulo nonnulla Lectoribus noſtris ex politiſſimo hoc libello propinemus. *Capite* autem *primo* Clar. Autor *de vario modo ſuccedendi in imperio Romano, & origine dignitatis Cæſareæ*, diſſerit.
Conſtat autem, ſucceſſionem contigiſſe partim Senatus benevolentia, partim militari vi, partim etiam Imperatoris illius,
qui ante ſucceſſurum inſignia gerebat, deſignatione. Orditur
Autor a *Julio Cæſare*, atque ſingulorum primi Seculi Imperatorum rationem ſuccedendi enarraturus, *Julium Cæſarem*
curaviſſe docet, ut imperium ſibi a Senatu ſub nomine Imperatoris, Dictatoris, & perpetui Conſulis, deferretur, cum fractæ jam debilitatæque eſſent res Romanorum. Quo ſimul
tempore Autor ex *Dione Caſſio* contendit, jura imperii non
intra perſonam *Cæſaris* contenta, ſed filiis nepotibusque aſſerta fuiſſe. Hinc, *Octavium* duplici, & hæreditatis *Juliæ*, &
victoriæ, jure ad faſtigium perveniſſe, putat, ut hinc proprie ii
Cæſares vocentur, qui ex *Cæſaris* proſapia Romæ ſolenni ritu
Pag. 7. *Auguſti* fuiſſent renuntiati. *Caligula* vero interfecto, formam
imperii hæreditariam in electitiam tranſiiſſe, atque adeo a *Cæſaris* familia ad *Claudiam* perveniſſe jus ſummæ dignitatis,
evincit. Ex quo colligit, omnes Hiſtoricos, qui in *Nerone*
demum *Cæſaream* ſtirpem evanuiſſe credunt, vehementer
falli. Usque ad illud tempus nomen *Cæſaris* gentilitium
fuit, ſed, reliquos Imperatores a *Claudio* usque ad *Trajanum*
honoris ſolum & boni ominis cauſa aſſumſiſſe illud, ex *Tacito*,
Lampridio, *Ammiano*que *Marcellino*, probat, poſtea filiis quoque
inditum eſſe, docet ex numo: ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΒΡΙΤΑΝΝΙΚΟΣ
ΚΑΙΣΑΡ, ubi ſimul quæſtionem *Spanhemii*, de nomine Καισαρος
12. in numis, erudite ventilat. Poterat enim quis animo pendere,

re, quisnam nomine *Καισαρος* significetur, *Augustus*, an filius *Augusti*. Quare Illustris quondam *Spanhemius* illud discrimen excogitavit, quod in numis *Augustorum* tanquam *prænomen*, in numis autem filiorum tanquam *cognomen*, usurpetur *Cæsar*. Sed observationem utramque duobus convellit numis Doctiss. Autor, primum *Neroniano*, qui legenda offert verba: *Imperator. Nerva. Cæsar. Augustus*, altero *Domitianeo*, ubi de filio *Domitiani* dicitur, vivente adhuc patre: *Cæsar. Domitianus. Cons. design. II.* Non ita multo post appellatio *Cæsaris* in dignitatis notam abiit, iisque solum data fuit, qui vel ab Augustis in societatem regni assumti, vel certe designati erant ad imperii fasces aliquando capiendos. Cum igitur ex domestico publicus honor factus sit; Pag. 16.
Clar. Autor *Capite secundo de potestate & ratione Cæsares constituendi* agit, ubi aperte docet, non unum solummodo, 25.
sed duos quandoque aut tres *Cæsares* fuisse, ut successio, si uni horum humani quid acciderit, eo certior firmiorque redderetur. Ne vero quis existimet, filios *Augustorum* nihilo tamen secius *Cæsares* dici posse, quia ante *Neronis* tempora hoc jus filiis competiisset, monstrat Autor §. 4. nomen *Cæ-* 27.
saris a decreto Imperatoris unice, non a conditione nascendi, pependisse. Nam, exstare numum, haud inconsulte monet, *Galerii*, *Antonini Pii*, & *Faustinæ* filii, cum epigraphe: *Γαλέριος Αντονῖνος Αυτοκράτορος Αντονίνȣ ὑιός*, de *Lucio Vero* quoque omnes tacere numos, qui si privatam ante vitam non egisset, quam a *Marco* fratre suo adoptaretur, Senatus hanc *Cæsaris* dignitatem non tacuisset, sed in numos Imperatoris aliquando evasuri imaginem fudisset. Ceterum, qui *Cæsares* non 33.
erant ex Augustorum filiis, *Nobilissimi* dicti fuerunt, quorum honorem sollicite Autor exponit, atque, amplissimum illud nomen degenerasse in *Despotarum*, *Sebastophororum*, *Protosebastorum*, & *Sebastorum*, appellationem, bene firmat & docet. Post- 39.
modum, quia titulo *Nobilissimi* Princeps juventutis junctus fuerit, illaque ornamenti accessio ex monumento, præsertim Ancyrano, patescat, hoc etiam argumentum Autor pro sua, qua pollet, diligentia explanat, & numum aliquem Gothicum, in libro *Erizzi* exstantem, qui *Caji* & *Lucii*, *nepotum Augusti*, me- 40.

minit, sub judicium vocat. Tandem in hoc *Capite* indagare studet, num Imperatores & Cæsares necesse habuerint *Patriciis* adscribi, quod negat, quia labente re publica non vetus dignitas coruscaverit, &, si vel maxime plebejus fuerit, Cæsarem tamen ad eminens illud fastigium adspirasse, constaret. Amplius tamen hac in re videndum erit, ne præpropere nimis fidem *Dionis*, quæ omni tempore maxima fuit, elevemus, nec ibi corrupta esse loca clamitemus, ubi sententiæ nostræ non velificantur prisci.
Pag. 83. *Capite tertio Insignia & privilegia dignitatis Cæsaris* oratione eleganti delineat, quæ inter refert *purpuram, paludamentum, diadema*, quo quidem solius Imperatoris caput cinctum fuit, sed hanc tempora ambientem fasciam ne Cæsaribus quidem abjudicat Autor, provocans quippe ad duos numos,
62. in honorem *Crispi, Constantini M.* filii, cusos, alterum ex auro, alterum ex argento, in quibus caput *Crispi Cæsaris* vittatum aut diadematum conspicitur. Insignibus porro annumerandi sunt calcei rubri & gemmati, ignis sacer, *Cæsaribus* prælatus, de quo jam *Eschenbachius* haud proletaria in medium attulit. Fastigii vero augustalis, & Cæsarei, differentiam in eo constituit Doctiss. Autor, quod quidem *Cæsares* mandatis nomen suum
71. cum Augustis præscripserint, sed Augustis tamen subjecti, quin horum dicto non audientes exilio, ipsaque dignitatis jactura, mulctati fuerint. Ex *Spartiano* enim, *Aurelio Victore, Herodiano, Zosimo*, Cl. Autor loca adducit, unde patet, *Augustos* de *Cæsaribus*, facinoris alicujus reis, supplicia sumsisse, si non publica, saltem privata. Immunitatibus tamen suis, tantum abest, ut *Cæsares* caruerint, ut, si criminis aliquis Romanorum reus esset, *Cæsares* ab eo supplicium sumerent. Hinc Cl. Autor
72. de privilegiis *Cæsaris*, & de majestate *Cæsarum* personali, disse-
76. rit. Huc spectabat jus imaginem suum in moneta exprimendi, *Cæsaribus* competens, eo tamen discrimine, ut, si *Cæsares* cum *Augustis* in numis apparerent, illorum sine laurea vultus, horum vero imagines lauro redimitæ, eminerent. Statuæ quoque & imagines simul cum *Augustorum* simulacris colloca-
85. bantur, quod §. 10 ex *Lactantio* & *Zosimo* ostendit, nec tacet §. 11 honorem adorandi, *Augustis* & *Cæsaribus* communem,

nem, cujus loco ante *Diocletiani* tempora *Augustum* salutabant osculo in os aut manus dato, verbis additis: AVE IMPERATOR. §. 12 in id inquirit, num *Cæsarum* uxores *Augustarum* nomen sibi vindicaverint, & *Augustorum* quæ in nuptiis *Cæsarum* autoritas fuerit. Titulum illum non connubii lege, sed gratia Imperatoris, acceperunt, quod ex nuptiis *Neronis* & *Domitiani* patet, quorum uterque uxores suas prius non appellavit *Augustas*, quam cum liberos procreassent. Fusius hac de re egit, enumerationemque *Augustarum* omnium addidit, Ill. *Rudolphus a Bünau* in libello, quem *de Ornamentis & honoribus Augustarum* inscripsit. Vota insuper pro salute *Cæsarum* suscepta, natalitios dies festos, annis quinquennalibus & decennalibus celebratos, ministeria aulica *Cæsarum*, prorsus æquasse *Augustorum* apparatum magnificum, nemo inficiabitur, qui exempla priscorum intuetur, inter quæ *Valentiniani* illud affert Autor, qui, postquam fratrem ad societatem Augustæ dignitatis vocasset, omnia, ὅποσα εἰς κόσμον καὶ τὴν ἄλλην ἔτελει θεραπείαν, hoc est, quæ ad imperii ornamenta & cultum & reliquum satellitium pertinent, cum eo divisit. *Capite quarto, potestatem Cæsaris in regimine imperii* declaraturus, hanc esse duplicem docet, vel quam exercuit in urbe *Cæsar* sub nomine Consulis, Pontificis, aut virtute tribunitiæ potestatis, vel quam tenuit nomine proconsulari & imperatorio in provinciis. De potestate extra urbem sermonis initium capit, & imperium proconsulare non raro ante & post *Trajanum* designatis successoribus imperii delatum explicat, illudque in eo quærit, quod non militem solum scribere, sed jus etiam dicere, debuerit, interim ultra provinciarum reliquos Præsides non valuerit. Pergit deinde ad *Cæsarum* apud milites autoritatem, quæ restrictior paulo erat, quia fraudi potuisset fieri ipsis *Augustis*, si destinatus hæres pluribus mactaretur honoribus, quam vivens *Augustus*. Ita ipsis non licebat tribunal conscendere, nec inscio *Augusto* militibus donare quidpiam, aut stipendium solvere, permissum erat. §. 3 & sequentibus Cl. Autor *Cæsaris dignitates urbanas* describit, quæ, si consularem, prætoriam, quæstoriam, tribunitiam, potestatem spectaveris, omnes, excepta morum præfectura, & pontificatu, concessæ Cæsaribus fuerunt.

Pag. 89. 91. 113. 122. 127. 128.

Pag. 146. runt. Cenſorium munus nulli Cæſarum eapropter delatum fuiſſe, ſubodoratur Cl. Autor, quod *Cæſares*, maximam partem in flore juventutis conſtituti, nondum ſenili cuidam ſeveritati
152. aſſueti erant. Ad Pontificatum eos perveniſſe, prorſus cum *Joh. Andrea Boſio* negat, licet, cooptatos fuiſſe in omnia Sacerdotum collegia largiatur, ut ad officium Pontificis M. decore gerendum idonei redderentur. Opuſculum, non ineruditum, ſed variis antiquæ Hiſtoriæ obſervationibus ornatum, Cl. Autor comparatione Regis hodierni Romani cum veterum Cæſare finit, nobisque docto hoc libello ſpem facit haud levem, fore, ut ſucceſſu temporis ex penu ſuo, ſatis, ut videtur, opibus abundante, non viliores iſtis, quas nunc prodidit, doctrinas, in eruditi orbis commodum expromat.

LUDOVICI HOLBERGII OPUSCULA quædam Latina; Epiſtola prima, cujus nova hæc editio prioribus eſt emendatior; Epiſtola altera; quinque Libri Epigrammatum.

Lipſiæ, ſumtibus Hier. Chriſt. Paulli, Viduæ, 1737, 8.
Alph. 1 plag. $5\frac{1}{2}$.

Habet utraque Epiſtola, habent Epigrammata, perpetuam feſtivitatem, ut appareat, Poetæ jucundam eſſe ineptiarum argutulam compunctionem, & viro juvenilis doloris recordationem. Namque in polito genere ſcripturæ miles, pædagogus, peregrinator, ſatyricus, & comicus, agitatur motibus ingenii, ad excogitandum acutis, ad explicandum ornandumque uberibus, ad memoriam firmis atque diuturnis. Quibus rebus fit, ut lectionem hilaritas ſæpe conſequatur. Nobis autem liceat, ea ſtrictim attingere, quæ Scriptor affluens omni lepore commemoravit. Per Epiſtolam priorem, ut autoritati Viri cujusdam illuſtris morem gereret, de ſua ipſe vita expoſuit. Lau-
3. dat abavum maternum, *Ludov. Munthe*, Epiſcopum olim Bergenſem; patrem, qui a milite gregario tandem ad tribunitiam dignitatem evectus eſt, ſub auſpiciis *Udalrici Frid. Güldenlöve*;
5. patriam Bergam Norvagiæ. A nutrice lactatus, combuſto fere patrimonio, orbus puer decennis, inter ſtipendiarios legio-

nis

nis Uplandicæ tirones receptus, & manipulo decem militum præfectus eſt. Sed cognatus *Otto Munthe* liberorum ſuorum Orbilio tradidit, ac ne aſſem quidem militaris ſtipendii conceſſit. Divertit igitur ad neceſſarium quendam *Krogium*, a cujus filio tertio per ſomnii errorem vapulat. Putans, ſpectro ſe peti, rem illuceſcente die cognoſcit, & negare ſpectrorum exiſtentiam incipit, quam ἀπιςίαν multo vix tempore poſt emendavit. Redux, in domo legitimi tutoris & avunculi, *Petri Lemmii*, ſatyrici, commoratur uſque ad incendium Bergenſe A. 1702. Quo anno ſe confert in Hafnienſem Academiam, unde mox recurrit ad inſtituendos Præpoſiti Voſſenſis liberos. Mane ruſticos docet. Noctu ab incubo deluditur. Pertæſus cholericus παιδαγωγίας, Hafniæ Gallicam & Italicam linguam diſcit, *Nicolai Schmidii* exemplo peregre abiturus. Sexaginta imperialibus inſtructus, quatuordecim dies Amſtelodami jucunde traduxit. Febrim pulſurus, Aquisgranum petit. Levaturus egeſtatem, initio Chriſtianſandiæ, tum Oxonii, Gallicas literas tradit civibus Academicis, quorum reverentia major remuneratione fuit. Cum *Andr. Vindingio*, Conſiliarii ſtatus filio, Dreſdam abit, Lipſiæ *M. Stieffelium* ridet, Halæ cum *Thomaſio* breviter colloquitur. Interjecto deinde tempore defertur in Inſulam Sproam, ruſticiſſimam, eamque plerisque Geographis neglectam. *Friderici Gedde*, Conſiliarii intimi, præficitur tribus filiis. Altero poſt anno Collegii Medicei alumnus, *Introductionem ad Hiſtoriam Europæam, ſecundum methodum Puffendorfii, Appendicem ad Hiſtoriam univerſalem*, & *Codicem, res geſtas Chriſtiani IV & Friderici III complexum*, edidit, dedicavitque Regi, cujus beneficio fit Profeſſor extraordinarius, etſi ſcholaſticorum deas tutelares, Logicam & Metaphyſicam, ignorat. Tum *Juari Roſencranzii* ſtipendium centum imperialium ad quatuor annos impetrat, Evangelicas Academias viſendi gratia. Abit Pariſios, ubi, Gallica pronuntiatione diſplicens, actiones juris miratur, Abbatem *de Bignon*, popularem *Vinſſovium*, alios, convenit, expertus, a Pariſienſibus rudes putari, qui ſibi ab affluente elegantia temperant. Seſquiannum ibi moratus, Maſſilienſium opulentiam, Genuenſium dolos, notat, pervenitque Romam, ubi procumbit in genua, dum videt *Clementem XI.*

Margin: Pag. 7. (line 3); 11. (line 7); 15. (line 13); 38. (line 18); 40. (line 19); 43 seq. (line 23); 47. (line 25); 49. (line 28); 77. (line 35)

Pag. 110. Molestiam quartanæ febris, omnia membra Florentiæ & in Gallia pervagatam, in Batavia musices ope sedat. Redditus Hafniæ,
118 seq. *Introductionem Juris Naturæ & Gentium, secundum placita Grotii & Puffendorfii*, Danice scribit, quæ paucos habet emtores. Post biennium ornatur titulo Professoris Metaphysices; deinde Assessoris Consistorii. Compendium Historiæ
124. universalis plagii accusanti objicit Dissertatiunculam quintam de Historicis Danicis *Pauli Ryteri*, & *Olai Petri Norvagi* Dissertationem juridicam, *de Nuptiis propinquorum in linea recta Jure Naturæ prohibitis*. Trigesimum annum attigerat, nec-
127. dum condiderat ullum carmen. Orditur imitari *Juvenalis Satyram sextam;* postea facit varium poema heroico-comicum, in IV Libros descriptum ex historia *Petri Paarsii*, cujus fa-
130. ma per Sueviam Germaniamque percrebuit; inde quinque Saty-
132. ras confecit. Cum essent invitandi Candidati Baccalaureatus & Magisterii, suppressum est Programma ejus, negantibus plerisque, ad laudem Metaphysices & dignitatis Academicæ esse sa-
134. tis idoneum. Maluit igitur XV Comœdiis ab aliis intacta vitia
148. perfricare. A. 1725, regio Diplomate munitus, suscipit iter ad thermas Aquisgranenses; sed, ex Batavorum consilio, cursum
184. dirigit Lutetiam, in qua urbe *Harduinum* & *Fontenellium* propius novit, de sacris Pontificiorum Gallorumque Comœdiis libere dissensit. Sub idem tempus rumor est, *Breneyssenii*
192. *Historiam* turbarum in Frisia orientali facem exstitisse. Defunctus hac peregrinatione quinta, absolvit *Metamorphosin*, id est, societatem animalium, arborum, & plantarum, mutatarum
196. in formas humanas, ut, inter alia, pica in tonsoris, hircus in phi-
200-208. losophi, naturam abiisse videretur. Denique se ipse lectoribus plane indicat temperantiæ in victu studiosum, pronum in iram, regere valetudinem sine consilio Medicorum, solatium in solitudine quærere, garrulos nauseare, Philosophos in debellanda superstitione imitari, in impugnanda fide maxime detestari.

Serior est octo annis *altera Epistola*, quæ biduanum Hafniæ
218. incendium describit, & hos fere libros: *Descriptionem regno-*
223. *rum Daniæ & Norvagiæ*, editam A. 1729, 4; *Historiam gentis Danicæ, a regni primordio, ad ætatem Christiani II*, ed. 1732, 4;
alte-

alterum Tomum de rebus gestis Christiani IV, ed. 1733; *tertium Tomum de Historia Friderici III*, ed. 1735; *Præcepta historica & geographica*, quæ in scholis utriusque regni leguntur; *novam editionem XXV Comædiarum*, & *Systema Juris Naturæ & Gentium*, excusum felicius A. 1734. Pag. 228. 225.

Epigrammata, ipse judicat, quædam esse philosophica, quædam nugatoria, *nulla obscæna*; fatetur tamen, occurrere, quæ reprehensionem mereantur. 205.

Adjicitur *Holgeri*, Dani, Epistola ad *Burmannum*, quod ille, cum ad *Capperonerium* scriberet, hæc fecerat verba: Jo. Rhodius, *licet gente Danus, Vir tamen vere doctus, & ab omni fastu pædagogico alienus*. Veremur, ut doctorum defensio Danorum Batavo censori placeat. Sed meminerit idem bellissimæ excusationis, qua princeps latinitatis usus est: *Epistola non erubescit.*

NOVA LITERARIA.

Præstantissimus ille *Genealogiæ Diplomaticæ Augustæ gentis Habsburgicæ*, cujus *Volumen* jam superiori *Anno Mens. Januar. pag. 1 seq.* laudavimus, *alterum* & *tertium* proxime commerorabimus, Autor, *Marquardus Hergott*, a quo nihil in posterum vulgare, sed magna & limatissima omnia, orbis eruditus exspectabit, novo, eoque magnum ipsius famæ pondus addituro, Opere proxime rem literariam ditabit. Dabit enim compositissimam *Ordinis S. Benedicti*, cujus ipse insigne est ornamentum, *literariam Historiam*, ab ultima Ordinis origine ad hæc usque tempora continuo filo deductam, &, quicquid unquam a Viris doctis, illa sacra professis, in commodum literarum singulare ac egregium susceptum est perfectumque, copiosa ac eleganti narratione complexuram. Ad cujus commendationem satis dixisse nos videbimur, cum summa ejus capita, ut eorum notitiam ipse nobis illustris Autor in publico Programmate suppeditavit, legenda hic dederimus. Universam *Benedictinæ* familiæ historiam *Partibus duabus* absolvet. *Prima*, quæ est *præliminaris*, vel *generalis*, *Capitibus sex* prolegomena & præcognita tradet. Et *Capite* quidem *primo* commemorabitur rei literariæ studium in Ordine *Benedictino*, ejusque origines, progressus, decrementa, instaurationes, &

præsens status, per XIII Seculorum decursum; *secundo* præcipua Ordinis hujus per Italiam, Angliam, Galliam, Germaniam, Hispaniam, &c. monasteria, studiorum gloria superiori, vel nostra, ætate nobilitata; *tertio* Viri illustres, qui e scholis & magisterio *Benedictinorum* prodierunt; *quarto* Mæcenates rei literariæ *Benedictinæ*, cum exteri, tum domestici; *quinto* Bibliothecæ, & Archiva, eorumque Custodes; *sexto Benedictinorum* cum veteris, tum præsertim recentioris, ævi itinera literaria. *Alteram Partem*, *specialem*, sive *principalem*, *Libri tres* absolvent. *Primus* complectetur Historiam literariam Ordinis stricte sic dictam, adeoque *Historiam Artium & Scientiarum*, inde ab ævo *S. Benedicti* ad nostra usque tempora, per Seculorum seriem, apud *Benedictinos*. Hujus *sex* sunt *Capita*; quorum *I* speciatim pertractatur historia Theologiæ, cum Positivæ, tum Scholasticæ Polemicæ, & Moralis; *II* historia Jurisprudentiæ Canonico-Civilis; *III* historia Medicinæ, Philosophiæ, & Mathematices; *IV* historia studii historici, Historiæ tum sacræ, tum profanæ, nec non Monastico-Benedictinæ; *V* historia studii Critici, Antiquarii, & Diplomatici, apud *Benedictinos*; *VI* historia politioris literaturæ, & Philologiæ. *Partis specialis Liber secundus* Bibliographicus, sive de notitia Autorum, inscribetur, ubi vitæ ac scripta Virorum illustrium & clarissimorum Ordinis S. *Benedicti*, inde ab ejus origine ad nostram ætatem, *sex Capitibus* proferentur. Horum *I* dabitur fundatoris, *S. Benedicti*, vita, cum ejusdem sacra Regula, inque eam Commentariis; *II* S. S. Patrum Ordinis S. *Benedicti* corona per Secula, eorumque vitæ ac scripta, præsertim vero, speciminis ergo, *Venerabilis Bedæ*, *B. Rabani Mauri*, *B. Lanfranci*, *S. Anselmi*; *III* vitæ Virorum doctrina illustrium medii ævi, inde a Seculo XII, *Wibaldi*, Abbatis Stabulensis & Corbejensis, *Petri Diaconi*, Cassinensis, *Odonis*, Cameracensis Episcopi, & Abbatis S. *Martini*, *Herveridis*, Burdigalensis, *Sugerii*, S. Dionysii Abbatis, *Bernardi*, Cassinensis Abbatis, *Engelberti*, Abbatis Admontensis, *Adami Estoni*, S. R. E. Cardinalis, *Joannis Raulini*, *Joannis Trithemii*, Abbatis Spanhemensis, *Joannis de Marre*, Condomiensis Episcopi, *Gilberti Genebrardi*, *Joannis Burchardi*,

chardi, Abbatis in Schwartzbach, Banz, & S. Stephani in Wirtzburg, *Oderisii*, Cassinensis Abbatis, *Joannis Feckenani*, Abbatis ultimi Monasteriensis in Anglia, *Henrici*, Abbatis Wiblingensis in Suevia, *Placidi Vigellii*, Abbatis Majoris Augiæ Brigantinæ; *IV* vitæ Virorum illustrium recentioris ævi, *Benedicti Hæfteni*, Præpositi Affligeniensis, *Constantini Cajetani*, *Clementis Reynerii*, *Angeli de Nuce*, *Joachimi*, Abbatis Fischingensis in Helvetia, *Caroli Bulteau*, *Francisci Delfau*, *Ignatii Clavenan*, *Odorisii Mariæ a Chio*, *Benedicti Bachinii*, *Caroli Petey de l'Hostallerie*, *Gabrielis Bucelini*, *Pauli Rabusson*, *Magni*, Prioris Cluniacensis, *Matthæi Petitdidier*, *Ludovici Babenstuber*, *Francisci Schmier*, *Thomæ Aquinatis Erhard*, *Bernardi Pezii*; *V* Synopsis historica belli literarii de Autore aurei illius de imitatione Christi Libelli; *VI* vitæ Autorum fœminei sexus Ordinis *Benedictini*, doctrina, eruditione, ac scriptis, illustrium, *Roswithæ*, Monialis Gandershemensis, *Sophiæ*, Abbatissæ Gandershemensis, *Berthradæ*, Vilecensis Sanctimonialis, B. *Elisabethæ*, Schonaugiæ Abbatissæ, *Diemudis*, Sanctimonialis Wessofontanæ, *Heloissæ*, Oratorii Paracliti Abbatissæ, S. *Hildegardis*, Abbatissæ, *Rilindis* & *Herrardis*, Abbatissarum Hochenburgensium, SS. *Gertrudis* & *Mechtildis*, *Helenæ Lucretiæ Corneliæ Piscopiæ*, *Mariæ de Blemur*, *Magdalenæ Gabrielis*, *de Rochebouard*, &c. *Partis II Liber tertius Bibliographicus*, sive Bibliotheca Benedictina Historico-Critica realis, dicetur, de notitia Librorum traditurus. *Caput I Bibliothecam Benedictinam theologicam* continebit. Hujus *Sectio I* recensebit libros ad Theologiam positivam spectantes; & quidem *§ 1* Biblia Sacra *Benedictinæ* editionis; *§. 2* Interpretes totius Sacræ Scripturæ; *§. 3* Interpretes Bibliorum ex parte; *§. 4* Autores, qui libros ad studium & lectionem S. Scripturæ pertinentes conscripserunt. *Sectio II* Patres & Scriptores Ecclesiasticos Ordinis S. *Benedicti* sistet; *§. 1* Sanctos Patres *Benedictinos*, qui de rebus divinis ante natam Scholam, maxime de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, scripserunt; *§. 2* Editiones & Collectiones Sanctorum Patrum, veterumque Autorum; *§. 3* Sanctos Patres Græcos & Latinos, opera & studio *Benedictinorum*, præsertim eorum, qui sunt ex Congregatione S. Mauri; *§. 4* Collectiones varias, seu Biblio-

thecas Patrum, veterumque Scriptorum; *§. 5* Ecclesiasticos Scriptores alios. *Sectio III* exhibebit Theologiæ Scholasticæ Scriptores; *Sectio IV* Theologiæ Polemicæ Scriptores; *Sectio V* Theologiæ Moralis Scriptores; *Sectio VI* Ascetas, seu Theologiæ Mysticæ Scriptores; *Sectio VII*, qui de doctrina Christiana scripserunt, vel Catechismos ediderunt; *Sectio VIII*, qui Homilias, Sermones, ac Conciones, scripserunt; *Sectio IX*, qui de Deo, ac Sanctissima Trinitate, scripserunt; *Sectio X*, qui de Christo, ejusque sanctissima Matre, scripserunt; *Sectio XI*, qui de Angelis, Sanctis, horumque reliquiis ac cultu, scripserunt. *Capitis II*, quod est de Jurisprudentia Ecclesiastica, enarrabit *Sectio I* conditores, collectores, atque editores Juris Canonici; & quidem *§. 1* Summos Pontifices Ordinis *Benedictini*, qui literas, Bullas, ac Constitutiones, ediderunt; *§. 2*, qui præter Summos Pontifices Canones in Conciliis condiderunt; *§. 3*, qui Collectiones Canonum, seu Corpora Juris Canonici & Ecclesiastici, publicarunt; *§. 4*, libros, qui *Pœnitentiales* vocantur, quinam conscripserint; *§. 5* Scriptores, Editores, atque Collectores Conciliorum, nec non Literarum atque Bullarum Summorum Pontificum. *Sectio II* dabit elucidatores Juris Canonici; *§. 1* Autores, qui in Jus Canonicum commentati fuerunt; *§. 2*, qui Tractatus, Quæstiones, Consilia, &c. de variis Juris Ecclesiastici argumentis scripserunt; *§. 3*, qui de Jure controverso inter Sacerdotium & Imperium scripserunt; *§. 4* alios Scriptores, qui Sedis Apostolicæ autoritatem defendendam susceperunt. *Sectio III* Scriptores appendicum Juris Ecclesiastici proferet; *§. 1* Scriptores librorum, quibus in communi tractatur de divinis officiis; *§. 2*, qui Breviaria, & quæ in iis continentur, composuerunt; *§. 3*, qui Ritualia, & quæcunque ad Sacramenta & Sacramentalia pertinent, conscripserunt; *§. 4*, qui de celebratione Missæ, rebusque aliis, ad eam attinentibus, scripserunt. *Capitis III*, Scriptores de Medicina, Philosophia, & Mathematica, complexuri, *Sectio I* dicata est Medicis; *Sectio II* Philosophis: ubi *§. 1* occurrent Scriptores Logicæ, seu Scientiæ cogitationum rectricis; *§. 2* Scriptores Metaphysicæ, seu primæ Philosophiæ; *§. 3* Scriptores Physicæ; *§. 4* Scriptores Ethicæ, seu morum scientiæ; *§. 5*, qui in *Aristotelem*, universamque Philosophiam, commentati

tati

tati fuerunt. *Sectio III* ad Mathematicos spectabit, ubi §. *1* Scriptores de Arithmetica, & arte computistica, sive calculatoria; §. *2* Scriptores de Geometria; §. *3* Scriptores de Astronomia; §. *4* Scriptores de Musica, & instrumentis musicis, cantuque ecclesiastico. *Capitis IV*, Scriptores Historicos daturi, *Sectio I* enumerabit Scriptores Isagogicos, & de Chronologia, & Geographia; §. *1* Chronologos; §. *2* Geographos; §. *3* Scriptores Itinerariorum. *Sectio II* Scriptores Historiæ Universalis continebit; §. *1*, qui Historiam rerum sacrarum simul & profanarum totius terrarum orbis, ab ejus creatione, scripserunt; §. *2*, qui Historiam ejusmodi a Christo nato condiderunt; §. *3*, qui res sui temporis annotarunt. *Sectio III* Scriptores Historiæ Sacræ & Ecclesiasticæ recensebit; §. *1* Scriptores Historiæ Biblicæ; §. *2* Scriptores Historiæ Ecclesiasticæ universalis; §. *3* Scriptores Historiæ Pontificiæ; §. *4* Scriptores Historiæ Episcopatuum; §. *5* Scriptores Historiæ Conciliorum & Synodorum. *Sectio IV* Historiæ Ecclesiasticæ particularis Scriptores tradet; §. *1* Scriptores Historiæ Ecclesiarum Nationalium; §. *2* Scriptores Historiæ Religiosorum Ordinum; §. *3* Scriptores Historiæ sacrarum expeditionum, ad recuperandam Terram Sanctam; §. *4* Scriptores Sectarum, Hæresium, Schismatum, ac Persecutionum Ecclesiæ; §. *5* Scriptores Historiæ Stationum B. Virginis; §. *6* Scriptores Vitarum Virorum illustrium status Ecclesiastici; §. *7* Scriptores Dissertationum, de rebus in Ecclesiastica Historia controversis. *Sectionem V* Scriptores Historiæ Sanctorum implebunt; §. *1* Hagiographi; §. *2* Martyrologi; §. *3* Scriptores Sacrarum, ut vocant, Legendarum; §. *4*, qui de Reliquiis, Canonizatione, ac cultu Sanctorum, scripserunt. *Sectio VI* Scriptores Historiæ profanæ producet; §. *1*, qui Historiam profanam universam a Christo nato scripserunt; §. *2* Scriptores Historiæ Romanæ, ac rerum Italicarum; §. *3* rerum Germanicarum Scriptores; §. *4* Scriptores rerum Francicarum; §. *5* Scriptores rerum Gothicarum, Vandalicarum, & Longobardicarum; §. *6* Scriptores rerum Normanicarum; §. *7* rerum Anglicarum Scriptores; §. *8* rerum Hispanicarum; §. *9* Vitarum virorum & fœminarum illustrium status politici & secularis. *Sectio VII* Scriptores continebit quinarum Historiæ in communi Appendicum; §. *1* Scriptores Genealogicos; §. *2* Scriptores Historiæ Iconologicæ; §. *3* Scriptores rei Diplomaticæ; §. *4* Scriptores rei Numismaticæ; §. *5* Historiæ Literariæ Scriptores *Sectione VIII* dicetur de Historiæ *Benedictinæ* Scriptoribus; §. *1* de Hagiographis, seu Scriptoribus vitæ Sanctorum Ordinis S. B.; §. *2* de Martyrologis Monastico-Benedictinis; §. *3* de Scriptoribus de Viris Illustribus O. S. B.; §. *4* de Scriptoribus Historiæ Generalis *Benedictinæ*; §. *5* de Scriptoribus de variis Sacri Ordinis Congregationibus; §. *6* de Chronographis Monasteriorum; §. *7* de Scriptoribus de Disciplina monastica, ejusque historia; §. *8* de Scriptoribus de Sacri Ordinis Constitutionibus, Ritibus, & Cerimoniis; §. *9* de Scriptoribus de Privilegiis Sacri Ordinis; §. *10* de Scriptoribus,

qui

qui unam alteramve partem Historiæ Literariæ attigerunt; §. 11 de Scriptoribus Criticis de rebus in Historia *Benedictina* controversis; §. 12 de Apologistis Sacri Ordinis, ejusque jurium ac prærogativarum. *Capitis V*, Scriptores elegantioris Literaturæ complexuri, *Sectione I* proferentur Grammatici; *Sectione II* Rhetores, sive Oratores; *Sectione III* Poetæ; *Sectione IV* Comici; *Sectione V*, qui Rhetorices, Poeseos, atque Historiæ, partes scripserunt; *Sectione VI* Critici. Ultimum est *Caput VI* de Scriptoribus & Autoribus miscellaneis, cujus *Sectio I* Apologistas; *Sectio II* Epistolographos; *Sectio III* Interpretes, ac Versiones Librorum; *Sectio IV* Antiqnarios; *Sectio V* variorum Autorum Collectiones miscellaneas & Opera junctim edita; *Sectio VI* Scriptores ineditos, expromet. Atque hæc Prodromi rei Literariæ sunt capita, hic Historiæ Literariæ *Benedictinæ* conspectus; quem, licet maximam partem jam sit elaboratum Opus, nihilo tamen minus, antequam illud in lucem publicam prodiret, delibandum ac gustandum quasi Publico propinare visum est ut de Lectorum vel emtorum gustu periculum fieret. Cumque passim hac nostra ætate, qui libros suis sumtibus excudendos suscipiunt, priusquam prelo eos subjiciant, subscriptiones, quas vocant, exspectare soleant; hoc beneficio S. Rev. Autor quoque uti constituit, ita tamen, ut nummos non desideret, sed emtores, eorumque nomina, qui alacritate sua ipsius augere ardorem, animumque & stimulos addere currenti, velint. Non vero tantum S Ordinis hominibus, quibus Historia Literaria carere sui Ordinis in Monasteriis ac Bibliothecis suis longe turpissimum foret, sed aliis quoque Mæcenatibus & rei literariæ (cujus *Benedictina* familia jam multis abhinc Seculis non minima sane pars fuit,) amatoribus quibuscunque, hujus instituti leges offert, & indicat, sub quibus & sibi prospicere, & honestissimam ipsius voluntatem juvare, ipsique Operi omnium optime consulere, possunt, ut quam cultissimæ in lucem istæ prodeant vigiliæ. 1) igitur sic instituta sunt omnia & comparata, ut intra anni spatium exire possit Opus, cujus supra conspectum posuimus, forma folii majoris, non minus X vel XII Alphabeta, quæ vocant, complexum, & chartarum genere nitido, ea etiam accuratione, quæ potest esse maxima, excusum. 2) Nummi a subscribentibus non, nisi cum integrum Opus prelo liberatum ipsis exhibetur traditurque, solvuntur, nec prius desiderantur. 3) Quicunque subscribentium intra semestre spatium a Calendis Januarii hujus anni sua dabunt nomina, hi, solutis quatuor florenis, totum Opus accipient; sed, qui hanc opportunitatem dimiserit, is absolutum Opus non nisi septem florenis comparare sibi poterit. 4) Nomina vero subscribentium optimis quibusque urbium Germaniæ, & extra illam, Bibliopolis exhibenda sunt, ipsique Operi, si placet, ordine Alphabetico deinceps præmittenda curabuntur. Sed symbolas colligendi, librumque distribuendi, curam *Joannes Adamus Schmidius*, Bibliopola Norimbergensis, in se recepit.

(o)

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anno MDCCXXXIX.

Herrn Heinrichs von Bünau genaue und umständliche Teutsche Käyser- und Reichs-Historie, &c.

h. e.

ILLUSTRISSIMI DOMINI HENRICI DE BÜNAU accurata & copiosa Germaniæ cum Imperatorum, tum Imperii, Historia, e probatissimis Autoribus & monumentis congesta.

Pars III.

Lipsiæ, sumtibus Casparis Fritschii, 1739, 4 maj. Alph. 5 plag. 3.

Ita tandem in fatis fuit, ut dulcis patria nostra Viros graves, & rerum publicarum usu felicissime subactos, quemadmodum Roma olim, ingeniorum artiumque honestarum procreatrix, & quasi parens, videret, qui gentis Theodiscæ origines, antiquos ritus, reipublicæ formam, Principum artes regnandi, vicissitudines imperii ineluctabiles, pacis bellique studia & caussas, assiduitate, nullis officiorum molestiis vinci nescia, scrutarentur, & doctrinarum suarum uberrima fœcunditate illustrarent. Quod enim *Tullius*, facundissimum os, sæpenumero queritur, suos homines antiquiori ætate nescivisse, quæ fuerint historiæ leges, ac proinde annalium confectione macilenta contentos, *sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum, memo-*

riæ prodidisse; id genti nostræ vere antea venisse usu, tantum abest, ut dissimulemus, ut nobiscum omnes, quicunque lætis ingeniorum proventibus delectantur, exultent merito, talem nobis maculam abstergi, famæ nominis Germanici haud dubie obfuturam, nisi antiquioris elegantiæ & mansuetiorum Musarum cultissimi vindices jam tantum inter reliquos extulerint caput,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Non una vero fundi nostri antea calamitas fuit. Pars enim solam dicendi laudem esse crediderunt brevitatem; pars, forensibus & publicis rebus cum abstinerent, non eam assecuti sunt peritiam de consiliis Principum & eventu rerum judicandi, ut posteritati constare possit, quid scriptor probet, aut quænam sint acta vel casus, vel sapientiæ, vel temeritatis; multi fuere narratores magis, quam exornatores, neque innutriti prudentia, quæ versatur in perspiciendis rationibus constituendarum regendarumque rerum publicarum, & sine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda est, ad scribendum appulerunt animos. At, quod felix & fortunatum sit tanti Operis conditori, longe aliam a duobus inde, & quod excurrit, lustris ingressus viam est Illustrissimus atque Excellentissimus *Henricus a Bünau*, Augustissimi Sarmatarum Regis a Consiliis sanctioribus, literarumque in his agris Mæcenas fulgentissimus, cujus nominis eximium decus si commendare nos demum scriptiuncula qualicunque publice orbi erudito vellemus, quid esset aliud, nisi jejuna & exili laudationum copia stabilem ingentis *Bünavii* famam paululum obscurare, quam nec tempore, rerum alias omnium edaci, nec oblivione, deletum iri, fatidico auguramur spiritu? Reapse enim Illustriss. Autor non tantum in prioribus *Historiæ Teutonicæ* Partibus, a nobis luculenter descriptis *A. 1729. Mens. Jan. pag.* [illegible] *seq.* & *A. 1733 Mens. Aug. pag. 337 seq.* verum in hac etiam, quam, applaudentibus bonis omnibus, foras nuper prodire jussit, Sectione comprobavit, scriptorem novum aut in rebus certius aliquid afferre, aut rudem vetustatem vincere scribendi arte, debere. Historiam quippe varietate sententiarum, velut insignibus quibusdam & gemmis, perpolivit, tamque

tamque verbis aptus & præſtans videtur, ut neſcias, utrum res oratione, an verba abundanti doctrina, ſapienterque dictis, illuſtrentur. Enimvero *Ludovici Pii*, Imperatoris, tempora compoſituro materies digna & facultate & copia Illuſtriſſ. Autoris ſubnaſcebatur, tum quia labente diſciplina corrupti erant mores Francorum, tum quod vita iſtius Principis varios actus, multasque & conſiliorum & eventuum ſpecies, habebat. Ad illa ergo, quæ ex incorruptis rerum geſtarum monumentis Germaniæ noſtræ *Polybius* alter tota mente ſubtiliter copioſeque repetiit, pro ſe quisque acriter nobis intendat animum, quæ forma reipublicæ ſub *Ludovici Pii*, & filiorum ejus, auſpiciis, qui mores, fuerint, per quos viros, quibusve artibus, ſimultates hinc obſcuræ, illinc apertæ, factionesque Principum, creverint: deinde ut magis magisque collapſa Imperatoris autoritas ſit, donec ad hæc tempora, quibus debilitari Francorum vires diſtributione regionum cœperint, perventum eſt. Cum vero in his rebus non famæ ſolum ſtandum videatur, ſed omnes evolvi ſedulo debeant libri; rectiſſime profecto & ordine fecit Illuſtriſſ. Autor, quod, perquiſitis vetuſtioribus monumentis, chartis, &, quotquot inveniri poterant, ſignis, expoſitionem factorum eleganter corroboraverit. Sitim igitur reſtinguant, &, quibus volupe eſt, cognitionis librariæ uſum in hiſtoria deguſtare, ſatient ſe opiparis & lautis, quas hic expoſitas vident, Scriptorum epulis. Neminem enim, quod ſcimus, prætermiſit Autorem, teſtimonio ſuo lucem, aut confirmationem rebus, allaturum, quem non ad ſui oram libri ſumma fide excitatum, & in Operis principio ita digeſtum, recordemur, ut, quo in loco Collectionum vel *Baluzii*, *Cheſnii*, *Freheri*, *Muratorii*, *Leibnitii*, *Sirmondi*, *Ughellii*, *Harduini*, *Banduri*, *Eccardi*, *Meibomii*, *Menckenii*, *Goldaſti*, *Lindenbrogii*, vel ceterorum plurium, ſcripta aſſerventur, plenioris hiſtoriæ cultori conſtare merito debeat. Satis diu in atrio ſplendidioris domus, & *Phidiaca* manu inſigniter exſtructæ, hæſimus. Per partes jam ire lubet, & ordinem rerum ædificiique ſtructuram mirabilem oculis luſtremus, quam aliis, qui deſcriptionem legere non gravantur, ut nobis coram intuentibus, delectamento fore ſperamus. Exhibet

bet autem portio hæc, quam in manibus habemus, *tres* potissimum *Libros*, si *Epitomen* rerum quovis anno gestarum, post primitia stantem, ubi cognitione dignissima excerpens, breve velut sermonis corpusculum effecerat, demseris. *Liber primus Ludovici Pii* vitam & res gestas continet, in quo nihil adscititium, & assumtum temere, sed omnia fere nova videntur. Unde nemo nobis vitio vertet, si profitebimur, esse hanc Sectionem adeo frugiferam & salutarium doctrinarum plenam, ut in eam, velut speculum, intueri commode possint Principes, indeque sibi, suæque reipublicæ, quod imitentur, aut fœdum inceptu,
Pag. 5. fœdum exitu, quod vitent, capiant. Posteaquam enim multa cultissime disseruisset Illustriss. Autor de summa spe atque exspectatione, quam pater *Carolus*, & cives ejus, de *Ludovico*, non obscuræ virtutis & erectæ mentis decora significante, conceperint, talem futurum, qualem in imperio Aquitanico cognitum judicaverint;
6 seq. studiose dehinc vel in vitia, vel virtutes ejus, inquirit, quod eo incorruptius, vel nobis judicantibus, fecit, quo certius constat, omnis expertem fuisse motus & curæ, quæ scribentis animum etsi non flectere a vero, solicitum tamen, ipso *Livio* teste, efficere, solet. Nimirum *Ludovicus* immodicis largitionibus exhauserat opes ærarii Aquitanici, ut ingenium ejus, voluntati purpuratorum nimis obnoxium, videretur adhuc rectore morum & patris tutela indigere, cujus sane opera nisi ad tempus præsto fuisset, multum ad cœptam jam tunc majestatis contemtionem roboris habuisset. Verum, quam regnandi impotentiam, & civilis prudentiæ, rerumque gerendarum, ignorationem, diu celaverat, ea demum post mortem *Caroli*, ex quo sui potens factus, omnibus innotuit. Licet enim generis eminentiam benigno alloquio, comitate, beneficiisque, quos poterat, conciliando sibi, adjuvabat, nec talibus artibus pro temporum conditione destitutus videretur, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur; non tamen prudens erat amicorum suorum judex, præceptionis illius penitus immemor, quam sub haud pœnitendo magistro discere potuisset, non omnes promiscue regia familiaritate dignos judicari, qui sui tantum commodi gratia, in Regis, velut unici exempli, mores suos forment,

sed

ſed hos demum coli debere, quos ſapientiæ ſuæ fama apud Principem, liberaliter dextreque obeundo officia, in amicitiæ adduxerit jura. Id vero quantæ fuerit imperio calamitati, ſempiterno motuum inteſtinorum & gladii civilis furore cognitum eſt. Interea multi *Ludovico*, vivo adhuc patre, exſtitere autores, ut ad regiam veniret, & per ſpeciem alienæ fungendæ vi- Pag. 8.
cis regnum ſibi firmaret, quod tamen conſilium reſpuiſſe *Ludovicum*, docet Illuſtriſſ. Autor, verentem, ne in ſe hoc pacto cupiditatis ſuſpicio caderet. Propere tamen ab Imperatore accitur, & inſignibus, velut opima hæreditate, onuſtus, redit in Aquitaniam. Nam ex ſententia Illuſtriſſ. Autoris, aliquanto, quam videbatur, ægrius ferens muliercularum aulicarum cohortem, viroſque patriorum conſiliorum participes, confeſtim domum revertitur, cui paulo poſt Comitia indicturo mors patris nun- 10.
tiatur. Simul ac regnare occœpit, *Walæ*, principis in aula viri, inſidias, & lubricam fidem, indelebili odio timet, hinc in carita- 12.
te ejus nihil ſpei reponenti, metu tutandum regnum videbatur. Armatis ergo & ingenti comitum multitudine circumſeptum Aquisgranum, quam celerrime poterat, contendit Imperator. In itinere offendit antiſtitem ſacrorum Aurelianenſem, qui non ſuſpectum modo aut inviſum *Walam Ludovico* reddit, ſed, unde nihil aliud quam perduellionis crimina ſperari poſſint, commonſtrat. Verum aut inimicorum calumnias reveritus *Wala*, quoniam eminentis fortunæ indivulſus comes invidia eſſe ſolet, aut citius juſto adventaturum Imperatorem prævidens, obviam ei, avertendo ab ſe noxæ ſpeciem, proceſſit. Frater vero *Adelhardus*, fidei pariter ambiguæ vir, ſacrificulorum tetricæ ac triſti diſciplinæ nomen dans, in otio vitam tranſigere decrevit. Dein ſummus quisque purpuratorum rei novæ cupiditate adeſt. Dant ordine omnes fidem. Imperator, ſolutus curis, lætatur unanimi ordinum plauſu & congratulatione. Tum caſtigator eſt pudicitiæ violatæ, & dedecoris domeſtici, quod ſorores ejus libidine, perniciosiſſimis animi muliebris ſatellitibus, nomini regio intulerant, ſtrenuus vindex. Porro Illuſtriſſ. Autor bono- 13.
rum teſtamento legatorum diribitionem legitimam, & ſolertem morborum inveſtigationem, quibus rei publicæ corpus af- 14.

Pag. 16 seq. flictum graviter decumbebat, in Imperatore laudat; quod extremum sane præclaro fuisset factum exemplo, si aut votis respondisset fortuna, aut Imperator, callide temporibus inserviens, comitatem severitate temperasset, aut tam mite & temperatum imperii principium satis efficax ad metum injiciendum procaci ministrorum turbæ fuisset. Imperator, ad hæc consultanda, procurandaque, conversus, nemini forte carior erat, quam sacerdotum agmini. Quoniam enim anili pietate & vano reli-
19. gionum timore pectus suum imbuerat, in eam verecundiam compellebatur, ut, dimitti a se indotatum gregem, duceret ne-
20 seq. fas. Interea *Bernardus*, Italiæ Rex, & *Grimoaldus*, dux Beneventanus, alius alia via, hic per oratores, ille præsens jurisjurandi formula prius concepta, in fidem & clientelam Imperatoris se recipit. Pace vero domi & foris sancita, id sibi negotium dari credidit Imperator, ut *Walam* aula eliminaret. Esse gratiæ locum, esse beneficio, apud Principes, constat. At inter aulicos rem surdam videri innocentis viri sanctitatem, nihil laxamenti, nec veniæ, habere leviusculum quendam errorem, si delatorum machinationes accesserint, exemplum *Walæ* abun-
22. de docet, ubi simul haud obscure præ se fert Illustriss. Autor, talem virum multa potuisse in domum regiam conferre beneficia, & trepidis rebus opitulari, si vel discrimen inter amicum & inimicum, vel irasci, & ignoscere, spretis certorum hominum sermonibus, novisset *Ludovicus*. Quamvis enim postea observantiæ pignus violaverit *Wala*, eundem tamen legibus obstrepuisse sub regni auspicia, nulla subest ratio, ut credamus. Hoc arbitro rerum semoto, enarrat Illustriss. Autor, luctuosissimam toti imperio & funestiorem ipsa contagione regio-
23. num divisionem ea lege factam fuisse, ut trifariam partitæ trium jussu Regum æqualiter gubernarentur. Dum hæc in
26. Francia geruntur, gravis seditio Romæ exarsit, injustaque Pontificis M. dominatione res ad gladios & arma devenisset, nisi huic malo remedium afferens Imperator, de audiendis civium querelis, & coercenda Pontificis libidine, Legatos misisset. Nihilo tamen secius irritati Romanorum animi turbas iterum cient, in villas Pontificis excurrentes, populandi magis causa, quam justi

jufti more belli. Inter hos tumultus fibi infeftos Pontifex maximus *Leo III* moritur, eique fuffectus in facerdotio *Stephanus IV*, ad Imperatorem indulgentiam petitum oratores mittit, utque demum confcifcat jubeatque, quod patres fe renuntiandi Pontificem autores fuerint. Pugnat per occafionem Illuftriff. Autor contra nonnullos, qui jus fuffragii Cæfarei in creando Pontifice *Stephani VI* demum temporibus cœpiffe ajunt, fed, confuetudinem illam longe ante illius ætatem fancte fuiffe fervatam, argumentis non ufquequaque obviis contendit. Hoc facto, Pontifex ipfe in Franciam proficifcitur; Imperatorem folenni formula & ritu publice inaugurat, non, ac fi nunc demum, fummam *Ludovico* poteftatem permittendo, populum religione obftringere potuerit, quod *Baronius* cenfet, fed quia in mores & inftituta majorum, facris fub regni principia operantium, ire placuit. Dehinc memoriæ prodit Illuftriff. Autor, (brevitati enim ftudebimus, quando omnia in transcurfu dicere oportet,) in Comitiis lege cautum effe, ne quis facerdos pugione, balteo aureo, calcaribus aut mundioribus jufto veftibus, utatur, quas minutias fane qui novit, mirabitur, Imperatorem, difcrimine alti, & humilis, animi confufo, talibus confiliis triviffe tempus, quod aptius conftituendis regni moribus, & frangendo facrificulorum faftui, impendi poterat. In eandem incidit tempeftatem mors *Stephani*, quem credunt multi annos 7 & menfes 7 facris præfuiffe, at, melius fubductis rationibus, contra *Anaftafium* Illuftriff. Autor afferit, menfibus 7 abfolvi ejus Pontificatum. Elevat præterea fuo jure literarum fidem, quæ Pontifici jus in ditiones Romanas emendicare, Imperatori autem vim decernendi Antiftitem Romanum antiquare, videntur. Nam, quia *Ludovicus* non femel poftea feroces Pontificum animos refrænaverit, fubfcriptio etiam fit ridicula, & temporum iftorum a genio abhorreat, nec prius vifæ fuerint literæ, quam Seculo XI demum ad finem vergente, quemlibet fanum inde commentum & artes Pontificis fubodorari poffe credit. Pari menfium intervallo Imperator ordines cogit: *Lotharium* communi procerum fuffragio Aquisgrani faftigio Cæfaris ornat: quæ inauguratio præfentis quietem ftatus rumpit, uno

Pag. 28.

30.

35.

36 feq.

38.

imo regni Italici invidia etiam in *Bernardo* infida omnia & infeſta facit. Colles propterea & viarum anguſtias, quibus in Italiam itur, *Bernhardus* milite occupat, inquietum animum
Pag. 42. ſtimulante primorum favore. *Ludovicus*, exercitu conſcripto, aperiundam ſibi viam gladio ratus, obviam hoſti fit, qui, deſertus a ſuis, veniam ſceleris ab Imperatore petit. Sed in Comitiis Aquisgranenſibus capitis damnatur. Judicio tamen patrum conſcriptorum abſoluto, oculi excœcantur, quibus cruciatibus enectum periiſſe ducem, plurimi autores ſunt. Quod temporis notas attinet, quo e vivis exceſſerit *Bernardus*, parum id li-
45 ſeq. quet. Alii ex *Bernardi* Epitaphio comprobare ſtudent, mortem anno 818 aſſignari debere, ſed, vetuſtiſſimos Scriptores ut ſequeretur, Illuſtriſſ. Autoris inclinaverat animus. Britanniæ minoris genti haud dubie etiam plus virtutis, quam fidei, inerat; hinc fluctuans diu inter pacis bellique conſilia, ſtatuit, qua fortuna rem daret, ea vires & belli molem vertere. Incertam
48. ſane pugnæ aleam inituri erant Britanni, ſed, infirmitatem Imperatoris aut oſcitantiam ominantes forte, confidentia majore bellum parant, quo propius metum res erat. Neutro inclina-
50. ta victoriæ ſpe, dux Britannorum cadit, quo occiſo, mœſtitia ita defixit militis animos, ut præ metu obliti, quo pacto bellum geſturi eſſent, deficiente conſilio, Imperatori ſe darent. Nec diu in imperio pax manſit. Aliud enim ex alio malum occurrebat, nunc Pannonis, Obotritis, Danis, deficientibus, nunc aliis fortunam belli tentantibus, ut proinde jam ex omni parte cir-
52. cumſtare Imperatorem tumultus, & motuum ſcintillulæ, propediem in flammas erupturæ, ſub cinere doloſo latere, viderentur. Vario Marte ubivis pugnatur. Inprimis *Liutwitus*, princeps turbarum in Pannonia, dimicationi ultimæ inſtructus in-
55. tentusque, in tergo exercitus Imperatoris hæret, &, ut primo ſtatim concurſu increpuere arma, micantesque fulſere gladii, funduntur Cæſaris copiæ. Auſpicatius paululum contra Vaſcones arma fert Imperator, quos ad defectionis crimen inflammaſſe *Beram*, Comitem Barcinonenſem, rumor erat. Dum crimen ſuum purgat reus, certaminis ſingularis fortunam ut experiatur, poſtulant judices. Haud difficulter enim perſuaſum

suasum mortalibus, oblato falso crimine insontem velut Dei quadam providentia interire non posse. Monstrat hic Illustriss. Autor, vetusti juris, sed profani & barbari, consuetudine cum adversario noxium ferro decrevisse, &, postquam nos docuerat, pro sacerdotibus alios alius ordinis homines pugnam iniisse in foro, Pag. 57.
investigat deinde, purone ac pio, an fraudulento, ut fiebat sæpe, duello quærendam esse causæ veritatem censuerint. Quo 58.
lubentius vero aureis Illustriss. Autoris sententiis inhæremus, eo acrius nos, ulterius ut pergamus, brevitatis usitatæ stimulat ratio. Possemus certe universam reipublicæ & bellorum istius ævi faciem e tabulis elegantissimi historiarum *Protogenis* depingere, sed veriti, ne longiuscula scriptio Lectoribus nostris parum præbitura voluptatis sit, ex affluenti hac lautitiarum copia tantum cupedias ostendemus. Posteaquam satis omnia tuta circa, sopitique Pannoni, videbantur, retulit Imperator ad ordines, *vellent agros* 63 seq.
in tres partes præ numero filiorum dividi. Rogationem procerum consensus sequitur. *Lothario*, Regi Italiæ, *Irmengardam* nuptiis jungit *Ludovicus* Imperator, & laudabili exemplo viros, in quibus speciosa criminatio inimicorum obtrectatione fuerat, recipit. Quo facto, tetra simultatum pestis regno in- 67.
cubuit. Simul atque enim dictis eorum factisque omnibus, ad fallendum instructis, vana accresceret fides, fraude ac dolo amicorum Imperator sensim circumventus est, donec seu ira, seu odio, seu superbia, ingeniis insita, malorum publicorum sensus augeretur, & Cæsaris res, auxilio consiliisque orba, in filiorum manus sine dimicatione traderetur. Inter eximia eruditionis omnigenæ pignora equidem id nobis referendum videtur, quod Illustriss. Autor contra *Jo. Ge. Eccardi* suspiciones tueatur, *Lu-* 76.
dovicum Francofurti, non Treburi, A. 822 Comitia habuisse: quod *Harioldum* non Moguntiæ, ut Autor vitæ *Ludovici* 100.
Pii tradit, sed Ingolstadii, sacro adspersum esse fonte opinetur: quod cultissime demonstret, Augustam Francorum, *Juditham*, 113.
e discordiarum imminentium imagine forte pavidam oravisse *Lotharium*, prensasse manus, miscuisse cum precibus minas, versasse in omnes partes muliebrem animum, ut confessionem pacis & formulam fœderis ei extorqueret: porro, quod accu- 175.

rate definiat annum, quo *Pipinus*, *Ludovici* filius, naturæ persolverit debitum; tandem, quod, eversa *Scaligeri* sententia,
Pag. 177. templi Cæsarodunensis cognomen, a S. *Martino* ductum, prius haud innotuisse, quam A. 838, censeat. Claudamus *Libri prioris* rivos, ex quibus sat biberunt rerum patriarum cultores. Qui plura velit, hauriat potius e fontibus, quam rivulos consectetur nostros.

Liber secundus res omnes, a filiis *Ludovici Pii*, & nepotibus ejusdem, ad mortem *Ludovici Germanici* gestas, exponit, ideoque annorum sex & triginta memoriam complectitur. Post tot immanes dissensiones, haud sanatas, nondum conquiescere poterant *Ludovici* Imperatoris filii, sed hac ætate demum, quid venditatio quædam & ostentatio sanctitatis, regnandique intolerabilis cupiditas, efficere possit, videtur experta. Potentiæ Francorum *Carolus M.* viam aperuerat, motibus intestinis & civili discordiæ *Lotharius* aperuit. Non gradu enim, sed præcipiti cursu, a virtute descitum, ad vitia transcursum est. Uti enim contrahere celeriter similitudo solet perfidos, &, ut fere fit,
187. malum malo aptissimum est; ita nullum tempus inquietorum hominum feracius fuit. Initium vero turbandi omnia a *Lo-*
188. *thario* ortum est, qui, instinctus velut dissidiorum furiis, admo-
190 seq. monere clanculum Gallos suæ erga gentem illam voluntatis, & pro ea gratiam repetere, allicere cives tum de se ingentia pollicendo, tum jurisjurandi ab iis formulas exigendo. Inde, ut recuperandæ hæreditatis paternæ tempus visum est, conscius male quærendi fratrum suorum regni, amicitiam *Caroli* occupat, ne etiam in illo materiæ quidquam ad bellum foret. Malum regni principium similis propediem exitus comitatur, quas vero pugnas huc de integro Lectoribus apponere, nostri non
219. est instituti. Ad A. 842 Illustriss. Autor anquirit, fuerintne eo tempore primum ludi equestres, Autoribus nonnullis idem approbantibus, habiti. Cum enim *Carolus* & *Ludovicus* in eo essent, ut junctis exercitibus hostem aggrederentur, præmisere oratores ad *Lotharium*, sciscitatum ab eo, pacem, an bellum, mallet. Interea uterque Princeps Wormatiæ animum ejusmodi ludis reficit. At, discrimine istorum solennium facto, in

qui-

quibus alia duumviros in cancellis congredientes lancibus exhibent, alia globum quendam juvenum toto irruentium campo, telisque se invicem petentium, offerunt, Illustriss. Autor, hæc munera tali ævo convenire, dicit, illa non æque, multis nominibus a prioribus diversa. *Pag.* 227 *Nithardus* notatur, quod, nuptias *Caroli* cum *Irmentruda* die 14 Dec. celebratas fuisse, prodiderit, cum tamen ex charta publica dies 13 Dec. appareat. *Pag.* 232 dissentit Illustriss. Autor a P. *Daniele*, qui, *Lambertum* Comitem, sola adversus *Nomenojum* indignatione sollicitatum, Normanorum auxilia circumspexisse, scripserat, sed Illustriss. *Bünavius*, ut est perquam diligens annosorum voluminum investigator, ex Chronico Namnetensi firmat, utriusque demum odia post bellum Normanicum cœpisse. *Pag.* 236 idem *Sigonio* refragatur, quando ille in scripta retulerat, *Lotharium* filio suo *Ludovico* II regnum Italiæ A. 844 tradidisse, at, Illustriss. Viri sententia, jam A. 843 Diplomatum fide Regis titulo gavisus fuerat. *Pag.* 263, errasse *Baronium*, cognoscimus, qui, solennem *Ludovici* II inaugurationem A. 848 factam fuisse, contenderat, sed in re tali, vetustate non satis explicita, nec a *Mabillonio* recte excussa, conjectando suam ita interponit opinionem, ut putet, *Ludovicum* A. 849 in societatem regni assumtum, anno autem 850 diademate & sceptro insignitum eminuisse. Nec heri demum aut nudius tertius inter Autores disputatum fuit, quonam die *Lotharius* Imperator animam efflaverit. Alii, die 18 Pag. 287.
Sept. A. 855 obiisse eum, produnt, aliis dies vicesimus nonus placet, quos ut conciliet Illustriss. Autor, ita, ingeniose *Pagium* secutus, interpretatur causas discrepantiæ, ut, die 18 Septembris exspirasse Imperatorem, sequenti vero elatum fuisse, credibile videretur. Similem litem, super anno & die movendam, 454.
quo *Ludovicus* II excesserat, facili negotio diremit. Quo te amplius, benevole Lector, in hac Sectione moremur, non suppetit, nisi ut Te moneamus, Illustriss. Autorem nusquam causas belli, (*pag.* 23, 26, 51, 54, 114, 137,) nævos imperantium, (*pag.* 32, 33, 52, 67, 68, 69, 97, 112, 126, 131, 221, 230 *seq.* 310, 324, 380, 443 *seq.*) sententiarum gemmas, (*pag.* 12, 18, 42, 48, 58, 98, 101, 107, 118, 125, 151, 176, 202, 298, 299, 306,) & alias id genus observationes,

 quæ

quæ crudelitati Pontificum & artibus intelligendis, (*pag. 80, 112, 140 seq.*) tenebris literarum cognoscendis, (*pag. 34, 91, 141.*) imperio Cæsaris in Pontificem asserendo, (*pag. 84, 85, 111, 238, 285, 393, 462.*) haud parum conducunt, omisisse.

Libro tertio, reliquis multo præstantiore, familiarum illustrium & regiarum tabulæ illustrantur, ex quibus vel *Regum Langobardicorum*, *Ducum Forojuliensium*, *Spoletanorum*, & *Beneventanorum*, propagines possunt cognosci. Quo enim obscuriores nimia vetustate res Langobardorum videntur, veluti quas magno ex intervallo loci vix cernimus, tum quod & raræ per ea tempora literæ, una custodia fidelis memoriæ rerum gestarum; eo insigniori laurea redimire Illustriss. Autoris caput nos oportet, quod omnes omnium labores felicissime superans,
Pag. 473. confectis ad hunc usum stemmatibus, clariora reliquis certioraque tradiderit. Orditur vero Illustriss. Autor ab *Ibore* & *Ajone*, tantamque in expositione istius historiæ industriam ponit, ut, collectis ex *Warnefrido*, *Sigeberto Gemblacensi*, *Paulo Diacono, Sigonio, Muratorio*, præsidiis, novum velut ordinem, &
484. politissimam rerum descriptionem, nunc demum effingat. Primum non injucunda contra *Hugonem Grotium*, Sueciæ & Gothiæ in terris horum majores quærentem, monet, postea Cl. *Eccardi* suspiciones ad vivum resecat, qui, *Langobardos* Chersonesum Cimbricam incoluisse, ea de causa opinabatur, quod Scandinavia, utpote quibus in agris sedem & domicilium habuisse illos testatur *Paulus*, antiquitus, & inprimis *Ptolemæi* ævo, non ita limitibus arctis circumscripta fuisset, quam *Pauli* temporibus, ideoque oras Germaniæ ad Balticum mare complecti
486. posset. Quo de argumento *Eccardus* non tantum in *Notis* ad *Leibnitii Tractat. de origine Francica*, verum etiam in Dissertatione singulari *de origine Langobardorum*, quæ nondum prelo subjecta in scriniis Illustriss. Autoris latet, plura disputavit. Adhæc, sicubi Autor *Præfationis ad Leges Langobardicas Rotharis*, quam *Horatius Blancus* ex Codice MSto Bibliothecæ Ambrosianæ ediderat, *Paulo Diacono* adversatur, diligentissime
497. notatus a Viro Illustrissimo fuit. Ita erudite observavit, *Risulfum*, filium *Tatonis*, & patrem *Hildechis*, *Unichis*, vel *Ildisgis*,

disgis, neque minus *Hildechin*, *Risulphi* filium, vulgo præteriri, cujus negligentiæ rationem in eo sitam esse opinatur, vel quia Principes fastigio & nomine Regum minus dignos tum æstimaverint, vel quia, *Warnefrido* autore, tale monumentum mendis laboret, aut integrum ad nostram ætatem non pervenerit. Festinans ad *Rotharem*, operæ pretium judicat fore, si, integra Præfatione ad leges Langobardicas descripta, lectionum Pag. 564.
diversitatem e Codicibus Bibliothecæ Ambrosianæ & Estiensis indicaret. Etsi vero summa Scriptorum penuria Ducum Italiæ reliquorum fama in obscuro sit, & ipse tamen illorum memoriæ rerum gestarum consulere pro virili voluit. Hinc uno 651.
velut obtutu Principum *Forojuliensium* a *Gisulfo* ad *Rotgaudum*, Ducum *Spoletanorum* a *Faroaldo* ad *Wingisum* & *Geraldum* A. 679.
822, & *Beneventanorum* a *Zothone* ad *Grimoaldum* IV, illustrissi- 709.
ma stemmata videbis. Opus excellens tandem claudit Diplomatum & literarum, ab A. 814 ad 876 promulgatarum, cum Indice rerum locupletissimo, bene ordinata series, ubi ne latum quidem unguem a pristino more & laudabili instituto recessit. Plura perceptu utilia ob angustos plagularum nostrarum limites percensere non licet. Quis enim est tam aversus a Musis, ut Viri summi, & civiliter eruditissimi, scripta volutare indecorum existimet? Nostra autem oratio a specie assentationis tantum aberit, quantum abest a reliquis animi motibus, si dixerimus, Principes non parum æternitati suæ consulturos esse, si a nemine alio historias suas perscribi, quam ab Illustrissimo *Bünavio*, ad *Alexandri M.* exemplum paterentur, qui gratiæ causa ab *Apelle* potissimum pingi, & a *Lysippo* fingi, volebat. Ceterum nihil nobis acciderit optatius, quam si in hac sententia fuerit Illustriss. Autor, ut omnia subseciva & subsecundaria tempora, quæ ipsi a continentibus negotiis supererunt, ad colligendas hujuscemodi memorias conferet.

EMMANUELIS MARTINI, ECCLESIÆ Alonensis Decani, Epistolarum Libri duodecim. Accedunt Autoris nondum defuncti Vita, a GREGORIO *MAJANSIO conscripta, nec non Præfatio* PETRI *WESSELINGII.*

Tomi

Tomi II.

Amstelodami, apud Jo. Wetstenium & G. Smith, 1738, 4 maj.
Alph. 3 plag. 18.

Si, quod multi existimant, illi demum Scriptori justus honor tribuitur, cui ita esse felici contigit, ut elegantioris Batavorum gentis, penes quam arbitrium esse literarum & ingeniorum dicitur, communem plausum ferret; magna sane ac pæne invidenda est gloria *Emanuelis Martini*, Decani Alonensis, cujus quippe compositissimi *Epistolarum Libri*, vix natali suo solo egressi, tantopere se felicissimæ illius regionis Viris doctis, & in his maxime *Petro Wesselingio*, probarunt, ut ornando huic Scriptori, & in cultissimæ doctrinæ publice exemplum ponendo, honestissima illi consilia conferrent. Neque vero de genere honoris, quo prosequendum esset nobile hoc caput, deliberatum est diu; quandoquidem, id satis futurum, omnes intellexerunt, si, quæ plurimorum adhuc fugeret notitiam, ut omnibus perspecta deinde tanti Viri virtus esset, nec quisquam se destitutum harum *Epistolarum* usu quereretur, quocunque posset modo effici. Factum est igitur præstantissimi partim *Wesselingii*, quem boni omnes tantum amant, quantum ipse vicissim bonos amat, cura admodum laudabili, partim *Wetstenii*, Viri optimi, & de re libraria præclare meriti, impensis non exiguis, ut novis Batavorum typis exscriptæ hæ *Epistolæ*, majorem in peregrinis terris, quam in patriis, ornatum acciperent, & habitu vestitæ ita decoro incederent, sicut minime puderet Scriptorem quemque veterem incedere. Eo nomine duplex nobis gratulandi causa subnascitur, primum *Emanueli Martino*, de parata hac ad immortalitatem via, quæ, nisi liberalis Batavorum manus subvenisset, sane non ita facilis fuisset, deinde iis omnibus, quos elegantiorum literarum amor studiumque tenet, de novo hoc, in cujus totos se disciplinam tradant, & a quo Latine scribendi castissimum exemplum petant, veteris illius eloquentiæ magistro. De ipsis his *Epistolis*, post ea, quæ copiose diximus superioris *Anni Mens. Jul. pag. 390 seq.* nihil jam exspectet Lector. Saltem editionis hujus novæ præ priori illa, quam Mantua Carpetanorum

tanorum protulit, præcipua quædam decora commemorabimus. Forma Operis plane est talis, qualem nemo Autorum veterum sibi indecoram putet. Quæ libri frontem ornat imago *Martini*, ita similis est illi alteri, ab artifice Hispano expressæ, sicut vix esse ovum ovo potest. Præfationem *Wesselingii* multis verbis a nobis laudari, nemo postulet, qui norit doctrinam Viri, ex cujus officina nihil unquam vulgare, aut lectoribus, etiam delicatissimis, ingratum, prodiit. Sane dubitari possit, plusne gloriæ *Wesselingio* ex ejus Viri, quem laudavit, meritis, an *Martino* ex ore illo facundissimo præconis sui, accesserit. Nobis vero, legentibus excultum hoc *Wesselingianæ* eloquentiæ specimen, jucundum inprimis accidit, sapientissimum hunc doctrinæ rectioris æstimatorem & judicem de ingeniis & virtutibus *Martini* ferme eadem sentire, quæ nosmet olim ipsos sentire in his *Actis* meminimus. Auget & illud maxime editionis hujus novæ pretium, quod ei sive *Wesselingius*, sive quicunque alius, ejusdem *Martini* Orationem de argumento turpi castissimam, *pro crepitu ventris, habitam ad Patres crepitantes*, adjecit, quæ unde venerit in manus sive Editoris, sive typographi, nemo nos docet. Verum *Martini* fœtum esse, haudquaquam dubitamus: est enim talis sane, qualem nemo scripsisse nollet, ut vix credibile Lectori videatur, in describenda re tam sordida & ineleganti tantas consumi veneres & suavitates potuisse; miramur tamen, qui factum sit, ut nullam ejus nec ipse *Martinus* in *Epistolis*, nec diligentissimus scriptor, *Majansius*, in *Vita Martini*, ubi vel minutissima quæque de *Martino* legas, mentionem fecerit. Sed, undecunque venerit, nobis gratissimum est munusculum; nec aliis ornamentis opus esse editioni huic, ut placere possit omnibus, videtur. Sed, quod adhuc mirifice commendat eam, plenissimus est, & ab homine, quicunque fuerit, diligentissimo compositus, rerum notabiliorum Index, quo priorem illam, Mantuæ vulgatam, magno Lectorum tædio, carere jusserat *Majansius*. Mirum vero, nec in rubro hunc, nec usquam alibi, promitti, ut, nisi qui utramque editionem inter se contulerit, scire possit, præcipuam hanc Amstelodamensis hujus dotem esse. Nostrum igitur putavimus, docere id

Lecto-

Lectores, hocque magis laudare ejus, qui gratam hanc nobis operam præstitit, industriam, quo rarior hæc esse solet in editoribus Epistolarum, quæ, ut aliquem Lectori usum afferant, curam hanc, si ullum aliud librorum genus, maxime desiderant.

HORTUS CLYFFORTIANUS, PLANTAS exhibens, quas in hortis, tam vivis, quam siccis, Hartecampi in Hollandia coluit Vir Nobilissimus & Generosissimus, GEORGIUS CLYFFORT, Juris utriusque Doctor, reductis varietatibus ad species, speciebus ad genera, generibus ad classes; adjectis locis plantarum natalibus, differentiisque specierum, cum Tabulis æneis. Autore CAROLO LINNÆO, Med. Doct. & Acad. Imp. Nat. Cur. Socio.

Amstelædami, 1737, fol.

Alph. 5 plag. 11½, cum Tabb. æn. 35.

Magnifice satis de amplissimo Opere, & variæ eruditionis pleno, sentire non possumus, dubiumque superest, an præstantissimi Collectoris generosum, quo erga scientias fertur, animum, & prætorios, quos condendæ Horti sui memoriæ liberaliter admodum impendit, sumtus, an Cel. Autoris, temporum nostrorum *Dioscoridis*, singularem industriam, miramque ingenii felicitatem, collaudare debeamus. Eadem, quæ *Linnæum* in Præfatione a laudibus detinuit, & nos detinet, *Clyffortii* modestia, nec *Linnæum* alius, quam *Linnæus*, collaudet. Ea est Viri fama, quæ commendatore non indigeat; loquuntur pro ea scripta, & ingeniose excogitata methodus, quæ florum fructuumque minutissima quæque, ante hæc tempora incognita, nullique perspecta, in lucem protraxit. Is est, quem Gallia colit, postquam eundem in Societatem Regiam, *Correspondentis membri* nomine, cooptavit, quem Belgium invitum dimisit, quem Suecia reducem gaudens amplectitur. Præsens Opus, laborum omnium *Linnæanorum*, qui sparsim prodierunt, sylloge,

ſylloge, Regni vegetabilis hiſtoriam miris modis illuſtrat. Recenſentur plantæ, quas viridis ſiccusque hortus *Clyffortianus* alit, eodem ordine, quo novimus a *Linnæo* herbas ſecundum rationem ſexualem diſponi, &, quandoquidem his ipſis in *Actis* methodus illa ſæpius expoſita, &, pro libertate, quæ civitatem eruditorum decet, ſub judicium vocata fuit, nunc eidem repetendæ ſuperſedemus. Id novum eſt in præſenti Opere, quod ut fieret, in votis habuerunt omnes, tentaverunt etiam *Rajus*, *Moriſonus*, aliique, quo habitus plantarum externus, & foliorum figuræ, numerusque, in cenſum vocarentur. Arduum iſtud negotium, dum formæ rerum claris diſtinctisque notionibus exponi nequeunt, efficere tentaverunt multi, ſed, ſi quis unquam, *Linnæus* perficiet. Operæ pretium eſt, Conſpectum foliorum, prout ab ipſo *Linnæo* exhibetur, cum Lectoribus communicare:

Cum duo genera combinentur, oritur, ex duobus combinatis, unica ſpecies, *adeoque ſpecies conſtat duobus generibus, & genera partes ſpecierum evadunt. Datis autem generibus, conficiuntur facillime ſpecies, quæ nulla egent definitione, dum nota ſunt genera, adeoque nec memoriæ oneroſa ſunt, e. g.* Cordato-ovatum, *Ovato-cordatum;* Cordato-ovale, *Ovali-cordatum;* Cordatum-oblongum, *Oblongo-cordatum;* Cordato-lanceolatum, *Lanceolato-cordatum;* Cordato-ſagittatum, *Sagittato-cordatum;* Cordato-haſtatum, *Haſtato-cordatum, &c. Obſervandum vero in ſpeciebus foliorum, cuinam generi prior, cuive poſterior, aſſignetur locus; res enim indifferens non eſt, cum poſterius genus formam ſternat enaſcentis ſpeciei, prius vero eandem emendet; & quaſi quid exceptum velit, ac ſi prius tranſiiſſet in poſterius folium. E. g.* Lineari-lanceolatum *latius eſt, lanceolato propius;* Lanceolato-lineare *anguſtius, lineari magis affine.* Folia *dividimus in* Claſſes tres: *in* Simplicia, Compoſita, & Determinata. Claſſis I. Folia ſimplicia. *Folium ſimplex eſt, cum petiolus unicum modo gerit folium. Foliorum ſimplicium ordines VII ſunt, in quibus conſideratur folium ſecundum Circumſcriptionem, Angulos, Sinus, Marginem, Superficiem, Apicem, Latera.* α) Circumſcriptio *folii dependet a peripheria absque ſinubus vel angulis ullis. Adeoque ſub hoc cenſu conſideranda venit omnis figura, quæ ex*

annulo varie compresso, absque tamen quod sinum vel angulum admittat ullum, oriatur. De marginis extimo vel apicis nulla hic habetur ratio, modo (qua talia) indivisa considerantur & integra folia. 1 Orbiculatum, *cujus diameter longitudinalis & transversalis aequales sunt; adeoque margine a centro aequali spatio distat.* 2 Subrotundum, *cujus diameter longitudinalis brevior est transversali; sumitur etiam hoc vocabulum vulgo latius, eoque includuntur variae species.* 3 Ovatum, *cujus diameter longitudinalis superat transversalem, & basis folii segmento circuli inscribitur, superior vero pars versus apicem angustatur. Obverse ovatum dicitur, si petiolus angustiori folii parti inseratur.* 4 Ovale, *seu* Ellipticum, *cujus diameter longitudinalis superat transversalem, & superior ac inferior pars folii ejusdem est latitudinis, utraque segmento circuli circumscripta.* 5 Oblongum, *cujus diameter longitudinalis aliquoties superat transversalem, & utraque extremitas segmento circuli angustior est.* 6 Cuneiforme, *cujus diameter longitudinalis superat transversalem, & pars inferior a superiore parte deorsum sensim angustatur.* β) Anguli *sunt partes prominentes folii cujusdam integri concepti. Angulus differt a sinu, quod angulus sit pars folii prominens, at sinus pars folii demta; adeoque angulus in folio existens, sinus vero extra folium. Latera ne confundantur cum angulo, ut vulgo fit, est angulus in horizontali folio, latus vero in perpendiculari.* 7 Lanceolatum *est oblongum, utrinque attenuatum a medio ad extremum in apicem.* 8 Lineare *utraque extremitate saepius attenuatur, marginibus vero secundùm longitudinem aequali spatio distantibus & parallelis.* 9 Subulatum *a parte inferiore lineare est, at a medio sursum lente attenuatum in apicem.* 10 Triangulare *tribus angulis gaudet, quorum duo laterales cum basi horizontales sunt margines tres recti.* 11 Deltoides *angulis quatuor instruitur, quorum apices a centro longius distant, quam laterales.* 12 Quinquangulare *angulis quinque notatur, quorum margines recti, nisi aliquando in medio fracti. Ex hisce datis facile formantur reliqua rarius obvia folia, a numero angulorum indicanda.* 13 Rotundum *angulis omnibus caret, adeoque horum oppositum.* γ) Sinus *discum folii in partes dividunt. Sinus hi sunt vel in* basi,

basi, *vel* superne, *vel ad* latera, *vel* undique. 14 Reniforme *est subrotundum basi excavatum absque angulo.* 15 Cordatum *est ovatum basi excavatum absque angulis posticis. Obverse cordatum fit, si petiolus inseratur apici folii.* 16 Lunulatum *est subrotundum basi excavatum, cum angulis posticis falcato-incurvis.* 17 Sagittatum *est triangulare basi excavatum.* 18 Cordato-sagittatum, *si margines convexi.* 19 Hastatum *est triangulare lateribus & basi excavatis, angulis reflexis.* 20 Panduræforme Dillenio *est oblongum, lateribus coarctatis, superne latius, inferne adhuc latius.* 21 Bifidum *est folium superne divisum in duas partes, laciniarum marginibus interioribus rectis. Quid* Trifidum, Quadrifidum, Quinquefidum, Multifidum, *sit, ex datis patet, limitato numero.* 22 Trilobum *est folium divisum ad medium in tres partes distantes marginibus convexis; quid* Bilobum, Trilobum, Quadrilobum, Quinquelobum, *sit, observato solo numero, patet ex prædicto.* 23 Palmatum *dividitur a suprema parte ultra medium vel ferme ad basin.* 24 Pinnatifidum, *quod utrinque lacinias longas horizontales exserit, sinubus lateralibus divisis.* 25 Laciniatum, *quod sinus plures, ad medium folii pertingentes, lobis subdivisis, admittit.* 26 Sinuatum (*proprie*) *est, quod ad latera sinus admittit, lobis interjacentibus vix divisis.* Sinuato-dentatum, *si lobi laterales lineares sunt.* Retrorsum sinuatum, *si lobi acuti versus basin reflectantur.* 27 Quinquepartitum, *quod ad basin usque in quinque dividitur partes. Hinc, demto numero, patet, quid* Bipartitum, Tripartitum, Quadripartitum, Quinquepartitum, *&c.* Multipartitum, *sit.* 28 Integrum *sinubus omnibus caret, adeoque horum oppositum.* Indivisum *idem est & synonymum. Integrum probe distinguendum ab integerrimo. Integrum enim caret disci ipsius folii sinubus, at integerrimum marginis sinubus, quos integrum non respicit.* δ) Margo, *quæ, in extima folii parte, inque ipso margine, fiunt diversitates, modo hæ discum folii non feriant, indicat. Excluduntur a margine, quæ in margine apicis fiunt.* 29 Dentatum *est, quod e margine promit acumina horizontalia, folii consistentiâ, distincta inter se, & spatio remota.* 30 Serratum, *cujus margo angulis acutis, alteram extremitatem folii respicientibus, ferme imbricatis notatur. Respiciunt hæ crenæ sæ-*

pius apicem. Retrorsum serratum, *ubi basin folii respiciunt.* Obsolete serratum, *si crenarum apices obtusi sint.* Duplicato-serratum, *si duplicis generis serraturæ, aliæ minores majoribus insidentes.* 31 Crenatum, *cujus margo angulis inæqualis sit, iique anguli contigui sunt, extrorsum versi, nec ullo modo apicem vel basin folii versus incurvati.* Acute crenatum, *si anguli acuminati sint.* Obtuse crenatum, *si anguli rotundentur.* Duplicato-crenatum, *si parvæ crenæ majoribus crenis insideant.* 32 Repandum, *cujus margo lobis segmento circuli inscriptis secundum longitudinem notatur interjectis sinubus marginis obtusis.* 33 Cartilagineum, *cujus margo a folii substantia membranacea vel carnosa distat cartilagine.* 34 Ciliatum, *cujus margo setis parallelis undique cingit folium.* 35 Lacerum, *cujus margo segmentis confertis inter se inæqualibus & difformibus constat.* 36 Crispum, *si in folio undulato, vel plicato, margo divisus sit.* 37 Erosum, *si folium sinuatum & sinus obtusi minimi alii marginem feriant.* 38 Integerrimum, *cujus margo integer, nec ullo modo incisus est. Differt ab integro.* *e*) Superficies *folii, quæ in supina ejus vel prona occurrunt parte, exhibet.* 39 Tomentosum, *si villi oculis non distinguendi tegant folium.* 40 Pilosum, *si pili distincti occupent superficiem folii.* Hirsutum, Villosum, Lanigerum, *differunt vix gradu.* 41 Hispidum, *si setæ rigidæ fragiles per superficiem folii sparsæ sint.* 42 Scabrum, *si parvæ inæqualitates discum folii inæqualem reddant.* 43 Aculeatum, *si acumina cartilaginea pungentia discedentia occupent folium.* 44 Spinosum, *si acumina cartilaginea pungentia folio ita innata, ut absque læsione folii separari nequeant, folii occupent sive discum, sive marginem.* 45 Papillosum, *si vesiculæ minimæ tegant folii superficiem.* 46 Nitidum *est folium glabrum, si quasi politum niteat.* 47 Plicatum, *si a basi folii exeant ad margines vasa, quorum alterna discum folii ad angulum acutum elevant, alterna depriment.* 48 Undulatum, *si exterior pars disci ipsius folii latior evadat, quam circulus ad centrum, elevatur, extima pars & deprimitur passibus determinatis.* 49 Rugosum, *si venæ foliorum excavatæ in supina folii parte sint arctiores, quam disci substantia, ut tumeat interjecta caro.* 50 Venosum, *si vasa discurrentia ramosissima anastomoses copiosiores nudo exhibeant oculo.* 51 Nervosum,

vosum, *si vasa simplicissima absque ramis extendantur a basi versus apicem parallele cum folio.* 52 Nudum, *si prædictis notis careat, adeoque iis opponitur.* ζ) Apex *folii sistit, quæ in summa folii parte contingere possunt, diversitates.* 53 Truncatum, *si apex linea transversali terminetur.* 54 Retusum, *si sinus obtusus apici insideat.* 55 Præmorsum, *si truncatum & sinu acuto patente divisum sit folium in apice.* 56 Emarginatum, *si crenulam admittat apex.* Obtuse emarginatum *ex denticulis judicatur.* Acute emarginatum *ex denticulis judicatur.* 57 Obtusum, *si segmentum circuli folium terminet.* 58 Acutum, *si angulus acutus folium terminet.* 59 Acuminatum, *si folium terminetur apice subulato.* 60 Obtusum cum acumine, *si obtusum, terminatum vero apiculo acuti folii.* η) Latera *considerantur, cum folia perpendiculariter extensa undique examinantur.* 61 Teres, *quod cylindraceum est, excepto sæpius apice.* 62 Tubulosum, *quod interne (detruncatum) cavum est.* 63 Carnosum, *quod intra membranam, superiorem & inferiorem superficiem constituentem, pulpa repletur.* 64 Membranaceum, *quod intra utramque superficiem nulla pulpa scatet.* 65 Depressum *est, quod a latere caulem spectante imprimitur.* 66 Compressum, *quod a lateribus oppositis, caulem non respicientibus, imprimitur.* 67 Planum *est depressum, cujus longitudo horizontalis censeri potest.* 68 Convexum *est depressum, in medio magis elevatum.* 69 Concavum *est depressum in medio excavatum.* 70 Canaliculatum *est depressum, sed secundum totam longitudinem excavatum.* 71 Ensiforme *est compressum, utroque margine acutum, secundum totam longitudinem angulo convexum.* 72 Acinaciforme Dillenio *est compressum lanceolatum, cujus latera deorsum gibba sunt, margine deorsum spectante acuto, introrsum vero obtuso rectiore.* 73 Dolabriforme Dillenio *est compressum, subrotundum, obtusum, extrorsum gibbum acuta acie, inferne teretiusculum.* 74 Linguiforme Dillenio *est lineare, obtusum, carnosum, depressum, subtus convexum, margine sæpius cartilagineum.* 75 Triquetrum *est, cujus latera tria plana sunt; hoc sæpius subulatum simul est. Hinc* Quadriquetrum, *&c. quid sit, notum est.* 74 Trigonum *est triquetrum, sed latera*

 canali-

canaliformia, & proin anguli acuminati membranacei sunt. Tetragonum, Pentagonum, *quid sit, clarum; vulgo commiscentur hæc cum 10, 11, 12.* 75 Sulcatum, *si anguli innumeri, ut iis modo intercedant sinus obtusi.* 76 Striatum, *si lineæ excavatæ longitudinales parallelæ inscriptæ sint.* Classis II. Folia composita. *Dividuntur Composita folia in* Composita *proprie dicta,* Decomposita, & Supradecomposita. Compositum *fit, cum communi petiolo plura affiguntur folia. In his dicitur, quod ex plurimis constat minoribus,* Folium, & *singulum, quod constituit compositum, dicitur* Foliolum. 77 Composita *proprie dicuntur, quæ semel vel ex una compositione fiunt.* 78 Digitatum, *quod apice petioli communis foliola plura annectit; adeoque species hujus sunt 79, 80, 81; arctius vero sumitur pro eo, quod pluribus, quam quatuor, foliis componitur.* 79 Ternatum, *quod ex apice petioli communis tria profert foliola; foliolis sessilibus; foliolis petiolatis.* 80 Binatum, *quod ex apice petioli communis duo foliola profert.* 81 Ramosum, *quod in petiolo communi bifurcato plura foliola gerit.* 82 Pinnatum, *quod secundum longitudinem petioli communis foliola annectit; hoc cum variis fit modis, sequentes meminisse species juvabit. Pinnatum* cum impari, *seu cum foliolo terminatrice;* abruptum, *seu absque impari aut cirrho;* alternatim, *seu foliis alternis;* interrupte, *seu foliis inæqualibus;* cirrhose, *seu cirrho terminatum;* foliolis decurrentibus; petiolis membranaceis articulatis. 83 Conjugatum *est pinnatum, unico modo foliorum pari constans: datur* abruptum; cirrhosum; *petiolis membranaceis; petiolis stipulatis.* 84 Lyratum *est folium compositum factum e simplici inferne diviso, ut infimæ laciniæ removeantur a folio, spatio, nec cohæreant cum majori.* 85 Decomposita *sunt, quorum petiolus communis bis subdividitur, antequam foliola annectat, hæc 86, 87.* 86 Duplicato-ternatum, *seu* Ternato-ternatum, *est decompositum ternatum folium, bis,* Bigeminatum *de conjugato duplicato prædicatur.* 87 Duplicato-pinnatum, *seu* Pinnato-pinnatum, *est decompositum pinnatum folium.* 88 Supra-decomposita *sunt, quorum petiolus communis (plus quam bis) multoties subdividitur, antequam foliola admittat: uti 89, 90.*

89, 90. 89 Triplicato-ternatum, *seu* Ternato-ternatum, *est folium, cujus petiolus ter trifidus evadit, antequam foliola admittat.* 90 Triplicato-pinnatum, *seu* Pinnato-pinnatum, *est, cujus petiolus ter petiolos minores pinnatim exerit, antequam foliola accipiat. Folia partialia hujus vel abrupta sunt, vel cum impari.* Classis III. Folia determinata. *Determinatio foliorum consistit in ista differentia, quæ differens reddit folium, ab eo, quod structuram ejus immutet. Determinatio secundum quatuor ordines peragitur, qui consistunt in* Directione, Loco, Insertione, Situ. *α)* Directio *est ista expansio, quam a basi ad apicem acquirit folium.* 91 Inflexum, *si versus plantam arcuetur.* 92 Erectum, *si ad angulum acutum a perpendiculo discedat.* 93 Patens, *si ad angulum obtusum a perpendiculo dehiscat.* 94 Horizontale, *seu* Patentissimum, *si ad angulum rectum a perpendiculo recedat.* 95 Reclinatum & reflexum, *si apex folii inferior sit basi.* 96 Revolutum, *si superior pars folii deorsum revolvatur.* 97 Radicans, *si ex apice folii radiculam exserat; uti filices quædam.* 98 Radicatum, *si ex disco folii supino radices prodeant; ut in Algis quibusdam.* 99 Natans *est, quod superficiei aquæ incumbit.* β) Locus *folii consideratur secundum punctum, cui inseritur ipsi plantæ.* 100 Seminale. *Cotyledon plantæ est.* 101 Radicale, *quod e radice immediate prodit, nec cauli inseritur.* 102 Caulinum, *quod e caule prodit.* 103 Ramorum, *quod ramis insidet.* 104 Subalare, *quod ramificationibus caulis subjicitur.* 105 Florale, *quod flori proximum est, nec unquam prodit, nisi floris proventus sit.* γ) Insertio *foliorum consideratur ex modo, quo folium plantæ annectitur.* 106 Peltatum, *si petiolus (non basi seu margini) disco ipsius folii inseratur.* 107 Petiolatum, *si petiolus marginem baseos folii intret.* 108 Sessile, *si folium immediate cauli vel ramo, absque ullo petiolo, adnascatur.* 109 Decurrens *est sessile, cujus infima pars, ultra basin folii, extenditur deorsum per caulem vel ramum, eique adhæret.* 110 Amplexicaule *est, cujus basis extenditur, ut latera caulis ambiat; est hoc communiter, si sessile, vel cordatum, vel sagittatum.* Semiamplexicaule *vero dicitur, si lobi baseos amplexantes breviores sunt, quam ut amplectantur caulem totaliter.* 111 Perfolia-

foliatum *est*, *si vel caulis*, *vel ramus*, *vel pedunculus*, *discum ipsum folii pertranseat, nec margini folii adhæreat.* 112 Connata *folia sunt opposita, quorum bases utrinque connatæ sunt in unum corpus.* 113 Vaginans *est*, *cujus basis cylindro vel tubo undique investienti ramum vel pedunculum insidet, uti in Graminibus plerisque.* δ) Situs *foliorum dependet a loco unius respectu ad reliqua folia.* 114 Articulata *folia*, *cum unum ex alterius apice excrescit.* 115 Stellata, *cum folia quam sex plura verticillatim cauli inseruntur.* 116 Terna, Quaterna, Quina, Sena, *&c. sunt species priorum numero constanti.* 117 Opposita, *cum caulina folia duo e regione collocantur interjecto caule.* 118 Alterna, *si quasi per gradus caulem adscendat situs foliorum.* 119 Sparsa, *si absque ullo ordine plantæ inserantur.* 120 Conferta, *si cumulata sint folia*, *ut eorum situs distincte tradi nequeat.* 121 Imbricata, *si conferta erecta simul sint.* 122 Fasciculata, *si ex eodem puncto plura folia prodeant.* 123 Acerosa *folia, quæ ramis inarticulata sunt.* 124 Frondes, *si folia fructificationibus aut ramis comascantur, ut distincte tradi nequeant.*

Jam & novas horti *Clyffortiani* plantas verbis, quæ nitidissimis Tabulis æneis subscripta sunt, exponere lubet: *1) Kæmpferia*, *2) Piper foliis cordatis caulo procumbente*, *3) Collinsonia*, *4) Gladiolus foliis linearibus*, *5) Diervilla*, *6) Campanula foliis hastatis caule determinate folioso*, *7) Rauvolfia*, *8) Turnera*, *e petiolo florens foliis serratis*, *9) Passerina foliis linearibus*, *10) Helxine caule erecto, aculeis reflexis exasperato*, *11) Parkinsonia*, *12) Bauhinia caule aculeato*, *13) Bauhinia foliis quinquenerveis*, *lobis acuminatis remotissimis*, *14) Heliocarpos*, *15) Browallia*, *16) Martynia foliis serratis*, *17) Amorpha*. Hanc arborem, in Horto Bosiano florentem, eo, quo a *Sherardo* transmissa fuerat, Pseudoaciæ nomine compellaverunt nostri, donec nomen conveniens datum fuerit ab artis perito, prout habetur superioris anni Horto descripto. *18) Dolichos caule perenni lignoso*, *19) Dolichos minimus*, *floribus luteis*, *20) Siegesbeckia*, *21) Buphtalmum caule decomposito, calycibus ramiferis*, *22) Milleria foliis ovatis*, *pedunculis simplicibus*, *23) Lobelia caule erecto, foliis cordatis obsolete dentatis*, *petiolatis*,

tiolatis, *corymbo terminatrice*, 24) *Anthospermum mas*, 25) *Dioscorea foliis cordatis, caule lævi*, 26) *Kiggelaria, mas*, 27) *Clyffortia, foliis dentatis, mas*, 28) *Clyffortia, foliis lanceolatis integerrimis*, 29) *Clyffortia, foliis linearibus pilosis*, 30) *Hermandia*, 31) *Hura*, 32) *Roellia*, 33) *Cassia calycibus acutis.* Novos istos celeberrimarum *Clyffortii* Hesperidum proventus admiratur orbis, & lætissima porro a tanti Viri propenso in scientiam Botanicam animo optat & confidenter exspectat incrementa.

DANIELIS BERNOULLI, JO. FIL. MED. Prof. Basil. Acad. Scient. Imp. Petropol prius Matheseos sublimioris Prof. Ord. nunc Membri & Prof. honorarii, Hydrodynamica, sive de viribus & motibus fluidorum Commentarii. Opus Academicum, ab Autore, dum Petropoli ageret, congestum.

Argentorati, sumtibus Jo. Reinholdi Dulseckeri, 1738, 4 maj. Alph. 2 plag. 16, cum Tabb. æn. 12.

Nobilissimus Autor cum aliis ingenii monumentis, tum præclaro hoc Opere, satis ostendit, se & acutum Geometram, & exactum calculatorem, & denique *Bernoullium*, esse. Argumentum certe egregium est, quod auspiciis, consiliis, subsidiisque Academiæ Scientiarum Petropolitanæ, elaborandum sibi sumsit: & magna rerum utilissimarum varietas non potest non placere: & assertiones singulares, quanquam forte haud omni exceptione majores, attentione tamen eorum maxime dignæ sunt, qui hoc studiorum genere delectantur. Cum, Hydrostaticam & Hydraulicam arctissimo nexu inter se cohærere, & mutua ope plurimum egere, Vir Clariss. videret, confundendam utramque certo modo, & *Hydrodynamicæ* generaliori nomine complectendam, censuit. Hypothesis ejus præcipua est *conservatio virium vivarum*, sive, ut ipse loquitur, *æqualitas inter descensum actualem adscensumque potentialem.* Per adscensum potentialem systematis, cujus singulæ partes velocitate qualicunque moventur, intelligit altitudinem verticalem, ad quam centrum gravitatis illius systematis pervenit, si singulæ

 parti-

particulæ, motu sursum converso, quantum possunt, adscendant: per descensum vero actualem intelligit altitudinem, per quam centrum gravitatis descendit, postquam singulæ particulæ in quiete fuerunt. Maluit autem hac uti denominatione, quam vocabulo conservationis virium vivarum, quod etiamnum a quibusdam, præsertim in Anglia, incertum quo fato, fastidiri observavit. De cetero, quamvis principium commemoratum plane pro universali habeat, non tamen esse sine circumspectione adhibendum monet, quia sæpe contingat, ut motus transeat in materiam alienam: ita fieri exempli causa in percussionibus corporum non perfecte elasticorum: similiterque in motibus fluidorum partem adscensus potentialis interdum perdi. Ad quod rite attendenti sibi multa de aquarum fluxu theoremata nova in mentem venisse ait, quæ vix ulla alia methodo excogitari ac demonstrari potuissent. Præter hypothesin, de qua diximus, duabus adhuc aliis utitur, non illis quidem novis, sed talibus tamen, quas a quibusdam in dubium vocari constat: nempe, motum fluidorum talem quam proxime esse, ut ubique velocitas reciproce sit proportionalis amplitudini vasis respondenti, & particulas fluidorum perpetuo quodam motu intestino agitari. Sed ad ipsam tractationem Viri doctissimi nunc propius accedendum est. Divisit Opus totum in *XIII Sectiones*. *Prima*, quæ introitus dicitur, varia continet prænotanda. *Altera* agit de fluidis stagnantibus, eorumque æquilibrio tum inter se, tum ad alias potentias relato. Phænomena hic quædam tubulorum capillarium obiter recensentur: & denique, occasione pressionis, quam fluida in latera vasis exercent, theoremata varia adduntur, circa figuram vesicarum liquore impletarum, circa earundem potentias ad onera elevanda, circa constructionem & firmitatem aquæductuum, & alia affinia. In *tertia Sectione* de motu fluidorum disquiritur, ex vase effluentium. Et, cum omnes, qui hactenus de hac re egerunt, casum unicum maxime obvium consideraverint, quo foramen ratione amplitudinis vasis infinite parvum censetur, theoria Autoris non parum sua se latitudine commendat, quippe quæ ad positionem foraminis cujuscunque magnitudinis, imo & vasis

cujus-

cujuscunque figuræ, extenditur. Post theoriæ generalis specimina, in vasis cylindricis, tam simplicibus, quam iis, quæ tubis instructa sunt, exhibentur mutationes, quæ ab initio fluxus oriuntur, dum datus velocitatis gradus attingitur. Et, cum ipsa experientia satis doceat, aquas per foramina, quæ sunt in lamina tenui, multo minori quantitate, dato tempore, effluere, quam ex simplici velocitatum ratione sequeretur, quod contractioni venæ effluentis adscribendum est, hinc in *quarta Sectione* de hac ipsa re disserit Autor, calculosque analyticos, pro inveniendis variis temporibus, quæ in effluxu aquarum desiderari possunt, una cum annotationibus physicis, eo pertinentibus, affert. In *quinta Sectione* theoria extenditur ad examen motuum ex vasis constanter plenis: quorum indoles in eo potissimum consistit, ut fluida emanantia magis magisque accedant, ac, nisi per longissimos ductus ferantur, magnoque lumine ejiciantur, cito vergant ad illum velocitatis gradum, qui toti altitudini superficiei fluidi supra foramen debetur, tametsi eum, nisi post tempus infinitum, omnino non attingant. In sequenti *Sectione* motus fluidorum considerantur, non effluentium, sed intra latera vasorum quorumcunque agitatorum: ubi præsertim motus oscillatorii ad mensuras revocantur, eorumque affectionibus indicatis, ostenditur, quibus in casibus fiat, ut oscillationes diversæ excursionis sint isochronæ, & quæ sit longitudo penduli simplicis isochroni. In *septima Sectione* de effluxu aquarum ex vasis submersis agitur. Ubi singularibus exemplis ostendere conatur Autor, quam insigniter utile sit principium conservationis virium vivarum, vel iis in casibus, quibus continuo aliquid de illis perdi censendum est. In *octava* motus fluidorum, cum homogeneorum, tum heterogeneorum, per vasa irregularis & præruptæ structuræ, exponuntur: ubi ex theoria virium vivarum, quarum pars continuo absorbetur, phænomena singularia fluidorum per plura foramina trajectorum Autor explicat, præmissis regulis generalibus, pro motibus fluidorum ubique definiendis. In *nona* de motu fluidorum sermo est, quæ non proprio pondere, sed potentia aliena, ejiciuntur. Qua occasione de machinis potissimum hydraulicis, earumque

 ultimo,

ultimo, qui dari potest, perfectionis gradu, disquiritur: defectus ab ista perfectione, & pars potentiæ absolutæ, quæ in machinis quibusdam maxime receptis perit, calculo subjicitur, additis præceptis, ad quæ in construendis novis machinamentis animus sit advertendus. Exempli loco notissima per orbem machina Marlyensis affertur, ac de ea docetur, (si modo descriptionibus fidendum sit,) quod non ultra quinquagesimam sextam partem illius aquæ suppeditet, quam, ceteris paribus, machina perfecta suppeditare queat: ac postremo etiam singulare instituitur examen de cochlea *Archimedis*. Semper autem, ut demonstrat Autor, potentia movens, ducta in tempus & velocitatem puncti, cui applicata est, dabit productum ex quantitate aquæ & altitudine, ad quam ista quantitas, dato tempore, elevari possit, ope machinæ datæ, sepositis impedimentis aliis. Sequitur *Sectio decima*, quæ affectiones & motus fluidorum elasticorum, præcipue aeris, & accensi pulveris pyrii, exponit. Notat hoc loco Vir Clarissimus, pressionem aeris minime æqualem esse ponderi absoluto columnæ aereæ, superficiei datæ incumbentis, quod hactenus inconsiderate affirmasse Autores contendit, sed quantitati quartæ proportionali, ad superficiem terræ totam, magnitudinem superficiei datæ, & pondus totius atmosphæræ: scilicet, ubique locorum eandem esse aeris, (cum reliquo non impeditam communicationem habentis,) in pari a superficie maris altitudine, pressionem, si atmosphæra in statu permanente æquilibrii posita, nullisque ventis agitata, concipiatur, quæcunque fuerit caloris in diversis partibus differentia: atque hinc sub æquatore non aliam, quam sub polo, (eodem tempore, & aere perfecte quieto,) esse debere altitudinem mercurii in duobus pluribusve barometris, quæ in superficie maris, aut in paribus super eam altitudinibus, posita sunt; etiamsi aer sub æquatore longe sit calidior, & sub polis longe densior, immo tantæ densitatis ac gravitatis, quam Vir doctissimus in locis terræ ac mari vicinis, tum, cum frigus maximum est, vix decies ab ipsa aqua superari censet. Atque ex his porro concludit, ad mutationes barometricas causas requiri subitas, cum lentæ in integram aeris massam facile distribuantur, neque adeo notabiles pro-

producere effectus queant: veroque non absimile esse, mutationes illas maximam partem oriri a celeribus caloris mutationibus in cryptis subterraneis: hinc enim aerem rarefactum expelli, superioremque suo accessu augere, qui effectus non statim redundare in totam atmosphæram, propter aeris ad motum inertiam, possit. Regulam etiam, a plerisque probatam, quod altitudines locorum verticales logarithmis altitudinum barometricarum respondeant, collatis inter se nonnullis experimentis, Autor refellit, aerisque elasticitates, in diversis atmosphæræ altitudinibus, nequaquam esse densitatibus proportionales, aut, quod eodem redit, diversum esse in diversis altitudinibus medium caloris gradum, arbitratur: qua in re cum vera lex naturæ vix inveniri possit, hypothesin tamen affert, phænomenis non male respondentem, ac pro logarithmica aliam curvam suppeditat. Calorem aeris medium, in libera atmosphæra, cum ipsa altitudine crescere, densitatem decrescere quidem, sed majori proportione sub polis, quam sub æquatore, existimat. Ad observandum aeris calorem, thermometro usus est mercuriali, quod fieri ex barometro clauso solet, statuitque, diversos caloris gradus, in aere æque denso, elasticitati ejusdem, atque adeo diversis altitudinibus columnarum mercurialium thermometri commemorati, satis accurata proportione respondere: quam ipsam esse sententiam Excellentissimi Collegæ nostri, *G. F. Richteri*, ex *Actis A.* 1730 *Mens. Jan. pag.* 33 constat. Cur vero Clariss. *Bernoullius* veras definitiones dupli vel tripli caloris magis pro arbitrariis habeat, quam, exempli causa, duplæ vel triplæ gravitatis, & cur illas definitiones in rerum natura positas esse neget, non satis nos perspicere fatemur. Multa adhuc supersunt in hac *Sectione* notatu digna, de refractione radiorum, per atmosphæram transeuntium, de influxu aeris per parvum foramen in vas vacuum vel aere rariore plenum, de vi aeris condensati & auræ pulveris pyrii accensi, ad globos projiciendos, in usu sclopetorum & tormentorum bellicorum. Sed prætereunda hæc ad præsens, atque ex reliquis *Sectionibus* nonnulla attingenda sunt. Et *undecima* quidem partim de fluidis in vorticem actis, partim etiam de iis, exponit, quæ in vasis mo-

tis continentur. Particulæ, quæ impenetrabiles sunt materiæ vorticosæ, etiamsi ab alia materia magis subtili penetrari queant, gravitatem inde acquirunt, ac versus centrum vorticis pelluntur. Omnia corpora terrestria, quantum experientia constat, particulas graves habent æqualis densitatis specificæ: eodemque modo rem comparatam esse in reliquis planetis, seorsim consideratis, probabile est. Quodsi vero diversorum planetarum particulæ graves inter se componantur, diversas esse posse densitates specificas, Autor existimat: atque hinc, cum certum non sit, qua proportione, respectu distantiarum a sole, vires centrifugæ planetarum mutentur, nec de eorum gravitate versus solem aliquid certi adhuc statuere, in vorticum hypothesi, licere. Quæ de duobus axibus commemorat, ad se invicem perpendicularibus, circa quorum utrumque, (& forte etiam circa plures,) vortices æqualis virtutis, & facile se mutuo trajicientes, circumagantur, ad phænomena gravitatis per vortices explicanda, ea quidem accuratius exposuit in Dissertatione, quam Academia Scientiarum Parisiensis A. 1734 præmio affectam imprimi curavit. De cetero diserte monet, animum sibi non fuisse, vorticum commendare hypothesin, sed quasdam tantum conclusiones facere, sine quibus illa hypothesis subsistere non posse videatur. Progredimur ad *Sectionem duodecimam*, quæ Staticam fluidorum motorum exhibet, novo *Hydraulico-Staticæ* vocabulo ab Autore appellatam. Agitur hic de æquilibriis fluidorum motorum, ac de pressionibus eorundem, quas in latera vasorum exerunt. Cumque alias motus ex pressione definiatur, hic, inversa methodo, pressionem ex motu definit ingeniosus Autor, considerans canalem, per quem aquæ fluunt, eo in loco, eoque temporis puncto, quæ quæstioni conveniunt, amputatum, posteaque (per regulas præmissas) accelerationem quærens particulæ aquæ imminentis proximeque effluxuræ. Ex ista acceleratione compressionem colligit: eaque determinata, ostendit, quid fieri debeat, si canalis eodem in loco perforatus fuerit, tubulusque foramini respondeat: fore nempe, ut aqua in tubulo illo ad certum usque gradum adscendat, & stagnans ab aqua inferius per canalem præterfluente sustentetur, æquilibrio hac ratione

ratione facto inter aquas fluentes & stagnantes. Theoremata Autoris & nova sunt, & insignem habent usum, non modo in æstimanda vera pressione aquarum, per aquæductus fluentium, & in deducendis inde tuborum firmitatibus requisitis, itemque in mensurandis aquis, per modulos, rivo lateraliter insertos, erogatis; sed etiam ad ea rectius intelligenda, quæ pertinent ad motum humorum in corpore animali. Præcipua & simplicissima regula, quam adhuc latere potuisse miratur Autor, est hujusmodi: pressionem aquarum, per canales quosvis fluentium, constanter æqualem esse $a - b$; ubi per a intelligitur altitudo debita velocitati, quacum aqua, abrupto canali, vaseque constanter pleno conservato, (post tempus infinitum) effluxura sit, & per b altitudo debita velocitati, quacum aqua per canalem non abruptum re ipsa transfluit. Restat *Sectio tertia decima*, quæ agit de reactione fluidorum, ex vasis effluentium, eorundemque, postquam effluxerunt, impetu in plana, quibus occurrunt. Aqua enim, dum per foramen vasis effluit, in partem contrariam premit vas, non aliter ac globulus retropellit tormentum, ex quo exploditur. Est autem illa vis repulsionis, judice *Bernoullio*, ponderi æqualis cylindri aquei, cujus basis convenit cum orificio aquas transmittente, (pro quo tamen, si vena effluens contrahitur, ipsa sectio venæ maxime contractæ sumenda est,) & cujus altitudo æquat duplam altitudinem superficiei aqueæ supra foramen, vel accuratius, duplam altitudinem velocitati aquæ effluentis debitam. Itaque, si nulla est venæ contractio, prouti nulla est, cum per tubulum brevem aquæ effluunt, repulsio duplo fere major erit, quam fuit a *Newtono* definita. De impetu venæ aqueæ in planum directe impingentis multi commentati sunt. Experimenta non prorsus conveniunt, plurima tamen indicare videntur, nisum venæ uniformiter fluentis æqualem esse ponderi cylindri aquei, cujus basis sit foramen, per quod aquæ effluunt, & cujus altitudo sit æqualis altitudini aquæ supra foramen. In hac sententia plerique omnes huc usque acquieverunt. At doctissimus *Bernoullius*, re attentius perpensa, novisque adhibitis principiis, & aliis quibusdam experimentis institutis, clare tandem sibi visus est perspexisse,

com-

communem istam opinionem eodem modo mutandam esse, uti *Newtonianam* de vi repellente, scilicet ut loco orificii consideretur sectio venæ contractæ, & loco altitudinis aquæ adhibeatur dupla altitudo, velocitati aquarum reali respondens. Demonstratum enim, inquit, habeo, vim repulsionis omnino æqualem esse impetui venæ, si hæc tota in planum perpendiculariter incidat. Ex quo sequitur, impetum venæ eo majorem esse, quo minor fuerit ejusdem contractio: qua tota evanescente, & aquis simul tota sua velocitate, quam in theoria habere possunt, erumpentibus, duplo majorem esse impetum, quam vulgo statuitur: quia vero semper velocitati aliquid decedit, & vena non raro ad dimidium fere contrahitur, hinc fieri, ut experimenta pleraque, in impetu illo æstimando, simplam cylindri altitudinem arguere videantur. Applicat deinde Autor ea, quæ de vi repellente fluidorum, dum ejiciuntur, demonstravit, ad novum quoddam navigationis genus, sine velis remisque; atque etiam maximas naves eo modo promoveri posse censet, ut aquæ continuo elevatæ, per foramina, in imis partibus facta, & versus puppim spectantia, effluere cogantur. Ne quis vero hanc opinionem in ipso limine rideat, posito exemplo, subductoque calculo, ostendit, si in triremi, quæ vulgo *Galera* vocatur, & 260 remiges habet, pro illis remigibus totidem operarii adhibeantur, posse eos, singulis minutis secundis, quatuor quintas partes pedis cubici aquei, ad altitudinem unius pedis elevare, atque adeo in canali, cujus orificium 4 pedum quadratorum fuerit, ad altitudinem trium pedum & dimidii, aquam conservare: quo facto, & aqua, ita, ut dictum est, per foramen illud perpetuo effluente, navem, cum ea velocitate, quam grave acquirit lapsu libero per altitudinem $\frac{7}{8}$ pedum, progressuram, singulisque horis plus quam duo milliaria Gallica absoluturam esse. Atque hæc, ex præsenti Opere Celeberrimi *Bernoulli* hoc loco delibata, sufficiant. Unum adhuc est, quod tacendum non videtur, Virum egregium id agere, ut pleraque omnia, quæ in *XIII Sectionibus* Libri sui exponit, sub finem singularum *Sectionum*, variis curiosis, & maximam partem novis, propriisque, experimentis illustret ac confirmet.

TA-

Insculp

TAB. III ad Nov. Act. Erud. A. 1736. Mens. Maj. pag. 223.

TABULÆ ARGENTEÆ ANTIQUÆ, ANTE aliquod tempus in agro Ducis Sommersettensis effossæ, brevior descriptio.

Quanta Anglici soli ob insignem fertilitatem gloria sit, fugit, opinamur, neminem. Sed cumulatior fit laus alia virtute, uberrimo scilicet præstantissimorum Antiquitatis monumentorum proventu. Passim celebrantur *Camdeni, Horslaji, Musgravii, Battelii, Kempii*, pluriumque Virorum doctorum, qui iis colligendis, publicandisve, operam navarunt suam, nomina. Nec ita pridem prodiit Tabulæ argenteæ antiquæ, in agro hæreditario Ducis Sommersettensis repertæ, æri incisa delineatio, cujus exemplum nacti, ut nostris pariter hominibus innotesceret, iterum ære describendum, sed forma minori, curavimus. Tabula ipsa, 20 pollices in latitudinem, 15 in altitudinem, extensa, ac 148 unciarum pondere librata, imagines Deastrorum, *Apollinis, Vestæ, Cereris, Minervæ*, ac *Dianæ*, figuris supereminentibus exhibet. In altera parte literæ conspiciuntur procul dubio Græcæ, prout ex comparatione cum iis Græcarum literarum elementis, quæ in vetustissimis nummis Græcis comparent, liquet. Non adeo improbabilis videtur conjectura, ante hos fere 2000 annos fabricatam fuisse. Sed sensum istarum literarum expiscari nondum licuit. Tab. III.

JO. GEORG. ESTOR, CONSIL. AUL. PROF. Jur. Ordin. Tribunalis Seren. Saxon. Ducum, quod Jenæ est, Facultatis JCtorum, itemque Scabinorum Collegii, Assessoris, Specimen Juris Germanici, de Jure devolutionis.

Jenæ & Lipsiæ, apud Jo. Frid. Ritterum, 1738, 4.
Plag. 14½.

Habet sane, de quo vehementer gaudeat, & impense sibi gratuletur, Academia Jenensis, dum in sinu suo fovet Virum doctrina & meritis in literariam rempublicam maxime conspicuum, &, sicut in omnibus Jurisprudentiæ partibus versatissimum, ita Juris præcipue Germanici adeo gnarum, ut cum

 præstan-

præstantissimis politissimisque ingeniis summo jure possit comparari. Est ille *Joannes Georgius Estor*, præclari hujus *de Jure devolutionis* Autor speciminis, de quo breviter jam, sed ita, ut ejus præstantiam Lectorum quisque intelligat, sumus dicturi. Qui de hoc Jure copiose olim solideque commentati sunt, eorum scrinia, tantum abest, ut expilanda duxerit Amplissimus Vir, ut id unum sibi sumserit demonstrandum, Jus devolutionis floruisse in Germania nostra, nec hodienum in Thuringia pariter & Hassia ab usu plane recessisse. Ordinis igitur causa quædam monere ipsi visum est *Cap. I* generatim de *Jure devolutionis*, quod ejus ita describimus verbis: *Est successio, qua, altero conjugum defuncto, non tantum hujus, sed etiam superstitis, hæreditas ad liberos, quoad proprietatem, transmittitur.* Variis tamen se exserit modis, & nunc tota hæreditas, nunc ejus tantum pars, ad liberos transit, id quod alicubi fieri solet quoad proprietatem, ut superstiti conjugi ususfructus tantum omnium bonorum relinquatur, quæ uterque conjux jure possedit dominii: alicubi contra tertia patrimonii portio competat liberis, quarta conjugi superstiti cedente. Et, hoc genus ultimum recte quoque ad devolutionem esse referendum, Vir Celeberrimus contendit. Quo facto, *Petri Stockmanni* & *Sam. Strykii* definitiones sub judicium vocat, ipsamque *devolutionis* vocem medio jam ævo non fuisse ignotam, ex magni Chronici Belgici scriptore commonstrat. Apud eundem vero hanc vocem nihil aliud denotare ait, quam certa ratione successionem, quæ vivo adhuc alterutro conjugum, scilicet quod ad proprietatem attinet, obtingit liberis, & non nisi in eorum securitatem inventa est. Hoc igitur Jure conjux superstes proprietatem statim amittit, nihilque præter usumfructum retinet, at perpetuum tamen, adeo, ut bona ejusmodi neque alienari, neque pignori dari, queant a liberis, donec superstes parens decesserit. Quod sequitur, *Caput II de Jure devolutionis in variis Belgii Provinciis conspicuo* exponit. Et in Brabantiæ quidem regionibus, ratione successionis in feudis, Jus devolutionis florere, ex consuetudinibus ejus terræ clientelaribus, &, quod ad res attinet allodiales, ex Jure Lovaniensi, Statutis-

tutisque Mechlinienſibus, oſtenditur; quæ ipſa vero Statuta non adverſantur legibus Brabantinorum clientelaribus. Nec inuſitatum plane eſſe diſcimus *Jus* illud *devolutionis* apud Lovanienſes, in regione Silvæ Ducis, Lyri, Trajecti ad Moſam, Genapiæ, Limburgi, &c. *Caput III Jus devolutionis* probat *in variis Germaniæ Provinciis receptum*, utpote Francofurti ad Mœnum, in ſolo Eppſteinenſi, & Wetteraviæ regionibus, in Haſſia, apud Solmenſes & Thuringos, quæ omnia teſtimoniis ſat luculentis conſpicimus corroborata. *Capite IV convenientiam Juris devolutionis Germanici cum illo, quod viget in Brabantia*, Autor docet Ampliſſimus, & exemplum, illuſtrandi argumenti cauſa prolatum, uberius interpretatur: nec obſtare Juri devolutionis in Brabantia tutorum conſtitutionem, Germanorum legibus interdum præceptam, erudite monet. Tum, Gieſſæ & alibi non mobilia, ſed immobilia ſaltem, devolvi bona poſſe, indicat, &, uſumfructum, quem ipſo devolutionis Jure conceſſum apud Germanos ſcimus ſuperſtiti conjugi, ab uſufructu Quiritium longiſſime diſtare, ſubjicit. Hic enim neceſſario in re aliena, ille, quemadmodum ex Statutis, ab Autore Conſultiſſimo ſupra allatis, apparet, in re propria conſtituitur, & utilis dominii nomine inſigniri poteſt. Et inde quoque diſcrimen elucet inter uſumfructum ex devolutione oriundum, atque illum, quem vulgo Statutarium vocant, propterea, quod hic ſuperſtiti tantum competat in bonis defuncti conjugis, ille vero tam defuncti, quam ſuperſtitis, facultates ſimul complectatur. *Caput V rationes & fundamenta Juris devolutionis* in medium producit. Inter plures ejus cauſas Vir Illuſtris tres eſſe putat præcipuas; ſcilicet mirum in liberos amorem, communionem bonorum inter conjuges & liberos in Germania, & ſingularem majorum noſtrorum curam, avita bona conſervandi. Quanquam vero devolutionis Jus invito eripiat de rebus diſponendi ſuis poteſtatem, acquæſtumque conjugum æquis dividat partibus, imo etiam ſuperſtiti conjugi viduitatem imponat perpetuam; non ideo tamen iniquum hoc poſſe dici, verbis *Jo. Tob. Hoffmanni*, Viri Clariſſimi, oſtendit Autor noſter laudatiſſimus. Idem, *fruſtra in Jure Civili Jus quæri devolutionis*, *Capite VI* evincit, &, delibata

 de

de ſecundis Romanorum nuptiis doctrina, illud ipſum neque derivari ex legibus Romanis, præſertim ex *l. 3 C. de Secund. nupt.* neque ex ſecundarum nuptiarum pœnis, neque ex *l. 25 §. 1 de his, quæ ut indign. auſer.* probari poſſe, contendit. *Caput VII* diſquirit, *an Jus devolutionis ceſſet in diſpoſitionibus inter vivos, in teſtamentis, & pactis dotalibus,* item *an perſonæ honoratæ, & privilegio gaudentes, Juri quoque eidem ſint obnoxiæ.* Illud negat Autor, hoc affirmat, niſi quidem a ſenatu poteſtatem legiſlatoriam non habente Statutum ſit ſancitum, quo caſu Jure devolutionis non obligari perſonas honoratas, perſuaſum ei eſt. Succedit *Caput VIII*, quo *concluſiones varias, easque practicas, & e Jure devolutionis fluentes*, addit Illuſtris Autor. Sic v. g. ex *Pauli Chriſtinæi* Concluſionibus docet, ſupremum Brabantiæ Concilium pronuntiaſſe, nec bona acquiſita, nec devoluta, imputari poſſe in legitimam. Porro obſervat, conjugem ſuperſtitem, ad vota accedentem ſecunda, vi devolutionis tutelam amittere, ita quidem, ut nullum inter patrem matremve diſcrimen ſtatuatur. *Caput IX* & ultimum commemorat *ea, quæ Juri devolutionis ſunt affinia.* Pertinet huc bonorum aſſignatio, a conjuge ſuperſtite primi liberis matrimonii facienda, quod apud Amſtelodamenſes, Zutphanienſes, Medioburgenſes, &c. uſu receptum ſcribit Celeb. Autor: nec minus ad hoc referri *Caput* debet jus recadentiæ, ſeu Brabantina ſucceſſio; & denique jus revolutionis, quod in terris adhuc vigere Juliacenſibus, abunde conſtat, & in eo conſiſtit, ut bona hæreditaria immobilia ab inteſtato recidant & revolvantur ad hæredes defuncti, huic gradu proximos. Atque hæc eſt ſumma Opuſculi, præclara referti doctrina, quod maximam ſine dubio reportabit laudem a patrii Juris amatoribus, eoque ipſo ſtimulos admovebit Ampliſſimo *Eſtori*, ut, quam huc usque ſcriptis ſuis ſtrenue navavit patriæ operam, eam nec poſthac intermittat, quin potius obſcura illuſtrare, parum recte dicta emendare, tenebris fere ſepulta Juris Germanici monumenta in lucem protrahere, pergat, ſpartamque ſuam ulterius cum plauſu ſuſtineat, & feliciter exornet.

J O.

JO. EBERH. RAU, S. THEOL. PROF. PUBL. Monumenta vetustatis Germanicæ, ut puta, de Ara Ubiorum in C. Corn. Taciti Lib. I Annalium Libri duo; tum de Tumulo honorario Caji & Lucii Cæsarum in confinio Ubiorum & Treverorum Liber singularis; cum Figuris æri incisis.

Trajecti ad Rhenum, apud Herm. Besseling, 1738, 8.
Plag. 12.

Priscarum gentium instituta investigare, multa cum jucunditate pariter ac utilitate conjunctum esse, nemo facile diffitebitur. Sed vero, qui in peregrinorum populorum antiquitatibus rimandis operam tantum atque studium suum ponunt, idem faciunt, quod illi, qui, dum apud exteros versantur, omnia studiose lustrant, quæ vero domi aguntur, tanquam quotidiana, absque ulla cura prætermittunt. Ab his se longe alienum ipso opere profitetur doctissimus elegantissimæ hujus Commentationis Autor, qui, cum antehac in nonnullis Antiquitatum Judaicarum capitibus illustrandis fuerit occupatus, industriam suam ad communis patriæ instituta, e tenebris eruenda, laudabili contentione traduxit, talia vero monumenta, luce nova donanda, in præsentia selegit, in quibus & ingenii vires, & diligentiam, per varios prisci ævi scriptores circumlatam, luculenter ostentare posset. Opella hæc in *duas* divisa est *Partes*, quarum prior *aram Ubiorum*, posterior *Cenotaphium Caji* & *Lucii Cæsarum*, sistit. In Præfatione in rationes inquirit, quare priscorum Germanorum res densa nocte sepultæ jaceant. Causas allegat partim Compendia, ex majoribus voluminibus compilata, quæ, ubi avidius legebantur, in causa exstiterunt, ut primi fontes neglectui haberentur, tandemque ipso situ perirent; partim invidiam Romanorum, ægre ferentium, ut res Germanorum, adversus ipsos strenue gestæ, in Commentarios referrentur, ne quid laudi suæ virtute Germanorum, qua superiores sæpe exstiterunt, detereretur: unde factum suspicatur, ut, quæ *Livius*, itemque *Plinius*, de bellis Germaniæ sunt commentati, prorsus interciderint; partim quod scriptores, veri amantes, res

a laudis gloria ſejunctas perſcribere auſi non fuerint, quamdiu vel ipſi Autores, vel ipſorum poſteri, potentia florentes, ſuperessent; partim denique, quod defuerint, qui voluminoſis ſcriptis, calamo iterandis, ſumtus ſuppeditare voluerint. Quarum aliæ patriæ noſtræ, aliæ omnem priſcam, hiſtoriam ſpectant, quare in illa tam notabiles defectus offendantur. Quo autem viam ſibi ad Ubiorum aram muniat, *Libro I* de *Ubiis*, eorumque regione ac finibus, diſſerit. Hos ortu Germanos fuiſſe, ac ab antiquiſſimis retro temporibus in Suevorum finibus cis Rhenum ſedes ſuas habuiſſe, inde Suevorum Cattorumque excurſionibus fatigatos, imperante *Auguſto* A. ab U. C. 745 in ulteriorem Rheni ripam conceſſiſſe, ac, quicquid terrarum inter Moſam atque Rhenum ſitum fuit, occupaſſe, priſcorum ſcriptorum autoritate
Pag. 4-6. ſuffultus, docet. Illorum terminos, uti ex *Cæſare Bell. Gall. Lib. V* appareat, verſus Treveros clauſiſſe *Marcodurum*, (hodie *Duren* dictitatum,) quaſi *Mark-Duren*, ab antiqua voce Germanica, *terminum* deſignante, vel *Marckt-Duren*, a *nundinis frumentariis*, quæ hodierno adhuc die perdurent, appellatum. Ceterum Ubiorum civitatem fuiſſe *magnam & potentem*, ſed *transrhenanis gentibus*, ut ait *Tacitus Hiſt. IV, 63*, ob amicitiam cum Romanis inviſam, quorum agrum fertiliſſimum deſcribit *Plinius*
6-8. *Hiſt. Nat. XVII, 8.* Ubios hos, in tutelam a *M. Apri ppa* acceptos, poſt intra urbem a *Julia Agrippina*, illius nepte, conjuge *Claudii* principis, *Germanici* filia, cognominatam, quo adverſus hoſtium vim tuti eſſent, receptos, *Agrippinenſes* nuncupatos fuiſſe. Quod vero Ubiorum oppido, antequam Romanorum colonia fieret, nomen fuerit, tacentibus Romanorum
8-12. ſcriptoribus, dici non poſſe; niſi forte *Urſtadt*, vel *Ubierſtadt*, fuerit, quem ad modum vici aliquot cis Rhenum in regione Ubiorum veteri antiquo nomine hodierno adhuc die gaudent. Succedentibus temporibus, cum Romæ rerum potiretur *Veſpaſianus*, in Uliorum regione bellis Germanicis innotuere loci *Tolpiacum*, *Bonna*, *Noveſium*, *Gelduba*, *Vetera caſtra*. *Tolpiacum*, quod *Tacito Hiſt. IV, 79*, in finibus Agrippinenſium ſitum fuiſſe memoratur, vernacule dictum fuiſſe *Zulpich*, hodie *Zulich*, Romanis literam *Z*, ipſis aſperiorem viſam, cum *T* commutan-

mutantibus. *Tolpiacum* hoc omni tempore ob eximiam amplissimamque circumjacentis agri planitiem, *Martis* palæstram, Pag. 12-14.
potissimum *Clodovæi*, Francorum Regis, præliis cum Alemannis, Sec. V exeunte, clarum exstitisse. *Bonnam*, olim vicum, vallo ac muro instar oppidi a milite Romano in usum castrorum primæ legionis cinctam fuisse. *Novesium*, vernacule *Neus*, esse oppidum hodie haud obscurum Archiepiscopi Coloniensis. In *Veteribus castris* hibernasse quarta Romanorum castra, quæ, quia dudum munita fuerint, nomen *veterum* adoptasse, nisi quis a *veteribus militiæ*, quæ locutio *Tacito* haud infrequens, dicta malit. In Ubiis pariter inclutam exstitisse *Asciburgium*, 14-15.
quam ab *Ulysse* errabundo secundum tritam fabulam conditam fuisse, tradit *Tacitus Germ. Cap. 3.* Loco huic nomen adhæsisse censet Autor ab *Heso*, Marte, cui ara ibidem loci excitata, quod nomen fluxerit ab ἀζηζος, Syris עזיזא, quo Mars, ob insignem virtutem ac virium præstantiam, sit nuncupatus, ex Syris autem superstitionem in ceteras fere orbis partes dimanasse. Nomen hoc adhucdum in pluribus Germanicarum urbium appellationibus superesse, *Assenheim*, *Asberg*, *Eschweyen*, *Eschbach*, *Eschweiler*, & sic in aliis. Hodierno adhuc die prope Mœrsam superare oppidum *Asburg*, quod rudera antiquissimi castelli referat. *Geldubam*, non longe a Rheni ripa, via recta inter Nove- 17-19.
sium & Asciburgium, cum *Cluverio*, quanquam paulo inferius, ex adversa regione *Ruræ*, ubi Rheno se miscet, constituit. Enarratis 19-25.
præcipuis Ubiorum oppidis, locos aliquot *Flori*, itemque *Taciti*, terras Ubiis vicinas spectantes, partim illustrat, partim emendat. 25-37.

Lustrata Ubiorum terra, *Libro II* de *Ara Ubiorum* sermonem facere incipit, & quidem, posteaquam quædam de fide *Taciti*, ejusdemque in historia Germanica peritia, præmisisset, duos lo- 38-40.
cos, in quibus aræ hujus mentio injicitur, *Annal. I, 39 & 57*, in medium profert. Inde quærit, ubi loci ara hæc steterit. *Bonnam* nonnulli nominant, causati, regionem hanc olim insedisse Ubios, & Divum *Maternum*, viduæ Nainiticæ filium, dum cœlestem doctrinam his oris inferret, circa A. C. 70 hanc ipsam aram, uti fama fert, subvertisse. Sententiæ huic intercedit Noster, si quid etiam doctrinæ Christianæ Galliam Germaniamque pervaserit, Ubios tamen ab avita religione publice desciscere ausos

sos

ſos non fuiſſe, veritos Romanorum iras, quibus religio Chriſtiana *deteſtabilis ſuperſtitio Tacit. Ann. XV, 44*, habebatur, a quorum gratia omnis ipſorum ſpes, omnis incolumitas, pendebat. Nec videri Ubios ante Seculum IV Chriſtianorum ſacra admiſiſſe, quorum Epiſcopus, cui nomen *Euphrata*, Concilio Sardicenſi innotuerit. Quod autem argumentum pro ara, Bonnæ

Pag. 40-42. ſtructa, ex proxime ſequentibus verbis *Taciti* affert *Campius*, illud ſub judicium vocat, idemque ex iis, quæ locum circumſtant, refellit. In eam potius propendet ſententiam, in illa parte

42-44. Rheni aram, antiquitus patrio Numini dicatam, conſtitutam fuiſſe, quam ipſi poſtea, flumine transmiſſo, reliquerint. Nec eſſe, quod quis dicat, citeriorem Rheni ripam coluiſſe populos, qui & Romanis & Ubiis infeſti exſtiterint. *Jubones*, ſive potius *Jugones*

44-47. & *Mattiacos*, Romanis ſocietate & clientelæ beneficio junctos fuiſſe. Nomen autem *Jugonum* depravatum eſſe ex *Vibonum*, quod idem eſt ac vernaculum *Weyben*, voce *milvos* denotante, ita di-

47-49. ctorum, vel ob rapacitatem ſuam, qua vicinos infeſtabant, vel quod *milvi* ipſis eſſent pro inſignibus, a ferarum autem imaginibus, quas cohortibus ſuis prætulerint, non abhorruiſſe, teſtimonio *Taciti Hiſt. IV, 22*, confirmat. Inde ortum eſſe nomen proprium *Wibo*, quo primus Osnabrugenſium præſul fuerit appellatus, item *Wichbold*, *Wigbert*, & *Wichard*, nomina autem Germanorum in *o* & *on* deſiiſſe. His diſceptatis, religionis veſtigium aliquod in appellatione urbis *Deutz* ſe reperiſſe arbitratur, quæ vox

49-52. deſcendat ex *Tuiſco* vel *Teuto*, Ægyptiis Θωυθ vel Θωθ, Germanis *Theut*, vel *Deut*, aut *Diet*, (unde *Detmold*, *Diedenhofen*, *Dietz* pro *Thietz*,) quo nomine deſignarint priſci Germani *Mercurium*, alias *Wodan*, ſeu *Godan*, *Gott* per excellentiam a ſui cultoribus appellatum. *Mercurium*, *Martem*, ac *Lunam*, priſcos Germanos religioſo cultu proſecutos eſſe, veterum Inſcri-

52-56. ptionibus probat. Apud *Gruterum Inſcript. pag. 54 altegium* eſſe pro *attegium*, quam ipſam vocem habet *Juvenalis Sat. XIV, 196*, & eſſe ex Arabico الطخية, *umbraculum*, *tentorium*, a rad. طخي, *expandit*, inde in veteri Gloſſario *attegiæ σκηνοπηγια*: notare igitur privatam ædiculam *Mercurio* poſitam.

56-61. Aram hanc, *Auguſto* Imp. in Deorum turbam populari adulatione poſt fata evecto, ſacratam fuiſſe, conjectaverat *Lipſius*,

ſed

ſed hujus ſententiam argumentis, ex narrationis *Taciti* ac Hiſtoriæ Romanæ viſceribus depromtis, ita configit, ut apud Noſtrum veritas ſtare videatur. Aras utplurimum conſtitiſſe refert Pag. 61-67.
lapide ceſpiti impoſito, aliquando ſtructuræ artificio ſuperbiviſſe, viderique hanc Ubiorum aram reliquas & mole, & ædificii præſtantia, antecelluiſſe. Ad illam procul dubio *Druides* ſacris 67 ſeq.
operatos fuiſſe, & humanis ſacrificiis vacaſſe, ad illud tempus usque, quo *Auguſti* ac ſequentium Imperatorum edictis immanitate iſta abſtinere ſunt juſſi, reliquis Germanis, Saxonibus maxime, humanarum hoſtiarum uſum ad illam tempeſtatem retinentibus, qua Chriſtianis ſacris ſunt initiati. Habuiſſe etiam 68 ſeq.
majores noſtros fœminas fatidicas, ex quibus *Tacitus* memorat *Abruniam* atque *Velledam*, cui ſucceſſit *Ganna*, cujus impoſturæ cum in proverbium abiiſſent, Langobardos in Latium intuliſſe verbum *gannare*, nunc *ingannare*, id eſt, *fallere*, *fraudes* 69 ſeq.
conſuere; Latinis medii ævi ſcriptoribus eſſe *ſubſannare*. *Claudiam ſacratam*, quacum Cerialem ſtupri conſuetudinem habuiſſe, ex vulgi fama narrat *Tacitus Hiſt. V, 23*, fuiſſe ſacerdotem collegii, in Colonia Agrippinenſi *Claudio Cæſari*, in Deorum concilium cooptato, conſtituti, vel ſic dictam fuiſſe, quod patrio Deo ſacrata, præcipuæque nobilitatis fuerit, quam Cerialis conſuluerit, cuique dona tulerit, prouti Germani, re feliciter geſta, *Velledæ* facere fuere ſoliti. Ex dictis conficit, *Segimundum* e Druidum numero, inque Gallia horum inſtitutis innu- 70 ſeq.
tritum, fuiſſe, quod poſtea in morem fuerit verſum, ut hinc etiam ortum traxiſſe exiſtimet conſuetudinem, qua, qui Canonicatum eccleſiæ cathedralis Monaſterienſis ambiunt, Pariſios ſtudiorum ergo mittantur. Dum autem Romani principes juvenes ex Germanis in provinciis ſuis ampliſſimis ſacerdotiis ornatos voluerunt, multa vafritie uſos fuiſſe, quo ſic & ipſos, & ipſorum parentes, ſibi obſequentes, ſuisque commodis addictos, haberent.

Poſteriori Commentationi occaſionem dedit iter, quod non 71 ſeq.
longe abhinc Cl. *Rau* verſus Eifaliam in Comitatum Manderſcheidenſem direxerat, ubi ex illis, qui non procul a caſtello Junckerrath in officina ferraria operi ſuo inſiſtebant, intellexit, monumentum aliquod vetuſtum trans Kyllam fluvium in

Comitatu Cranenburgico non multis passibus inde abesse. Quo digressus, in media convalle offendit aram rotundam 300 circiter passuum, totam coæquatam supra circumfusam humum paululum elatam, aggere circumdatam, cui impositæ bis senæ turriculæ e cæso lapide, latæ 8 pedes. In centro areæ conspexit ruinas ædificii triquetri, cooperti ruderum mole & dumetis, fabricati e cæso lapide miræ magnitudinis, cujus latera singula habuerint ferme pedes 20. Inferne patuisse ait cryptam fornicatam, ante aliquot annos spe reperiundi thesauri effractam. Non procul ab ædificio animadvertisse saxa solo immissa, triquetro ordine posita, quibus totidem pilæ superstiterint, ad sepem circa monumentum firmandam exstructæ. Cumprimis memorabilis ipsi est visus lapis quadrangularis, e ruderibus effossus, vetustate hinc inde exesus, longus pedes Rhenanos quatuor, latus tres, crassus unum, in quo antiquo artificio incisum exhibebatur vehiculum bijuge, quatuor rotis instructum, quod auriga, manu tenens flagellum, agitet, tribus insidentibus togatis, duobus sellæ anticæ, tertio posticæ, illa antrorsum, hac retrorsum versa, ex illis unum ad lævam habere caput laurea redimitum, reliquos non item. Addit, ibidem locorum multos numos subinde ab accolis effodi, quorum aliquot cum effigiebus *Domitiani*, *M. Antonini Commodi*, *Alexandri Severi*, ex ære conflatos, nominat, eorundemque inscriptiones exoletas ex parte supplet.

Pag. 76-79. Ex his efficit, esse hoc ædificium antiquissimum, vel ab Romanis constructum, vel alicui procerum illorum a Galliarum civitatibus dicatum. Totum apparatum speciem tumuli honorarii, sive cenotaphii, præ se ferre judicat, nec affirmare ullus dubitat, aream hanc cum aggere clypeis ab exercitu, uti moris erat, in memoriam *Caji* & *Lucii*, nepotum *Augusti*, prænaturo fato exstinctorum, congestam esse. Figuram in lapide sculptam repræsentare solennem illorum deductionem in forum, ab avo factam, quo die togam virilem sumserint, quoque ipso Consulatus honos ipsis fuerit decretus. *Augustum* exhiberi caput lauro redimitum, hos non item, quoniam Cæsares hoc honore destituebantur. Circa cenotaphium in area milites quotannis stato die decurrisse, ludosque in gloriam defunctorum celebrasse: proximas vero civitates Galliarum, inque his Ubios

atque

atque Treveros, ad aras cryptæ impositas de more rem divinam fecisse. Inde *Cap. II* prædicat singularem *Augusti* in nepotes Pag. 79-84. gratiam, quos ambos in cunis adoptaverit, semperque in deliciis habuerit, ac per gradus ad summum honorum apicem evexerit, ex quibus *Cajum* pontificem, *Lucium* augurem, declararit, quod inscriptionibus, itemque numis, probat, quibus denique in ludis Circensibus hunc honorem habuerit, ut primi in primo gradu 85-89. sederent. Nec in eo substitisse favorem *Augusti*, verum, quo illos summo imperii fastigio destinaret, in forum summa cum pompa deduxisse, amplissimis donariis inter milites distributis, remque eo deduxisse, ut primo quidem *Cajus*, inde vero *Lucius*, a senatu populoque Romano *princeps juventutis* appellaretur. Fiebat au- 90 seq. tem illa solennis in forum deductio a principe quodam viro, vel parente, vel propinquo, comitantibus agnatis & universa familia, parentum amicis & clientibus; munera dabantur plebi, militibus, equitibus: inde vero ex foro in Capitolium deducebantur, pro iisdemque vota nuncupabantur, & victimæ cædebantur; nec dubium esse, addit, quin vota pro *Cajo* & *Lucio*, publice suscepta, 91-95. quotannis die tirocinii fuerint repetita. Ex his jam explicat figuram, in lapide expressam, &, vehiculum ex essedorum genere 95 seq. fuisse, ipsi valde sit probabile. Hi cum rei militaris scientia ab *Augusto*, teste *Suetonio Cap. 64*, probe innutriti essent, ad imperii provincias & exercitus sunt ablegati, &, quod fidei est propius, Treverorum quoque atque Ubiorum civitates adierunt, prudenti admodum consilio, quo provinciarum studium, quibus aliquando summo cum imperio præfuturi erant, sibi adjungerent. 96-98. Post hæc *Cajum*, proconsulari potestate eminentem, avus misit in terras, orientem solem spectantes, tantæque virtutis ac fortunæ documenta dedit, ut Armeniam, a Parthis occupatam, reciperet, ac eidem, ejecto *Tigrane*, quem Parthi Regem constituerant, *Ariobarzanem*, origine Medum, præficeret. Profectionem hanc in annum ætatis illius 19 incidisse, cum *Usserio* existimat. *Lucium* missum quidem in Hispaniam esse, sed aliquid laude 98-104. dignum non patrasse, docet. At vero uterque in pleno fortunæ ac honorum cursu præmaturo fato est oppressus, *Cajus* Limyræ in Lycia, *Lucius* Massiliæ, cum Hispaniam peteret, ex morbo decessit, sed suspicio erat, insidiis *Liviæ Drusillæ* & *Tiberii*,

 pri-

Pag. privigni *Augusti*, sublatos fuisse, quo in hunc imperii dignitas ali-
104-106. quando transferretur. Corpora inde Romam delata, eademque ipsa in campo Martio sunt concremata. Quo autem memoria horum quam maxime longa redderetur, & cives suum in *Augustum* animum atque obsequium testarentur, passim cenotaphia, ut Pisis in Etruria, Emesæ in Syria, sunt constituta, quorum pietatem ut Ubii atque Treveri imitarentur, satis graves habuerunt rationes, quos *M. Agrippa*, pater horum, adversus impressiones popularium Germanorum tutos præstitit. Quid
106-109. *κενοτάφιον* fuerit, ex *Suida* definit, more a Persis tracto, qui, teste *Xenophonte Lib. VI Exped. Cyri*, militibus, quorum corpora reperiri non poterant, inane sepulchrum statuerunt, quorum cryptis aræ superstabant, quibus thura dabantur, non aliter, ac si
109 seq. veri tumuli essent. Prope cenotaphia principum ac ducum belli exercitus equites juxta ac pedites, sinistro ordine, ac versis signis, ter in ordinem decurrere solebant, ludi celebrabantur, victoribus præmia decernebantur, epulæque apparabantur, unde *novendiale sacrum* dicebatur, gladiatorum denique paria
110-112. committebantur. Sepes circumponebatur diversa e materia, area aliquando, aggere munita, pura relinquebatur, ut turba atque vis excluderetur, quod in solitudine maxime necessarium erat, propereaque *monimentum* sive *munimentum* dicebatur, columnis etiam Romanorum illustrium sepulchra cinge-
112-114. bantur. Quæ generatim de cenotaphiis dixerat, ad institutum suum accommodat. Duodecim turriculi respondent ex Autoris mente totidem carceribus in circo, cœlum designantibus & solis cursum per totidem domos. Circum institutum fuisse docet ad celebrandos ludos, in medio circumlatas Deorum aras, quorum simulacra, thensis gestata, circumducta fuerint. Apparatum tumuli *Caji Lucii*que cœlum retulisse, in quod defunctorum manes, inter Deos recepti, intromissi crederentur, quibus tanquam Deis ludi anniversarii ac sacra in aris positis fuerint facta. Inde, qui ex Imperatoribus consecratis procreati erant, *divorum*
114-117. *filii* appellabantur. Areæ autem huic, tumulo circumjectæ, procedente tempore cineres primorum e nobilitate Romana virorum videri illatos, cum cenotaphia veteribus religiosa non haberentur. Ipsum id apparere ex numis, arcis, urnisque sepul-

chra-

chralibus additis, quæ tempus & annum conditi cadaveris posteritati ostendebant. Tandem ad appellationis Junckerrath rationem indagandam se convertit, cui forte tumulus iste occasionem præbuerit, quandoquidem *Juncker* Germani *juvenem nobilem* olim dixerint. Adjectum *Rabt* vel *Rade* inferioris Germaniæ incolis idem esse, quod *Rode* Germanis superioribus, quod in pluribus locorum nominibus adhuc supersit. Quæ vox, si orta ex prisca lingua Celtica, quæ affinitatis multum habeat cum Latina, quibus, notante *Festo, rudus, raudus,* vel *rodus,* rem quamlibet rudem & imperfectam designabat, & ad æris massam, vel terram aggestam, vel lapidum fragmenta rudia, transferebatur, *Rode* Germanis notabit locum saxosum ac lapidum ruderibus obsitum, aut in quo aggesta terra, quod monumento huic quam commodissime applicari queat. Si vero vox *Roden* eo sensu accipiatur, quo in pago Abbatiscellensi, pro civium *conventibus collegiis*que minoribus in vicis aut villis, *Junckerrath* denotare posse *nobilium concursum*, inferiarum ergo olim factum. Postremo illos, qui contra ipsius sententiam ad silentium scriptorum antiquorum provocaturi essent, ad plures alias res ablegat, de quibus nil quidquam sit perscriptum. Sic igitur præcipua momenta elegantissimæ hujus Commentationis enotavimus. Locus *Taciti* de ara Ubiorum accuratiorem utique considerationem merebatur, eo maxime, quod interpretes illum sicco fere pede præterierunt, nec *Schedius*, ad cujus tamen institutum spectavisset, quidquam affert, præter *Jul. Cæsarem Mercurio aram in Gallicis erexisse, quæ demum a D. Materno eversa fuerit, de Diis German. Syntagm. Lib. I Cap. 6 edit. Amstelod.* In explanando cenotaphio ea affert, quæ ad morem *tumulorum inanium,* uti *Virgilio* dicuntur, proxime accedunt. Num illorum origo a Persis sit repetenda, dubium forte cuidam videri possit, cum Argivi jamdum, qui in bello Trojano occubuerunt, tumulis honorariis *Pausaniæ* honorati dicantur. Vid. *Jo. Meursius ad Lycophr. V, 370, pag. 64.* Verisimile nobis videtur, vel *naufragos*, vel *milites*, quorum corpora haberi non poterant, vacuis sepulchris condendis occasionem præbuisse, quo sic manes passim errantes ad quietem suam reducerentur, ac sepulchro, ut ipsi existima-

Pag. 117-118.

118-120.

mabant, conderentur. Prius videtur apparere ex iis, quæ *Lycophron* in *Alex. v. 365 seq.* habet, posterius ex verbis *Nisi* apud *Virgilium Æn. IX, 211-215.* In utraque harum Dissertationum Cl. Autor tantum doctrinæ, quantum peritiæ in tractandis rebus, a memoria nostra remotis, ostendit. Miramur etiam elegantem veterum scriptorum lectionem, & illos invicem confligendi dexteritatem, quorum & locos nonnullos, occasione ita ferente, illustravit, alios emendavit, ut optandum sit, plures istiusmodi ingenii fœtus, quibus antiquitates patriæ luce nova collustrentur, vel ab ipso eruditissimo Autore, vel ab aliis, cum orbe literato communicari.

DELLE POESIE VARIE, &c.

h. e.

CARMINUM VARIORUM PATRIS MAgistri JOANNIS CHRYSOSTOMI SCARFI, Doctoris Theologiæ Basiliani, Pars prima, inscripta Illustrissimo Domino JACOBO VICINELLIO, Romano, a Secretis Majest. Cathol. Cæsar.

Venetiis, typis Modesti Fenzi, 1737, 4.

Alph. 1 plag. 6.

Jo. *Chrysostomus Scarfo*, doctrinæ Vir prorsus excellentis, nobis indictus abire non debet. Ipse enim dotibus & ingenii & animi per universam Italiam, reliquasque orbis cultioris partes, illos, quotquot de ingeniis virtutibusque judicare poterant, in sese convertit. Exstitit enim nunquam non muneribus gravissimis eximius, scientiarum ac eruditionis nomine clarus, perhumanus, affabilis, modestus, omni veneratione dignus, Orator, Poeta, Philosophus, Mathematicus, Historicus, Antiquarius, Diplomaticus, ac Theologus, utens stilo tersissimo, tum Latino, tum Italico. Ipse ortum traxit ex præclara Polistinæ civitate. Per annos undecim *Herculis Michaelis de Aragonia*, olim Episcopi Milesii, in Calabria ulteriori adjunctus fuit servitio, functus simul munere Examinatoris Synodalis in ea Diœcesi, nec non Lectoris Eloquentiæ & Philosophiæ in Seminario Clericorum Milesio, annualisque Concionatoris ad illud templum cathedrale, ac Confessionarii. Fuit Vicarii generalis Cæsarei in provincia jam commemorata

Mar-

Marchionis de *S. Georgio*, Principis ſacri Romani Imperii, a confeſſionibus ſacris. Capellanus regius, Conſiliarius intimus, Bibliothecarius, & Hiſtoriographus, *Joannes Dominicus Milanus*, ſuaſor ei exſtitit, ut Opera ſua luci publicæ impertiret. Scripta autem ejus hæc ſunt: *Lettera religioſa*, Neapoli, 1703, 16; *La Teofilangiola* ad ſororem *Angiolam*, Dei amicam, Venetiis, 1710; *Speculum Marianum*, continens laudes Sanctæ *Mariæ* Virginis, Neapoli, 1700, 8; *Propoſitiones philoſophicæ*, Meſſinæ, 1700, 8; *Concluſiones phyſicales ad mentem Divi Baſilii*, Neapoli, 1705, 4; *Lectiones neophyſicæ*, Venetiis, 1705, 12; *Speculum, verum oſtendens juxta modernorum diſputantium philoſophica principia, ſeu demonſtratio falſitatum, a Domino N. N. Aluminis N. N. oppoſitarum*, Venetiis, 1706, 16; *Scoti Logices breviloquium*, Romæ, 4; *Sacra philoſophemata*, Romæ, 8; *Analyſis philoſophica ad mentem Damaſceni*, Romæ, 4; *Idea theologica*, Romæ; *Analyſis theologica ad mentem Damaſceni*, Romæ, 4; *Sacra ſtromata theologico-dogmatica, ſcholaſtica, & moralia*, Romæ, 8; *Elogio del P. Benedetto Leoni da Seminara Cappucino*, Neapoli, 1715, 12; *Vari Elogi di Servi di Dio*, Neapoli, 1716, 12; *dei vari Opuſcoli*, P. I Neapoli, 1722, 8, P. II Panormi, 1724, 8, P. III Neapoli, 1727, 8; *Lettera, in cui ſi dà ſaggio sì della creazione, come della natura dei mondo*, Meſſinæ, 1730, 8. Plurimis Italiæ Academiis fuit adſcriptus. Venetiis nuperrime prodiit ejus *Diſſertatio theoſophica de Amore ac Pulchritudine, de Corpore, Anima, Angelo, ac Deo.* Opuſcula ejus poetica in *tres Partes* ſunt diviſa. *Prima Pars* complectitur *Tragædias decem*, nempe *Electram, Bacchas, Hippolytum, Medeam, Cyclopa, Phœniſſam, Prometheum, Jeſum Chriſtum, Plutum, Nubes, Odyſſeam*, in *XII Libros* diſtributam, *Argonautica, Ranarum Murumque certamen.* *Secundæ Parti* inſunt *Luſus varii, Luſus ſacri, Animæ Deum amantis vota, poetica in mundi amorem parænesis, Seraphici affectus S. Franciſci Aſſiſinatis erga Jeſu Chriſti crucem, ejusque crucifixionem, & Canticum Canticorum Salomonis jambicis dimetris expreſſum.* *Tertia* ac poſtrema *Pars* continet *Carmina pro Nuptiis Priami Legii cum Cornelia ex Auguſta Corneliorum Romana familia, Luſus poeticos*,

cos, Epigrammata ſacra, Odas myſticas, & *Luſus poeticos*. Hæc Opuſcula in præſens judicium noſtrum flagitant. Maxima pars eorum eſt Latine elaborata, licet inſcriptio ſit Italica. Inſertæ ſunt paſſim Elegiæ, Eclogæ, inſcriptio ſepulchralis, pia Eccleſiæ catholicæ pro pace deprecatio, duo Carmina in *maledicentiam otioſorum*, Oda in filiæ *Jephtæ* exitum, & alia. Adduntur in fine notitiæ aliquot hiſtoricæ, ad Autoris vitam laudesque referendæ. Si dixerimus, genus ſcripturæ eſſe purum & ornatum, perſonarum rationes recte fuiſſe habitas, eventus ſeriei viciſſitudinum ſatis commode congruere, numeros ubique cum diligentia fuiſſe obſervatos in hiſce Tragœdiis, nil affirmabimus a veritate alienum. En ſpecimen ex *Capite I Cantici Canticorum*:

v. 1. Tot expetitus ſeculis,
Tot prædicatus patribus,
Tot ante dictus gentibus,
Tot nuntiatus literis,
Tot perſonatus vatibus,
Tot lineatus formulis,
Tot concupitus angelis,
Nunc ille me frequentibus
Suimet oris oſculis
Exoſculetur ſuaviter.

v. 2. Dulces amores nam tui
Sunt præferendi poculis
Fragrantibusque balſamis.

v. 3. Ut ſis vocandus balſamum,
Se cujus unguen largiter
Partes in omnes funditat.
Et hinc puellæ virgines
Sanctiſſime Te diligunt.

P. II pag. 48 ſeq. *M. Antonii Flaminii* Odæ, in nonnullos *Davidis* Pſalmos concinnatæ, & ſenſum divitem & elegantem ſpirant poeſin. Cœna ubique apponitur dubia, ad quam quin Lectores invitemus, non poſſumus nos continere.

(o)

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii Anno MDCCXXXIX.

Pars I.

LIBANII, SOPHISTÆ, EPISTOLÆ, QUAS nunc primum maximam partem e Codicibus manu exaratis edidit, Latine convertit, & notis illustravit, JOANNES CHRISTOPHORUS WOLFIUS.

Amstelodami, apud Janssonio-Waesbergios, 1738, fol. Alph 9 plag. 18.

Victa tandem temporis iniquitas, expleta non unius Seculi vota, pluriumque doctorum conamina nunc expedita felicissime. Qui enim neglectus olim blattis densoque pulveri colluctabatur, præstantissima sui parte mutilus, fœdus maculis, sibi ipse dissimilis, curis *Wolfii*, Pastoris ad D. Catharinæ Hamburgensis, cari illius nominis & non uno nomine celebrandi, splendidiore habitu, & integræ ferme sanitati, quod ad *Epistolas*, restitutus, prodit *Libanius*. Est certe, de quo non lætentur magis Atticarum venerum studiosi, novum nacti pabulum nutriendis suis deliciis, quam *Libanio* suo talem gratulentur interpretem, qui exquisito quovis ornatu vestire Græce disertissimum Rhetorem, parique facundia & dignitate Latio donare, poterat. Is erat scilicet gravi huic provinciæ sustinendæ inter paucos non impar, cui laudem tanti operis reservare huc usque fortuna voluit, inter omnes dignissimo. Miretur forte, qui *Libanii* dexteritatem in scribendis literis ignorat, tot ejus exstare Epistolas, quæ duas chiliadas excedant, eo contextæ artificio, quod

alter vix imitari ausit; neque sine causa totam hominis ætatem in conscribendis epistolis consumtam fuisse arbitretur, cum procul dubio non paucæ earum injuria temporis perierint. Diu jam id ipsum mirati amplexatique sunt veteres; omnisque orbis politior, *Libanio* coævus, quanta, quæso, animorum contentione commercium ipsius literarium ambiit? Neque defuerunt nostra hac ætate periti harum deliciarum æstimatores, qui cogere ex absconditis quibusque forulorum recessibus, & emaculatum dare, tersissimum scriptorem gestierunt. Primus inter eos fuit *Franciscus Zambicarius*, cujus versio quadringentarum amplius Epistolarum Cracoviæ A. 1504 in forma quarti ordinis prodiit *Sommerfeldii* cura. Hic, interpretationem illam MStam a *Jo. Clymes*, cive & bibliopola Cracoviensi, nactus, argumentis & lemmatibus auctam, prodire jussit. Rara admodum fuit hæc versio. Neque tamen unica hæc causa fuit, cur hic in calce Operis *Wolfiani*, rescissis tamen inutilibus *Sommerfeldii* lemmatibus, recusa compareat. Illustris enim *Rostgardus*, de quo postea plura, Mediolani in Codice Ambrosiano integram Centuriam Epistolarum, ab eodem *Zambicario* conversarum, offendit, quæ nunc primum una cum ceteris, hinc inde ex MSto alio emendatis, lucem videt. Illarum itaque omnium numerus ad 530 adscendit, ex quibus nonaginta tantum in amplissima hac Collectione *Wolfiana* Græce leguntur. Dignæ itaque illæ omnino erant, quæ, quamvis inculta inconditaque utplurimum versione, ob rerum gravitatem, sententiarumque acumen, hic repræsentarentur, atque adeo eruditos ad amplius investigandas omnes Bibliothecarum rimas, & protrahenda *Libanii* Græca, accenderent. Accedit, quod, ejusdem Codicis Ambrosiani beneficio, tres *Zambicarii* Dedicationes nunc primum exhibeantur, quarum ultima de vita fortunaque hominis, vel inter suos plane incogniti, certi quidquam statuere nos docet. Vixit ille, Eques & Poeta laureatus, Seculo XV medio, & *Joannis Argyropuli* ope in Græcis addiscendis usus, Perusii utramque linguam docuit. In Græcia quinquennium exegit, & 1500 *Libanii* Epistolas collegit, hoc consilio, ut omnes Latina civitate donaret. Hunc excepit, quamvis gressu impari, *Aldus Manutius*,

tius, qui inter ceteras Græcorum Epiſtolas *Libanii* & *Baſilii* mutuas non neglexit; quemadmodum *Guilielmus Morellus* Pariſiis tres ſupra centum Noſtri Epiſtolas duabus ſectionibus in 4 edidit. Prioris ſectionis interpretatio Latina, ab Anonymo, & fortaſſe ipſo *Morello*, profecta, ſeparatim prodiit: poſteriorem vero *Anton. Pichonius*, ſucceſſu tamen impari, Pariſiis A. 1567 transtulit. Horum veſtigia preſſerunt *Feder. Morellus*, *Franc. Brummerus*, *Pet. Lambecius*, *Tanaquil Faber*, *Jo. Bapt. Cotelerius*, & *Jo. Albertus Fabricius*, qui ſcripta ſua una vel altera Sophiſtæ noſtri Epiſtola illuſtrarunt. Qui integras earum noviſſime dederunt collectiones, duo ſunt: ipſe Ven. *Wolfius*, & nuperrime *Carolus Jesper Benzelius*, *Erici* filius, qui viginti ejus Epiſtolas e Codicibus MStis Londini Gothorum A. 1735, 4, eo ipſo tempore edidit, quo *Libanius* noſter Batavum prelum exercebat. Quod hi ex parte perfecerunt, id alii provehere tentarunt, quamvis deſtinata non ſint executi. Inter hos ſunt *Leo Allatius*, qui Epiſtolas 264, a *Georgio Lecapeno* ſelectas, deſcripſerat, *Jac. Gothofredus*, & *Davides Clericus*, quorum poſterior A. 1643 Codicis Regii Pariſienſis locupletiſſimi duo paravit apographa, alterum in *Gothofredi* gratiam, in ſuos uſus alterum. Illud ex 1013 Epiſtolis (tot enim Codex Pariſinus exhibet,) tantum 810 habuit, &, notis quibusdam marginalibus *Gothofredi* inſtructum, ex Bibliotheca *Duboiſiana* ad Celeb. D. *Chriſtianum Fridericum Bœrnerum* noſtrum, ex hujus vero dono ad præſtantiſſimum Editorem, pervenit. Hoc vero, *Clerici* proprium, omnes complectitur, quod ex auctione Bibliothecæ *Jo. Clerici* ſuum fecit *Philippus Jac. Dorville*, humaniorum literarum apud Amſtelodamenſes Profeſſor, inſignis doctrinæ & elegantiſſimi ingenii laude celeberrimus. Præter hos *Henricus Valeſius* de *Libanio* bene mereri inſtituerat. Is enim in ſuis ad *Ammianum* notis non ſolum paſſim ad *Libanii* Epiſtolas, penes ſe latentes, provocat, allatis quibusdam earum fragmentis, ſed & conceptis verbis ad *Lib. XII Cap.* 7 earum editionem, Latina ſua verſione inſtructam, promittit. Inter Suecos Viri præſtantiſſimi, *Laurentius Normannus* & *Andreas Palmroot*, conſilia ſua huc retulerunt. Poſterior enim 154 Epiſtolas,

 a *Georg.*

a *Georg. Lecapeno* olim ſelectas, ex Codice Rœlambiano Bibliothecæ Upſalienſis deſcripſit, & cum interpretatione Latina formis deſcribendas reliquit. Tres earundem Centurias *Godofredus Olearius*, noſtræ quondam Academiæ lumen, ex Codicibus Bodlejanis deſcripſerat, publicæ luci deſtinatas. Nec ſegnis in hac opera fuit *Jo. Boivinus*, Græce doctiſſimus, qui, ſe colligendis Noſtri Epiſtolis intentum eſſe, plurimasque earum Latinas feciſſe, in ſua ad *Nicephorum Gregoram* Præfatione teſtatur. Eundem lapidem movit *Ezech. Spanhemius*, quod ex Præfatione ejus ad *Juliani* Opera apparet. Omnium horum induſtriam ſuperavit Illuſtris *Fridericus Roſtgardus*, ſingulare Daniæ decus & ornamentum. Nemo enim tanta cura, quanta hic, in coacervandis *Libanii* monumentis literariis verſatus eſt, nemo fautrice magis fortuna ad premendum inſtitutum ſublevatus. Pariſiis ille, labente ſuperiore Seculo, Codicem Regium Pariſienſem, ceteris copioſiorem, de quo modo diximus, nunc deſcripſit ipſe, nunc periti librarii manu deſcriptum ad αὐτόγραφον exegit. Nec minus reliquos ejusdem Bibliothecæ Codices, atque eos, qui in celeberrimis Italiæ Bibliothecis exſtant, contulit, ut vel eas, quibus ſe inſtructum noverat, Epiſtolas emendaret, vel, quas deeſſe ſibi ſentiebat, ceteris adderet. Mirabuntur lectores ſine dubio numerum Codicum, quibus uſus eſt hanc in rem Vir Generoſiſſimus. In Regia Gallicana octo Codices excuſſit, octodecim *Vaticanæ*, (in qua ſcilicet, teſte *L. A. Zacagnio*, bis mille *Libanii* & amplius Epiſtolæ latent,) quinque *Ambroſianæ*, quatuor *Mutinenſes*, ſeptem *Mediceos*, & quinque *S. Marci* Venetos. E ſectione *Jacobi Golii* tandem ſuum quoque fecerat Codicem, recentem quidem, ſed ſatis bonum, Epiſtolas *Libanii* 39 complectentem. Idem ab *Antonio Maria Salvinio*, Florentiæ quondam ornamento, trecentas amplius Epiſtolas, e duobus Codicibus Mediceis deſcriptas, cum interpretatione Latina acceperat, ita conformata, ut Interpres, Græcum textum preſſe ſequens, nullam fere Latini cultus rationem habuerit. Egregium hunc apparatum apud Illuſtrem *Roſtgardum* Hafniæ præſens olim viderat Ven. Editor, antequam ſuam Epiſtolarum *Libanii* Centuriam ex trecentis illis, quas ex Codicibus

Bodle-

Bodlejanis Oxonii ſua manu deſcripſerat, ſelectas cum Latina verſione & notis ſuis ederet. Illectus itaque his deliciis, continere ſe non poterat, quin, diſtricto gravioribus curis *Roſtgardo*, ſe totius Operis editorem offerret. Non abnuit ille plane. Spe tamen in longum prolata, & injectis aliis remoris, eo res devenit, ut ante ſexennium circiter totus ille theſaurus Bibliothecæ Potentiſſimi Danorum Regis Hafniæ cederet. Stimulos hoc addidit Celeb. Editori, ut ad priſtinum inſtitutum rediret. Nec defuit conatui eventus. Amicitia & interceſſione Illuſtris *Joannis Grammii*, qui inter cetera ſplendida munera Bibliothecæ Regiæ curam hodie ſolertiſſime agit, omnia, quæ huc ſpectabant, obtinet. Spartæ huic ornandæ hæc ferme ſufficere poterant. Sed en! novæ quoque aliunde ſuppetiæ. Præter Bodlejana ſpolia, quæ ſua pridem fecerat *Wolfius*, nonnulla ab amiciſſimo ſibi Viro, *Maturino Veuſſiere la Croze*, huc pertinentia obtinet; *Morellianæ* ſcilicet collectionis apographum, collatum cum ſchedis aliquot *Spanhemianis* & Codice Regio Berolinenſi. Schedæ iſtæ, e *Voſſiano*, ut videtur, Codice deſcriptæ, 82 Epiſtolas continebant: Codex vero Regius, quatuor circiter Seculorum ætate conſpicuus, centum Epiſtolas, ante non editas, ſuppeditabat, quarum pars in *Tomo II* & *III Anecdotorum Græcorum* Vener. *Wolfii* noſtri comparuit. Symbolam quoque contulit Rev. P. *Bernardus de Montfaucon*, ſubminiſtratis ex Codice *Coisliniano* aliquot, quibus carebat, Epiſtolis. Quo uſum etiam aliquem haberet Codicum Vindobonenſium, quos *Petr. Lambecius* in Commentariis ſuis commemorat, effecit humanitas Illuſtris *Pii Nicolai Garellii*, Archiatri, Conſiliarii, & Bibliothecarii Cæſarei, ſtudiumque Viri humaniſſimi, *Chriſt. Frid. Treſenreuteri*, nunc Profeſſoris Theologi Altorfini, tunc temporis vero Suecico ad Imperatorem Legato a ſacris. Is enim, quia Codices illi nullas habebant, quas deeſſe ſibi videret, Epiſtolas, initia tantum Epiſtolarum & inſcriptiones communicavit. Nec minus Vir meritis in ſacras literas maximus, *Ericus Benzelius*, Præſul hodie Lincopienſis, duos quoque Codices manu exaratos impertiit, unum *Jo. Meurſii* olim, alterum *Eliæ Obrechti*. *Meurſianus* Epiſtolas 282 continebat. Has deſcri-

 pſerat

pserat *Obrechtus*, insertis & adjectis aliis 116, quarum copiam fecerat Codex *Rælambianus* Bibliothecæ Academicæ Upsaliensis. Verum hæ suppetiæ sero nimis advenerunt, & maximam partem in Additamentis locum obtinent. Lipsia Vir Magnificus, D. *Christian. Frider. Bœrnerus*, illud, quod supra diximus, *Davidis Clerici* apographum, in *Gothofredi* gratiam factum; Amstelodamo vero præstantissimus *Dorvillius* apographum *Salvinianum* trecentarum amplius Epistolarum, ex libris Mediceis haustum, transmiserat. Eruditissimus denique *Hermannus Samuel Reimarus*, Gymnasii Hamburgensis Professor, usum apographi sui, quod ex Codice *Vossiano* Leidensi fecerat, concessit. En origines æterni Operis! En adminicula certe egregia, quibus si domesticam *Wolfii* eruditionem jungas, num perfectius quidquam aut excellentius desideres? Jam ipsum Opus aliquantum inspiciamus. Præfatio quatuor Capitibus absolvitur, eodem, quem nos secuti sumus, ordine instructa. Primum eos nominat, qui harum Epistolarum quidquam in lucem ediderunt. Alterum secundum literarum seriem eorum nomina appellat, qui *Libanii* Epistolas ornandas susceperant, sed ultra destinata non progressi sunt. Tertium, quibus initiis, qua fortuna, præsens editio succreverit, explicat. Quam tandem viam persecutus fuerit Cl. Editor in stadio hoc cum laude decurrendo, ultimo loco exponitur. Ordo scilicet & dispositio Epistolarum proponitur, ut sciri possit, ex quibus quæque Codicibus hausta fuerit. Signum numericum semper in fronte gerunt Epistolæ, quod si interdum non cohæreat, ne defectus aut lacunæ suspicionem suggerat lectori, studiose monetur. Epistolæ sunt propemodum 1600, quarum vix 230 antea lucem viderant. Græcum textum a latere semper comitatur Latina versio, quæ dexteritatem & interiorem linguæ Græcæ notitiam, jam pridem testatam, exacte probat. *Libanius* enim talis est, qui, cum miram quandam brevitatem sectatur, aut potius affectat, mire sibi placet, & amicos amicis sensus occultare magis, quam explicare, allaborat. Non itaque semper ipse sibi satisfecit callentissimus Interpres, *Curis*que in hunc Scriptorem *posterioribus* vitia, quæ irrepserint, emendatum iri promittit, adjecta simul

Pro-

Prosopographia eorum, quorum nominibus hæ Epistolæ inscriptæ sunt. Eam enim adversa valetudo jam quidem dare prohibuit. *Δοῖεν δὲ οἱ θεοὶ, καὶ τ' ἐπὶ τούτοις τεθῆναι καλῶς, κἀκεῖνον τοῖς ἤδη πεπραγμένοις ἕτερόν τι προσθεῖναι καλόν.* Sic liceat nobis pro diuturna & omnigena felicitate Vener. *Wolfii* nostri eruditorum omnium ore candida vota pronuntiare verbis *Libanii* nostri *pag. 393 Epist. 836.* Versio Epistolarum, quæ in *Centuria* & *Anecdotis* jam prostabant, subinde hic correcta comparet, cum vel maturioribus curis, vel meliorum Codicum ope, rectiora edoctus fuerit Cl. Editor; notæ vero non omnes, prolixiores interdum, quæ in dictis modo libris exstant, hic sunt repetitæ. In his enim, ne in nimiam molem excresceret Opus, breviori esse placuit, atque adeo ea observare, quæ ad contextum recte constituendum potissimum requirebantur. Monetur enim, vel ubi hæc, illa, jam edita exstet Epistola, vel quis Codicum in inscriptione dissensus, quis in ipso textu, quæ lectio præferenda, in quibus hallucinati sint interpretes alii, quidque lapsui ansam dederit. Attingit præterea strictim & nervose, quæ ad dictionem *Libanii* Græcam recte intelligendam viam pandant. Fontes indicat, unde sua hauserit Rhetor, qui veterum ore sæpius, quam suo, loqui maluit; quæ vis proverbiorum, in quibus egregie applicandis excelluisse merito putatur. Nec ea omisit, quæ ex antiquitate nunc Ecclesiastica, nunc profana & gentili, ad illustranda *Libanii* dicta repeti poterant. Quod munus tandem sacrum Venerandi Editoris quam maxime decebat, Novi Fœderis dictionem *Libaniana* illa illustrare, & a cavillationibus aliorum vindicare, frequenter allaborat. In Præfatione quoque breviter commonstrat usum, quem ex his Epistolis utraque Historia capere possit, non minus quoque, an omnes, quæ hic leguntur, Epistolæ *Libanium* Autorem agnoscant, disquirit, nec negat, nonnullas in his exstare, quæ in collectionibus epistolicis rectius *Procopio*, *Synesio*, & *Dionysio Sophistæ*, tribuantur. Hic inprimis observari oportet, Epistolam 1574 inter illas exstare, quæ sub *Phalaridis* nomine circumferuntur. Has vero, constat fere nunc inter eruditos, non *Phalaridi*, sed Sophistæ cuidam, tribuendas esse, quod *Richardus Bentlejus*, Vir Græce quon-

quondam eruditiſſimus, ad liquidum perduxit. Nec fortaſſe erraverit, *Wolfii* judicio, qui ceteras omnes, quemadmodum illam, *Libanio* adſcribat. Mira enim ſententiarum & dictionis ſimilitudo inter illas *Libanii* & *Phalarideas*, quæ dicuntur, intercedit, quod in notis paſſim & frequenter oſtenditur. Itaque habent Critici, in quo inveſtigando amplius laborent. Epiſtolis *Libanii* Græcis, quæ usque ad *pag. 729* procedunt, ſubjecta eſt verſio Latina quingentarum propemodum, a *Zambicario* profecta, de qua ſupra diximus. In inferiore ora curioſe ſemper annotatum eſt, quænam ex his inter Græcas editas vel integra, vel ex parte, exſtet, quæve mendoſe ſint impreſſæ, atque adeo Codicis Mediolanenſis ope emendandæ. Accedunt Indices quatuor, qui ſtudio Viri Cl. *Joannis Chriſtiani Wolfii*, fratris, Profeſſoris in Gymnaſio Hamburgenſi celeberrimi, debentur. Sunt autem quinque. Primus exhibet ordine alphabetico initia Epiſtolarum Græcarum, cum eorum, ad quos ſcriptæ ſunt, nominibus. Secundus nomina illorum, quibus inſcriptæ ſunt, colligit, additis ſingularum notis numericis. Tertius offert locos Scripturæ Novi Fœderis, in notis illuſtratos. Quartus ſingulares & notatu digniſſimas Rhetoris noſtri phraſes, quarum pleræque in notis illuſtrantur; quintus denique res, nomina propria, & proverbia, repræſentat. Calcem tandem occupant Addenda & Emendanda. Cum enim impreſſioni Operis invigilare non licuerit Vener. Editori ob locorum diſtantiam; fieri vix potuit, quin menda, etiam majoris momenti, irreperent, quæ hic exilio mulctantur. Præter hæc vero nonnunquam contextus Græcus, illorum Codicum, quos ſerius ad Noſtrum perveniſſe ſupra monuimus, ope, interdum etiam interpretatio Latina, emendatur. Inſeruntur his eruditiſſimi *Dorvillii* obſervationes, ingenio & doctrina ejus præclara dignæ. Hæc eſt coronis egregii Operis, cujus immortalem æternamque gloriam, uti Seculo noſtro, ita Celeberrimo quoque Editori, lubentes & pro merito gratulamur. Non deerunt fortaſſe, qui omnes nos partes in laudando impleviſſe negabunt. Sciant tamen, nihil dici poſſe tam magnificum ac ſplendidum, quod dignitatem præſtantiamque Operis adæquet.

A PA-

A PARAPHRASE AND NOTES ON THE Revelation of St. John, &c.

h. e.

PARAPHRASIS ET NOTÆ IN REVELATIONEM S. Joannis, Autore MOSE LOWMANN.

Londini, apud Jo. Noon, 1737, 4.

Alph. 1 plag. 14.

En tibi novam τῆς Ἀποκαλύψεως *Joanneæ* interpretationem, quæ ſingulari induſtriæ Clariſſimi ejus Britanni debetur, quem modo honoris cauſa nominavimus. Auget is ſuorum merita & famam civium, qui varios adhuc ex iis, quos ut ſacroſanctos recipimus ac reveremur, Codices expoſuerunt, &, quantam in hoc nobiliſſimo ſtudio peritiam ſibi acquiſiverint, eruditæ planum fecerunt civitati. Eorum quoque meritiſſimorum Virorum, qui recentiori ætate Notas in S. Literas pararunt, veſtigia, & tractandi rationem, generatim ac univerſe ſecutus eſt, ſigillatim *Lockianam* diligenter ante oculos poſitam habuit. Nimirum *Capitum*, in ſeparatas *Sectiones* diſtributorum, *Contenta* ubivis præmittuntur. Tum vero *Textus*, qui ex verſione Britannica petitus eſt, ſequitur, cui *Paraphraſis*, tam elegans & copioſa, ut vicem Commentarii ſola ſuſtinere poſſit, e regione ponitur. *Notæ* denique, ſub extremam paginarum oram, ſicubi opus eſt, inveniuntur, quæ illuſtri ſeſe brevitate commendant. Sunt hæ profecto ejusmodi, ut argumento ſint, Cl. Autorem paucis verbis res multas enuntiare poſſe. Nuntiat totam rem propoſitam Præfatio ſatis ampla & erudita, quæ noſtram inprimis conſiderationem promeretur. Multi ſunt, quibus Patefactio S. *Joannis* tanta obſcuritate laborare videtur, Pag. 1. ut nullis ea auxiliis, nullo lumine rebus adhibito, diſpelli queat. *Scaliger*, Criticus magni nominis, *Calvino* eximiam ſapientiæ laudem idcirco tribuebat, quod in Revelationem *Joanneam* nihil ſcripſiſſet. D. *Whitby* itidem præciſe negavit, tanta ſe valere judicandi facultate, quanta ad intelligendas hujus libri vaticinationes requiratur. Sed, quoquo modo hæc ſe res habet, rationes adſunt teſtatiſſimæ, quæ, & Ἀποκαλύψει inter divinos

vinos libros locum omnino relinquendum esse, conficiunt.
Pag. 2. Has, præter alios, *Newtonus*, *Lardnerus*, & *Millius*, collegerunt. Quodsi ergo Revelatio S. *Joannis* in eorum numero
3. Codicum, quorum divinæ sunt origines, haberi debet; hoc etiam dandum erit, tot saltem nebulas hinc dissipari posse, ut in sanctiores usus converti queat. Hoc quidem dubio vacat, doctrinas ac præcepta faciliora, quam prophetias, intellectu esse. Namque hæ prænuntiant futurarum eventa rerum, eamque ob
5. causam sua natura tenebris obductæ sunt. Verum maxima hic obscuritas interpretum quorundam vitio tribuenda est. Alii etenim nimis curiosi, in quavis voce ac re mysteria sibi visi sunt videre, a vi imaginationis circumventi. Alii vero systema ex ingenio confictum in vaticinium sancti hominis intulerunt; ejusdemque ope interiora verborum rerumque adyta recludere vo-
6. luerunt. At novus interpres Anglus in alia hic abit omnia. Is temperationem adhibet in definienda re hujus libri instituta, systema libri ex ipso libro ducit, propheticas dictiones ex usu vatum V. T. divinitus actorum, unde nimirum pleræque omnes petitæ sunt, explanat, omniaque prædicta ex luce Historiæ sanctioris, ulla sine contorsione, declarat. Ipse S. *Joannes* disertis indicat verbis, librum hunc suum partim *prædictionem rerum futurarum*, partim *descriptionem status præsentis ac conditionis Ecclesiarum*, in se continere. *Cap. I, 19: Scribe, quæ videris, quæque sunt, & quæ sunt posthac futura.* Conf. *Cap. IV, 1.* Nonnullæ res ipsi visionis tempori vicinæ, & *brevi futura esse, dicuntur, Cap. I, 1, 3.* His præfultis, anquirendum erit,
7. ad quamnam futuri temporis periodum respiciatur. Hujus quidem bina clarissima in ipsa Revelatione reperiuntur indicia. Primo nimirum duratio periodi vel per numeros annorum, vel
8. per fatidicas significatur descriptiones, ut *Cap. XIII, 5, XII, 14, XI, 3,* quo postremo loco hujus quidem duratio periodi ad 1260 annos significanter & expresse profertur. Deinde quædam commemorantur res, quibus ultimis demum temporibus eventus
9. respondebit, *Cap. X, 5, 6, 7.* Quid? quod vates a Deo eruditus finem ipse suarum declarat prædictionum, universam vita fun-
10. ctorum resurrectionem, judiciumque extremum. Itaque exordium

dicm earum a tempore hujus visionis ducendum, finis autem, una cum orbis interitu, expectandus erit. Generalem libri divisionem, ex ipso jam volumine excerptam, in medium protulimus. Specialem diversæ constituunt periodi, quæ manifeste a se invicem distinguuntur, sic ut altera succedat alteri. Sic, exempli gratia, ex his unius nota est apertio libri, septem sigillis obsignati, quorum unumquodque propria quædam sua continet eventa. Hanc finit periodum consignatio servorum Dei, quorum 144000 erant, *Cap. VI, VII, 4 seq.* Aliam periodum inchoat apertio septimi sigilli, atque hæc distincta est septem tubis, quæ septem datæ sunt angelis, qui in Dei conspectu adstiterant, *Cap. VIII, 1, 2, 9.* Hujus finem nova facit visio, ejus nimirum Angeli, qui S. *Joanni* libellum dedit apertum, *Cap. X.* Clavis totius Ἀποκαλύψεως, & Pag. 12 seq.
cujusque separatim periodi, est accuratior scopi generalis consideratio. Tota nimirum vaticinatio eo valet, ut miseros & afflictos Christi amicos soletur. Ex quo sequitur, ut unaquævis periodus describat conditionem, miseriarum, periculi, ac calamitatum, plenam, & in nova quadam Ecclesiæ exoriente pace, securitate, ac felicitate, semper finiatur. Hæc sunt sana, & purgatæ rationi probata, quibus Cl. *Lowmannus* fultus, ad Patefactionem S. *Joannis* enodandam accessit. Nil dedit ingenio & imaginationi ludenti, omnia vero ponderavit judicio, ipsum 14 seq.
vatem a Deo actum ducem, & historiam sacræ civitatis, in rebus quidem præteritis, lucem, unice secutus. Verborum item obedivit potestati, iisdemque non centum sensus, sed unicum historicum, adaptavit. Cave autem, credas, Cl. Interpretem totas historias sacras descripsisse. Illud unum sui officii esse ratus est, ut ad optimos & genuinos fontes lectorem remitteret, ejus historicæ partis uberiorem desiderantem notitiam, quam spiritum propheticum ante oculos habuisse, mira perspexit sagacitate.. Ex his etiam perspicuum est, qua in re Interpres Anglus a doctissimo Belga, *Camp. Vitringa*, suas sejungat sententias, utpote quem testem in rem suam nusquam citavit. Non est dubium, quin literatissimi quique homines totam omnium vaticinationum cohærentiam interius introspiciendi magna flagraturi sint cupiditate. Horum igitur desiderio, quantum

tum ſatis eſt, facturi, non exilem tantummodo particulam, verum
Pag. 29 ſeq. ipſam totius libri *Tabulam*, quæ, finita Præfatione, legitur, in compendio recitabimus, ex qua præcipua momenta, in ipſa pertractatione amplius dilatata, uno veluti adſpectu perſpici poterunt. Totus Revelationis liber in tres partes, *Introductionem*, *Tractationem*, & *Concluſionem*, diviſus eſt.

Introductio docet, continere hunc divinum librum viſionem aliquam propheticam, in inſula *Patmos*, quæ repræſentet nobis Chriſtum, ejus curam Eccleſiarum, & promiſſionem cujusdam revelationis, una cum præmonitis & exhortationibus, ſtatui tunc præſenti Eccleſiæ, & ſtatui Eccleſiæ in ſuccedentibus Seculis futuro, convenientibus, ad patientiam atque in fide conſtantiam excitandam. *Cap. I v. 19*, A. D. 95. *Tractatio binas* complectitur *partes*, quarum altera *ſeptem periodis* conſtat. *Pars I*, pertinens ad *res*, *quæ ſunt*, ſive ad ſtatum Eccleſiæ tunc temporis præſentem, in ſeptem continetur Epiſtolis, ad ſeptem Eccleſias principales in Aſia exaratis, in quibus *præſens* earum ſtatus deſcribitur, adjunctis conſentaneis præmonitis & exhortationibus. *Cap. II, III.* *Pars II*, quæ ad res *poſthac futuras*, ſive ad ſtatum Eccleſiæ in Seculis poſt tempus hujus viſionis imminentibus, refertur, una cum præmonitis & exhortationibus illuc pertinentibus, exhibet ſcenam viſionum, Dei potentiam, majeſtatem, ac certum conſiliorum ſuorum eventum, ſignificantium, *Cap. IV*, librum ſeptem ſigillis obſignatum, ſtatum Eccleſiæ ſequentem revelantem, *Cap. V*, & chorum Angelorum pariter & Sanctorum, ſeu univerſam cœleſtem Eccleſiam, laudes Agni, hoc eſt, Jeſu Chriſti, canentem, *v. 8*, & ipſam harum rerum revelationem, quam inchoat apertio libri obſignati, ubi ſtatus Eccleſiæ deſcribitur, qualis in *ſeptem ſibi ſuccedentibus periodis* futurus erat. *Periodus I* prædicit ſtatum Eccleſiæ ſub ethnicis *Romanis* Imperatoribus, ab A. D. 95 ad 323. En tibi *ſigilla* aperta! *Primum* repræſentat, ſub imagine victoris albo equo inſidentis, religionem Chriſtianam, *Judæos* ac gentes in
30. triumpho ducturam. *Alterum* ſub velo equi ruſi, quem inſidenti commiſſum eſt, ut ex terris pacem auferat, deſtructionem ſiſtit *Judæorum*, ſub *Trajano* & *Hadriano* factam. A. D. 100 ad

ad 138. *Tertium*, sub symbolo nigri equi, cui insidens libram in manu tenet ad frumentum dimetiendum, respicit magnam illam annonæ caritatem, tempore *Antoninorum*. A. 138 ad 193. *Quartum*, in quo pallidus apparet equus, cui insidens mors erat, magnam illam indicat pestem, sub *Maximino* & *Valeriano*. A. 193 ad 270. *Quintum*, animas sub ara necatorum exhibens, vexationem prænuntiat *Diocletianeam*. A. 270 ad 304. *Sextum*, horribiles naturæ motus ac procellas revelans, inauditas illas significat commutationes in imperio, inde a *Maximiano* ad *Constantinum M.* A. 304 ad 323. Tempus inter primam atque secundam periodum interjectum, repræsentans Angelum 144000 sigillo viventis Dei obsignantem, magnum adumbrat numerum, plurium Deorum venerationem, in ethnico *Romano* Imperio receptam, deserentium, & Christianæ religioni nomen dantium. *Cap. VII.* Propter hoc præstitum auxilium chorus Ecclesiæ cœlestis Deum O. M. collaudat, & de senatoribus unus vexatos, qui in fide Christi manserant, beatos prædicat, *v. 9. Periodus II* Ecclesiæ statum patefacit, post ætatem *Constantini M.* dum invasio imperii a nationibus septentrionalibus mota duravit; ortum item ac primum progressum impostura *Mohamedanæ*, donec vis ejus in Occidente cohiberetur. *Cap. VIII*, ab A. D. 337 ad 750. Septem Angeli accipiunt *septem tubas* ad clangendum, quarum prima exponit vim armorum, dum *Constantini M.* familia, & ejus successores, imperarunt, usque ad tempora *Theodosii*, seu ab A. 337 ad 379, *altera* invasionem *Italiæ*, a gentibus septentrionem versus degentibus factam, & urbis *Romæ* expugnationem, ab *Alarico* confectam, ab A. 379 ad 412, *tertia* occasum Imperii *Romani*, qui regni *Gothorum* in *Italia* fundamenta jecit, ab A. 412 ad 493, *quarta* arma *Italiæ*, inter duces *Justiniani* ac *Gothos* mota, per quæ Exarchatus *Ravennatensis* erectus, & omnis, quæ reliqua erat, potentia & autoritas *Romæ* tota suppressa fuit, ab A. 493 ad 568, *quinta* ortum & initia *Mohamedanæ* religionis ac Imperii, & magnum utriusque progressum, donec impediretur a contentionibus, quæ de successione exoriebantur. *Cap. IX.* Huc A. 568 ad 675. *Sexta* denique unionem divisæ ac scissæ *Saracenæ* potestatis, & invasionem Pag. 31.

ſionem *Europæ* ab hac metuendam, dum a *Carolo Martello* fun-
daretur, ab A. 675 ad 750. Imagines rerum non caſu, ſed con-
ſulto, taciti præteriimus, propterea quod facile in libro S. *Joan-
nis* evolvi poterunt. Nec *ſeptimum*, quod recenſuimus, *ſigil-
lum*, nec *ſeptima tuba*, ſingulare deſiderat lumen. Hic enim
Pag. 14. numerus in Eccleſia *Judaica* ſacer habetur, & in calculo anno-
rum ac dierum indicat quietem. Itaque, poſt enarratas varias
vexationes, liberationem ab illis, aureamque Eccleſiæ pacem, te-
cte ſignificat. Conf. *Cap. VIII*, *1 ſeq*. *XI*, *15 ſeq*. Accedamus ad
Periodum III de phialis, quæ revelant ſtatum Eccleſiæ, tempori-
bus *Romani* Imperii ultimis, quod per beſtiam repræſentatur;
per ipſos 1260 annos, ab A. 756 ad 2016. Angelus aliquis li-
bellum S. *Joanni* offert deglutiendum, hoc ei velo declaratu-
rus, res usque ad orbis interitum eventuras ſibi nunc patefa-
ctum iri, *Cap. X.* Patent hic oculis legentium *tres* generales
hujus periodi deſcriptiones: 1) templum menſuratum, una cum
reliquis umbris, corruptum ſtatum exhibet Eccleſiæ, & con-
ſtantiam quorundam teſtium veritatis, quanquam per univerſam
hanc periodum crudeliter vexandi prædicantur, *Cap. XI.* 2)
Mulier in ſolitudinem fugere, & 1260 dies ibi morari coacta,
calamitatem & conſervationem oſtendit Eccleſiæ, durante ea-
32. dem periodo, exſpectandam, *Cap. XII.* 3) Beſtia multiceps no-
vam *Romanam* potentiam nuntiat, quæ cultum ſimulacrorum
maſcule, ab alia ſimili potentia adjuta, renovatura ſit. Quo lo-
co chorus cœleſtis Eccleſiæ conſtanter in fide permanentes bea-
tos pronuntiat, *Cap. XIV.* Nuntius cœleſtis certam & ſeve-
ram pœnam hoſtibus veritatis minatur. Angelis ſeptem dan-
tur ſeptem divinæ iræ phialæ, ut indicio ſint, hoſtes veritatis
Deo graviſſimas, durante hac periodo, daturos eſſe pœnas, ea
vero ad finem decurrente, funditus everſum iri, *Cap. XV.* Vide
ſenſum *ſeptem phialarum* effuſarum *Cap. XVI.* *Prima* ma-
gnarum eſt commotionum per totum Imperium, ſub familia
Caroli M., nuntia, per quas hæc familia exſtincta, & corona
Galliæ alio translata fuit. Huc refer A. 830 ad 988. *Secunda*
ad ſacrum illud bellum pertinet, quod ab A. 1040 ad 1190 con-
flatum eſt, ad *Hieroſolymam* a *Saracenis* recuperandam. *Ter-*

tia

tia eſt umbra civilium armorum, quæ *Guelphi* & *Gibellini*, quorum illi Pontificis, hi vero Imperatoris Romani, rebus ſtudebant, inter ſe ferebant, cum Pontifices ex *Italia* in *Galliam* pulſi eſſent, A. D. 1200 ad 1371. *Quarta* ſignum eorum eſt armorum, quæ A. 1378 ad 1530 in *Italia*, *Germania*, *Gallia*, & *Hiſpania*, diu fervebant, & quorum cauſa & autor longius illud in Papatu ſchiſma exſtitit. Turci capiebant *Conſtantinopolin*, & Orientis Imperium radicitus exſtirparunt. Peſtis etiam hoc tempore orta. *Quinta* magnam deſignat reformationem, & ejus per principes *Europæ* ſtatus confirmationem, invito licet & recuſante Pontifice, atque adeo ipſa etiam Pontificali autoritate rejecta & ſpreta. Hæc autem ab A. D. 1560 ad 1650 referri meretur. *Sexta* phiala in *Euphratem* effuſa Regibus orientem ſolem ſpectantibus viam parat. Hoc videtur, in ordine vaticiniorum, adhuc futurum eſſe. Verum, ſi quis hic conjecturæ locus datur, Pontificales invaſiones, ab Orientis ſive Adriaticis populis, qui Pontificum imperio ſubjecti ſunt, imminentes prædicuntur. Pertinent vero iſta ab A. 1670 ad 1850. *Septima*, eaque ultima, phiala extrema deſcribit fata *Romani* Imperii, ſeu myſticæ *Babylonis*, usque ad finem hujus Periodi, ab A. 1850 ad 2016. Angelus interpres plenius explanat characterem hujus Romæ Antichriſtianæ, *Cap. XVII.* Alius Angelus confirmat ejus interitum, *Cap. XVIII.* Chorus cœleſtis ob hæc juſta judicia divinas concelebrat laudes, *Cap. XIX*, ubi & viſio quædam Chriſti accedit, cœleſtem quendam exercitum in aciem educentis, qua, hæc omnia certiſſime eventura eſſe, ſignificatur. In *Periodo IV*, quam Angelus, ſatanam vinculis ad mille annos conſtringens, enuntiat, feliciſſimus erit ſtatus Eccleſiæ, in caſtitate, pace, ac proſperitate, *Cap. XX.* Aſt in *V Periodo*, peractis illis mille annis, corruptiones ac vexationes Eccleſiæ renovabuntur, harum autem finis plenaria erit *Satanæ* & *omnium* puræ ac veræ religionis *hoſtium*, deſtructio atque everſio, [illegible]. *Periodus VI* univerſam mortuorum reſurrectionem, extremumque judicium, atque adeo æternum improborum exitium, in ſe complectitur, *v. 11.* Reſtat *Periodus VII*, eaque poſtrema, quæ totam concludit prophetiam ejusmodi viſione, qua conſum- Pag. 33.

Pag. 34. summata cœli beatitas describitur, *Cap. XXI.* Sic vero harum omnium vaticinationum exitus *æternum* est *Sabbatum*, *Cap. XXII. Conclusio v. 6 seq.* veritatem earum confirmat, & usum inculcat sanctiorem.

Hæc nos copiosius, re bene putata, descripsimus, gratiam ab illis aliquam inituri, qui sibi judicandi datam esse copiam putant, num acumen hæc nova habeat interpretatio. Accedit brevis vocum ac rerum præcipuarum Index, cui, ob insignem, quam præbet, utilitatem, magnum omnino pretium ponendum esse videtur.

JANI VERRII BASSANENSIS, THEOlogi Germani, Examen Juris Canonici & praxis fori Ecclesiastici Protestantium in causa Raptus & affinibus.

Trajecti ad Rhenum, apud Herm. Besseling, 1738, 8.
Plag. 6.

In Præfatione Autor, quisquis est, sane eruditus, & omni laude dignus, differit de consuetudinibus malis, quæ in republica diuturni temporis usu sunt munitæ. Cujusque igitur esse ait, eo niti, ut illæ, si non confodiantur, certe atterantur; quod ipsum ad institutum suum de *Raptu* accommodat. Argu-
Pag. 3-7. menti tractatio *quatuor* absolvitur *Capitibus*. *Cap. I §. 1* docet, medelam quandam Juri Canonico, (quod post ipsa etiam tempora Reformationis non in scholis solum, verum in Consistoriis etiam, Protestantium locum obtinuerit,) tum fuisse adhibitam, cum JCtorum responsa de dubiis casibus in unum volumen revocari cœperint, quod vel maxime factum a *Carpzovio*, cujus Decisiones non consensu tantum Principum, sed usu ac consuetudine etiam, extra terras Saxonicas fuerint receptæ, in quibus tamen multa post hæc desideraverint *Brunnemannus*, *Thomasius*, *Bœhmerus*, alii. Qui licet multum studii in illo repurgando posuerint, nondum tamen rem eo esse deductam, ut tuto illius decretis sit standum, quod exemplo de raptore comprobat Autor, cui secundum Jus Canonicum matrimonium cum
8-13. rapta concedatur. Initium disquisitionis facit a definitione nominis

minis. Notionem *rapiendi* aviditatem, celeritatem, & violentiam, involvere demonſtrat, minus autem probat ſubtilitatem *Donati*, in *Terentii Adelph. Act. III Scen. III raptionem* ad *perſonam*, *rapinam* ad *rem*, *raptum* ad *ſtuprum*, referentis, cum *raptio* idem notet, quod *raptus*, & raptio perſonæ, ſi ab infami voluptate ſit ſejuncta, *plagium* Latinis proprie dicatur. His ita conſtitutis, *raptum* in genere definit, *cum quis hominem, ſpeciatim mulierem, ingenuam & honeſtam, ſive cœlibem, ſive conjugatam, volentem, ſed invitis parentibus aut marito, cujus uxor eſt, aut nolentem, abducit, ut in ejus ſit poteſtate, ſive eam ducat uxorem, ſive ea abutatur ad voluptatem.* Illius ſpeciem quandam eſſe deſignat, *ubi quis mulierem ingenuam, in fraudem legis, ad emolliendam delicti atrocitatem atque invidiam, ſive ipſe, ſive per alios, blanditiis, & dolis, artibusque ab honeſtate & juris ſpecie remotis, hoc efficit clanculum cum hoſtilitate quadam & injuria parentum, quod alii per apertam vim: virginemque ita expugnat, ut, initis ſecum clandeſtinis ſponſalibus, ſuos in amplexus ruat, &, venia copulationis in judicio eccleſiaſtico impetrata, ſpe amplæ dotis, ejus uxor ſit; ſive ſtuprum interveniat, ſeu non.* In illo conſpici vim *publicam*, in hoc *privatam* & *clanculariam*, ut hinc *gravioris* pœnæ reus ſit, qui fœminam per vim rapiat, *graviſſimæ*, qui ſimul ſtuprum inferat, *levioris*, qui blanditiis ac dolis utatur. Videri autem poſſit, raptus nomine inſigniri non poſſe artes, quibus quis utitur, ut puella tandem conſentiat, cum ad *rationem formalem* raptus requiratur, ut fœmina *violenter* abducatur. Concedit quidem, hic abeſſe vim publicam, propterea tamen iſtiusmodi hominem ab omni pœna, ſaltem *extraordinaria* & *arbitraria*, immunem eſſe negat. Raptum clandeſtinum cum publico id habere commune docet, quod perverſis artibus ſuis muliere, cui inſidias ſtruit, raptor potiatur, patria poteſtas proculcetur, eccleſia offendatur, fœmina, maxime ubi minorennis fuerit, a legitimis nuptiis, quin ipſa familia, avellatur, ac inteſtinarum inimicitiarum ſemina ſpargantur. Nec tamen omnem omnino vim ab iſtiusmodi attentato raptu abeſſe, probat exemplo virginis cujusdam, inſidiis, contra tutoris ſententiam, ſuperiori Seculo circumventæ. Iſtiusmodi ſponſalia reſcindi poſſe, decer-

Pag. 13 ſeq.

16-18.

nit, &, quamvis consensus puellæ atque tutorum postea accesserit, jure tamen manere pœnam raptus infligendam tum abductæ, tum abductori & complicibus; ita tamen, ut temperamento aliquo leniatur: ecclesiam etiam hoc poscere posse, ut honos sibi suus restituatur. Prouti enim nihil intersit, num quis hominem vi aperta obtruncet, an vero venenatis potionibus ac pharmacis vitam ei eripiat, ita exiguum, imo nullum, discrimen in eo esse, utrum quis vi adhibita fœminam abduxerit, an vero fraudibus ac blanditiis obnoxiam sibi reddiderit. Igitur cessare quidem hic pœnam, quæ alias raptui, quod ad *quantitatem*, est statuta, *censuræ* tamen *ecclesiasticæ* subjici *abductam*, *abductorem*, & *socios*, pariterque pœna *civili*, sed *arbitraria*, in ordinem redigi posse. Consentientem puellam posse *exhæredari*, ubi parentes justam dissentiendi causam habeant, quo sic abductor dote, cui maxime inhiavit, privetur; eo maxime, quoniam secundum legem civilem parentibus competat facultas, hæreditatis jura negandi filiæ, quæ ipsis invitis nupsit, vel se petulanter impudiceque gessit. Aliter se rem habere, ubi pater habentem annos 25 filiam elocare detrectaverit, quo in casu, ubi tale quid evenerit, nec patrem habere, quod adversus filiam agat, sed ad dotem ipsi exsolvendam obligari posse; pœnam autem civilem

Pag. 18-28. pariter atque ecclesiasticam amputari. Posteaquam igitur ea disceptaverat doctissimus Autor, quæ statum controversiæ ingredi videbantur, negat, *raptori & abductori cum rapta & abducta matrimonium juste concedi*, quoniam hac ratione licentiæ lata porta aperiatur, patria potestas proculcetur, funestæ inimicitiæ serantur, familiæ florentes præcipites dentur, Numinis ira provocetur, summa imis misceantur, ac pessima exempla in republica statuminentur: quod ipsum tum Scripturæ sacræ effatis, tum

28 seq. priscæ ecclesiæ decretis, firmari posse existimat. Leges Ebræorum forenses, si quidem in æquitate naturali fuerint fundatæ, ac pœna criminis alicujus definiatur, in censum venire posse, asseverat. Raptus aperti ac violenti pœnam ex lege de plagio, *Exod. XXI, 16, Deut. XXIV, 7*, cui αὐτοκράτωρ reipublicæ Judaicæ generatim *mortis supplicium*, Judæorum magistri *strangulationem*, constituunt *Sanhedr. Cap. X §. 1*, determinari non

posse,

posse, quia in utroque loco sermo sit de raptu virorum, non fœminarum. Legem *Exod. XXII, 15, 16*, de stupro voluntario, Pag. 30-32.
in quod tandem virgo, illecebris expugnata, descendit, quæ vero *Devt. XXII, 22-29*, legitur, de *stupro violento* virginis, & quidem vel æqualis, vel deterioris conditionis, intelligendam esse. Mulctam autem illam quinquagenorum siclorum non absque discrimine, quod Judæorum magistri putant, illis, qui virginem, regio ortu satam, vel summo loco natam, vel plebejam, compresserint, præscribi: legem enim, quæ magistratus vulgo exemit, ac a vi tutos præstitit, *Exod. XXII, 28*, etiam ad illorum familias protendendam esse. Quod ipsum etiam universali moratiorum gentium consuetudine fuerit firmatum, apud quas connubia nobiliorum cum plebejis fuerint interdicta; ut hinc existimandum non sit, libidinem in nobiliores fœminas impune tulisse. Quando igitur optimum Numen pudicitiæ sequioris sexus ita consultum ivit, minus accedit sententiæ 32-36.
Seldeni, cum Judæis asseverantis, secundum legem *Devt. XXI, 10-14*, integrum fuisse Judæo, mulierem gentilem vitiare, eandemque, ubi in connubii societatem adsciscere noluerit, manu mittere. A quo facinore gentes honestiores abstinuerint, illius veniam Deum fœderatis suis indulsisse, credi minus posse. Cum enim is innuptarum vitæ prospexerit *Num. XXXI, 17, 18*, illarum pudicitiam susque deque habuisse, verisimile non esse. Nec fraudi cuiquam esse debere verbum עִנָּה, quod quidem cum שָׁכַב constructum, uti *Gen. XXXIV, 2, 2 Sam. XIII, 14*, denotet *subigere fœminam per illicitum congressum*, seorsim autem positum significet *ægre facere* alicui, quod captivæ usu eveniat, cum ad domitoris sui arbitrium sit agendum vivendumque.
Quare autem Deus in raptum, proprie sic dictum, nullam pœ- 36-41.
nam expressa lege statuerit, non unam allegat rationem. Primo, atrocitatem criminis esse tantam, ut illud in populo Deo sacro ne quidem audiri debuerit; prouti veteres Romani, *Solonem* secuti, in legibus decemviralibus nullam pœnam parricidio sanxerunt, existimantes, neminem civium fore, qui ad tam nefandum scelus se sit demissurus, raptui nullam dixisse, ne majorum suorum nequitiam denudarent damnarentque. Adhæc, si quidem Israelitarum aliquis in illud prolapsus fuisset, Deum deci-

cisionem illius sibi servasse, quod exemplis casuum minus determinatorum ex *Num. XV, 32-36, XXVII, 1-7*, probat. Porro, cum connubia cum vicinis gentibus nefasta pronuntiaverit Deus *Exod. XXXIV, 16*, nec virginem hæreditariam per matrimonium ad aliam tribum transire permiserit *Num. XXXVI*, quid de raptu censendum esset, magistratus facile colligere potuisse. Legem de plagio, ac pœnam illi dictam, ad violentum raptum, voluptatis exsatiandæ causa susceptum, qui, argumento a minori ad majus ducto, traduxerint, minus erravisse. Denique exempla, ac sententiam Dei de illis, crimen istud abominandum reddidisse.

Pag. 41-45. Inter illa primo loco ponit petulantiam hominum, qui ante eluvionem universalem vixerunt. *Gen. VI, 2*, per בְּנֵי אֱלֹהִים intelligit juvenes parentibus, dignitate, potentia, opibus, conspicuis, editos, per בְּנוֹת אָדָם juvenculas, parentibus inferioris sortis ac conditionis proseminatas; prouti אִישׁ & אָדָם sibi invicem opponantur *Ps. XLIX, 3, Prov. VIII, 4*, maxime cum per אֱלֹהִים indigitentur illi, qui vicaria quadam Dei in jure dicundo potestate polleant, *Exod. XXI, 6, XXII, 7, 8, 27, Ps. LXXXII, 1, 6.* Homines enim impios a piorum consortio semotos בְּנֵי אָדָם nomine venire, non ita facile ex Scriptura demonstrari posse: familia tamen sancta oriundos cum Cainiticæ gentis filiabus se miscuisse, non diffitetur, ac hoc ipso iram Dei sibi arcessivisse. Peccatum illorum inde gravius redditum fuisse, cum duxerint illas, non quod moribus, sed quod forma eximia, commendabiles exstiterint, quo sic suæ voluptati facerent satis; nec *duxerint*, verum *rapuerint*, in promiscuos concubitus ferarum more ruentes: causatus, verbum לָקַח, ubi de muliere est sermo, idem significare, quod *abducere, rapere, Gen. XII, 15, XX, 2, XXXIV, 2.* Quod flagitium, cum præter alia scelera acerrimam Dei vindictam provocarit, gravissimum fuisse oportuit.

45-53. Judicari inde posse de facto *Pharaonis*, Ægypti, & *Abimelechi* Geraris Regum, *Saram, Abrahami* conjugem, sibi vindicare satagentium *Gen. XII, 12-14, XX, 2-7;* unde profligata istarum gentium libido ac extrema impietas, jura hospitum, sancta alias ac inviolabilia, temerantium, appareat. Quæ, licet nefas non habuerint, innuptam rapere, conjugatæ tamen vim facere, Juri naturali ac æquitati adversari censuerint, idque ipsis,

ex

ex magiſtrorum ſententia, per leges Noachidas innotuiſſe. In- Pag. 53 - 56.
nuptæ exemplum præbet *Dina*, *Jacobi* filia, cujus virginitas per vim deminuta a *Sichemo*, quam poſt id factum & *Sichemus* blanditiis ſibi, & parens *Henor* precibus ac obſequiis nato, conciliare allaborabat, *Gen. XXXIV, 1 ſeq.* ſed fruſtra, filiis *Jacobi* vindictam repoſcentibus, qui hic nil quidquam contra ſententiam Dei ſunt moliti, *Gen. XII, 17, XX, 7, 18*, ipſo ſcelerum vindice Deo providentia ſua hoc ipſorum factum comprobante, conſcientiis vicinarum gentium ſenſum ultricis juſtitiæ ſuæ immittendo, *Gen. XXXV, 5*, ne quid mali adverſus *Jacobi* domum cogitarent. Nec tam *Jacobum* facinus hoc deteſtatum eſſe, *Gen. XLIX, 5 - 7*, quam illorum tantum temeritatem notaſſe, ad quam, ſe, capite familiæ ac principe, non conſulto, levitate quadam animi proni fuerint, ſeque ingentibus finitimorum populorum copiis, quibus ob paucitatem ſuam pares eſſe
non potuerint, objecerint. Ne quis vero obvertat, raptum 56 - 62.
Benjaminitarum publica magiſtratuum autoritate comprobatum eſſe, *Judic. XXI*, in gravitatem publicæ violentiæ inquirit. Seniores Iſraelitarum, prætexentes jurisjurandi religionem, perjurio, dum in raptum conſenſerint, ſe obſtrinxiſſe. Violaſſe legem de virgine hæreditaria alius tribus viro nuptui non danda, *Num. XXXVI*, cum in tanta multitudine iſtiusmodi virgines facile reperiri potuerint. In tantæ rei negotio oraculum Dei neglexiſſe, ad quod in rebus dubiis confugere, moris alias fuerit. Votum, quod ex ore Iſraelitarum exciderit, fuiſſe inconſultum, cum homo homini id eripere non poſſit, quod jure ipſi debeatur. Deliquiſſe in fratres, quos negatis matrimoniis eo adegerint, ut contra legem a profanis gentibus uxores peterent, &, ſi qua ab ipſis culpa admiſſa fuiſſet, *Judic. XIX*, illius pœnas ſat graves dediſſe. Ipſum denique Scriptorem ſacrum factum hoc cenſura notaſſe, ſubjiciendo: *illa tempeſtate Regem in Iſraele non fuiſſe, quemque, quod ſibi viſum fuerit, deſignaſſe, Judic. XXI, 25.* Nec factum hoc Benjaminitarum more ſolemnium ludorum excuſari poſſe, cum, quod fit licentia, morum corruptela, jure fieri cenſendum non ſit. Nec dici poſſe, id pia Iſraelitarum intentione permiſſum fuiſſe, ne qua tribus ex Iſraele

 periret;

periret; cum non tam videri debeat, quo animo aliquid fiat, quam quid rectum, justum, honestum, divinæque voluntati sit consentaneum. Juri autem naturali ac mori, inde ab antiquissimis temporibus recepto, facinus hoc minus congruisse, cum non ex manibus parentum, consentientibus illis ac cognatis, mulieres acceperint, sed illis invitis sibi rapuerint. Dolo malo usos fuisse seniores, culpam a se removendo, inque parentes conjiciendo, ac si Benjaminitæ illas sibi rapere jure potuerint, quas sibi negatas ægre ferebant. Benjaminitas porro in eo peccasse, quod non virgines a parentibus petierint, sed dolose, sub prætextu licentiæ ludorum, per vim abripuerint. Nec magistratibus competere jus in elocandos civium liberos, nec ab his parentes compelli posse, nisi ubi filias legitime postulatas negaverint. In eo igitur habere nos exemplum raptus proprie dicti, adversus innuptas consummati, qualis, si in civitate bene constituta inter privatos attentatus fuisset, procul dubio e lege
Pag. 62-68. de plagio, *Devt. XXIV*, 7, capitalis habitus esset. Inde *Cap. IV* ad Constitutiones Ecclesiæ de Raptu progreditur. Concilium Ancyranum I Galatiæ A. 314 *Can. XI* sanxit, *desponsatas puellas, ab aliis raptas, si vel maxime vim passæ fuerint, illis reddendas esse, quibus antea desponsatæ fuerant.* Licet autem raptoribus pœna constituta sit nulla; observat tamen *Basilius Can. XXX, raptores una cum iis, qui facinoris conscii fuerint,*
69-71. *per tres annos pœnitentiæ subjiciendos fuisse.* Concilium Chalcedonense Oecumenicum, coactum A. 451, *Can. XXVIII* in *raptores* non minus, quam qui illis sunt *auxilio*, vel *consentiunt*, pœnam stringit, hoc tamen habito discrimine, ut, si *Clerici fuerint, de gradu suo dejiciantur*, sin *laici*, *anathematis ferali carmine* percutiantur. Canonem hunc ad mentem *Justiniani*, legem de raptu virginum, eum facinus illud post Gothorum, Vandalorum, aliarumque gentium barbararum, impressionem
71 seq. frequens exstiterit, publicantis, expressum fuisse. Rationem autem non videt, quare graviori pœna laici, quam clerici, premendi sint, cum offendiculum idem præbeatur cœtui sacro, imo longe gravius sit illud, quod a clericis proficiscatur, cum vitæ sanctimonia aliis exemplo esse debeant, ut hinc Deus sacerdotum

pec-

peccata, vigente œconomia veteri, gravius sit ultus. Imperatorem *Justinianum* capitis supplicium, Ecclesiam excommunicationem, ultimum gradum disciplinæ ecclesiasticæ, in raptores decrevisse, qua ipsa communione omnibusque beneficiis ecclesiæ, quin ipsa benedictione sacerdotali, fuerint orbati, sicque conjugium inter raptorem & raptam illegitimum declaratum. Fidei tamen propius esse, ubi per aliquot annos, ab Episcopo definitos, pœnitentiam egerint, ad Ecclesiæ consortium receptos fuisse, quod ex Canonibus, post id tempus publicatis, appareat. Concilii Meldensis I, A. 815 convocati, sententia non fuit una, Pag. 72-75.
pœnitentiam publicam injungebat raptori pariter ac raptæ, porro matrimonium inter illos prorsus interdicebat, si vel parentes consenserint, quod ipsum etiam in Concilio Aquisgranensi I a *Carolo M.* A. 789 fuit confirmatum. Cum autem lex *Justinianea* immane quantum discedat a decretis Ecclesiæ, siquidem illa mortis supplicium, hæc censuram tantum, injungit, id inde profectum fuisse Autor judicat, vel quia sententia illa Patribus durior justo fuerit visa, vel quia in illis regionibus, in quibus habita Concilia, Jus *Justinianeum* non fuerit receptum, vel quia censuerint, raptorem teneri ad censuram Ecclesiæ, etiamsi capitis supplicium non effugeret. Sacræ autem disci- 75-77.
plinæ successu temporis varias invectas esse corruptelas, & quidem *primo*, quando matrimonium in Sacramentorum numero habere cœperunt, *secundo*, Ecclesia illis ἀσυλίαν præstabat, qui ad illam, ut a civilibus pœnis immunes essent, se conferebant, *denique* Ecclesia plura jura fori civilis sibi afferebat. Inde Canonum interpretes matrimonium raptoris cum rapta licitum declarasse, maxime ubi publica pœnitentia præcesserit, & consensus parentum accesserit; *Innocentium* Papam *Extrav. Cap. III* conjugium approbasse, si postea rapta consenserit, invitis licet parentibus, quod adversa fronte incurrat in priscæ Ecclesiæ Canones & divinas leges, *Exod. XXII, 16, Num. XXX, 4 seq.* Quos omnes errores in brevem aliquam summam in Concilio Tridentino *Sess. XXIV* coactos fuisse affirmat, scilicet inter raptorem & raptam conjugium locum habere non posse, quamdiu hæc in illius sit potestate, infames tamen ac omnium dignitatum incapa-

ces

ces reputandos esse raptorem ejusdemque socios, Clericum raptorem de gradu suo esse deturbandum, raptorem ex arbitrio judicis obstrictum esse ad dotandam raptam, sive illam duxerit, sive reprobarit, quorum decretorum iniquitatem multis demonstrat.
Pag. 81-87. Cum raptus violentus divino & humano gentiumque Jure detestabilis habeatur; contumeliosum esse Christiano nomini, si quidem istiusmodi nuptiæ legibus ecclesiasticis ac publica magistratuum autoritate permittantur. Habuisse raptus infaustum semper exitum, provocasse divini Numinis iram ac in sontes supplicium, excitasse dissidia & bella, rerumque publicarum & regnorum eversiones.
87-92. Argumentum, quod excutiendum sumsit Doctiss. Autor, quisquis demum sit, multa industria ac doctrina tractavit, &, si quidem nonnulli sint, qui non idem robur omnibus rationibus, quas pro sententia sua adducit, inesse judicabunt, fervorem tamen ipsius, ne qua labes Christiano nomini inuratur, ut magistratuum ac parentum autoritas sarta tecta servetur, incolumitas ac tranquillitas familiarum stabiliatur, ac effrænis licentia ex Republica omnino exterminetur, oppido dilaudabunt.

FRANCISCI CAROLI CONRADI, IN Academia Julia Jurisconsulti, Parerga, in quibus Antiquitates & Historia Juris illustrantur, varia Juris Civilis, aliorumque Autorum, loca emendantur, explicantur.

Liber III.

Helmstadii, sumtibus Christ. Frider. Weygandi, 1738, 8.
Plag. 8.

Cum, ex vulgato proverbio, vino vendibili non opus sit hedera, supersedemus laudibus, quibus & *tertius* hic *Parergorum Liber* jure ac merito extolli posset, convertimurque statim ad ipsum hunc nobilioris ingenii fœtum propius noscendum, quales hinc etiam dignitatis accessiones factæ sint rei JCtorum publicæ, paucis indicaturi. Scilicet *Dissertatione prima Legis Liciniæ sumtuariæ monumentum in nummo gentis Liciniæ* ob oculos nobis ponitur. Lectoribus vel ex his nostris Annalibus

nalibus, vel aliunde, jam conſtabit, Ill. *Heineccium* eleganti nuper Præfatione, *Diſſertationibus Gundlingianis* præmiſſa, uſum numiſmatum in Jurisprudentia commonſtraſſe. En igitur alium Autorem, in jucundiſſimo hoc argumento cum cura deſudantem, & dignum propterea, qui cum *Heineccio* plauſum eruditorum communem ferat! Nummum, cujus ipſe exemplum aſſervat, ita deſcribit Autor Celeberrimus: *Nummus, mira artificii elegantia, in parte adverſa habet imaginem Romæ, pectore tenus expreſſam; caput galea tegit, palmæ ramis utrinque, ut in Aſiæ familiæ nummis, veſtita, &, ut in exemplo conſpicitur, tum apice, tum cælaturis, ornata: dextra manus ſpiculum ſuper humerum tenet, læva clypeum, cui eques inſculptus; ſupra caput luna creſcens apparet, fronti Deæ* Romæ, *cujus nomen pone adſcriptum eſt, imminens: infra ſolennis denarii nota addita cernitur. Averſa nummi area depingit ſepta, ſive cancellos, comitiorum, & pontem cum diribitore adſtante, qui tabellam porrigit civi togato, alio item togato ſuffragium ferente per tabellam, ciſtulæ injectam. Appoſitum legitur nomen:* P. Nerva. *In ſuperiore areæ hujus parte aliquod pecuſculum, quod tamen* Fulv. Urſino *ſive non viſum, ſive ſtudio omiſſum, comparet.* Hactenus ipſe Autor noſter, qui nummum *Liciniæ* genti vindicat, &, in Legis *Liciniæ* ſumtuariæ memoriam excuſum olim fuiſſe, ſubjicit. Quibus procemii quaſi loco prolatis, ſummam hujus Legis, quæ in plerisque cum *Fannia* convenit, enarrat, &, dierum, in ea exceptorum, ſignum eſſe lunam creſcentem, conjicit, quæ conjectura ne fundamento deſtituta videatur, Cel. *Havercampum* in partes vocat, quippe qui obſervavit aliquando, plures utique ſupereſſe familiarum Romanarum denarios, in quibus luna creſcens dinumerationem menſium & principia ſignificet. Per bellatricis Romæ imaginem, quæ in nummo oculis ſeſe offert, nihil aliud intelligendum putat doctiſſimus Autor, quam frugalitatem veterum, cauſamque, cur ad ritum ſuffragia ferendi in comitiis nummus reſpiciat, ex *Macrobio* ſuggerit. Ad quadrupedis autem figuram quod attinet, parum veriſimili *Havercampi* conjecturæ opponit longe probabiliorem, hœdum illa denotari, acute docens. In *ſecunda Diſſertatione* pertracta-

 tur

tur difficillimum illud, at jucundissimum tamen, argumentum, *de Puteali Scribonii Libonis.* Jam aliquo abhinc tempore in dissolvendis his nodis vires ingenii exercuerunt Antiquitatum peritissimi Jureconsulti, *Theod. Regner. de Bassenn*, *Christoph. Ludov. Crellius*, & *Henr. Theod. Pagenstecherus*: inter quorum vero labores sine controversia praecipuum locum tenet eruditissima *Crellii* Dissertatio, Vitembergæ A. 1729 publice defensa. Videri ita nonnullis posset Iliada post *Homerum* scripsisse Consultissimus *Conradi*. Sed aliter longe se res habet. Legenti enim hæc scripta, dubia quædam subnata fuerunt, quæ nunc communicavit cum Lectoribus, insertis hinc inde observationibus, haud sane vulgaribus, quibus Autores antiqui Latii emendantur explicanturque. Cumprimis autem certioribus, quam quidem a *Salmasio* factum, argumentis ostendere annisus est Vir elegantissime doctus, tot inter putealia duo omnino ad posteritatis memoriam mansisse celebriora, vetus alterum, loco illi, quo Navia cos olim defossa, postea etiam fortassis fulgure attacto, impositum, alterum recentius, a *Scribonio Libone* factum. Locum utriusque putealis paulo investigat accuratius, vetusque illud a *Julio Cæsare* sublatum esse negat, & *Plinii* verba, ex Historia naturali depromta: *ara inde sublata est*, corrigenda, legendumque potius opinatur: *ea*, *illa*, vel *ut ea* inde sublata est. Ad puteal olim juratum esse a judicibus, non satis constare dicit, quamvis ea *Rævardi*, *Puteani*, *Sigonii*, aliorumque, sententia fuerit. In nummis antiquis, in quibus *Libonis* puteal exhibetur, per inscriptionem: *Bon. Event. Libo.* felicem eventum, quo *Augustus* cuncta, civilibus fessa discordiis, nomine Principis, sub imperium acceperat, *boni eventus* Numine significare voluisse *Libonem*, conjicit: coronam vero & lyras, utrinque appensas, quæ in puteali conspiciuntur, tanquam ornamenta aræ accessisse, existimat, & sub finem, *Morellium* ingenio dedisse aliquid, monet, dum in nummo quodam gentis *Juliæ* legit: *Clem. Cæsar. Puteal.* *Tertio loco* comparet *Fragmentum Legis antiquæ, de recensu populi frumentationis causa agendo, & de tutela viarum locorumque publicorum in urbe Roma, prolatum.*

latum. Acceptum illud refert Autor noster Clarissimo Viro, *Mich. Maittaire*, qui Londini nuper, *Briani Fairfax* beneficio, duas antiquas edidit Inscriptiones, Græcam alteram, Dorica dialecto compositam, & agri, quem Heracleenses *Baccho* consecraverant, dimensionem & fines exponentem: alteram Latinam, insigne scilicet Legis Romanæ fragmentum, adhuc incognitum quidem, sed rerum tamen cognitu dignissimarum plenum. Ipsam tabulam, de cujus antiquitate Græca inscriptio fidem facit ex direptione Heracleæ, anno A. V. C. 559, a Consule, *M. Acilio Glabrione*, in bello adversus *Antiochum*, expugnatæ, Romam fuisse in ærarium perlatam, ac postea legi in altera parte vacua incidendæ inserviisse, haud infeliciter suspicatur Amplissimus Editor. Quanquam autem ille soli Legis Romanæ fragmento lucem constituerit affundere; has tamen Inscriptiones, Londini divulgatas, cum in paucissimorum versari manibus sciat, utramque exhibuit, adjectis alteri notis & conjecturis suis, raram ubique doctrinam redolentibus. In fragmento Romanæ Legis principium, cum magistratus, qui tulit eam, nomine, deest. Videtur hæc tamen, non longo tempore post *C. Sempronii Gracchi* interitum promulgata. Primum legis caput est de recensu populi, frumentationis causa agendo. Secundum de cura viarum in urbe muniendarum, Ædilibus commissa, agit. Tertium fragmenti caput de plaustris interdiu non ducendis intra urbem præcipit, quartoque de locorum publicorum cura, ne quis ea possideat, neve in illis ædificia vel nova exstruantur, vel antiqua extendantur a privatis, præcipue vero de porticibus publicis, cautum est. Ultimo tandem capite de ususfructu vectigalium, publice a publicanis conductorum, magistratum constituisse, monet Celeb. *Conradi*, & non modo passim Autores antiquos, Jurisque Romani leges, illustrat, verum etiam observationes affert quamplurimas, nec ubique obvias, quas, cum instituti nostri ratio, ut multi simus in recensendis iis, non patiatur, Lectoribus, harum rerum cupidis, merito commendamus, & unicuique uberrimos exinde fructus, voluptatemque prorsus insignem, certissime pollicemur. *Dissertatione quarta*, quæ est ultima, *curæ secundæ in gesta Ravennensia*, *quibus Instrumentum*

plenariæ securitatis allegatum est, exhibentur. Dixit Cel. Autor de illo plura in *secundo Parergorum Libro*, cujus nuper summam Lectoribus Annalium nostrorum indicavimus. Nondum ad manus tunc temporis erant, cum in argumento hoc illustrando occupatus esset Vir Consultissimus, *Scipionis Maffei*, Illustris Marchionis, *Historia diplomatica*, pariterque *Inscriptiones antiquæ*, ab eximio Florentiæ Patricio, *Jo. Baptista Donio*, collectæ. Postea vero copia ipsi facta est utriusque evolvendi Operis, ex quo eum simul fructum se tulisse profitetur, ut, conjecturas suas, & criticas annotationes, haud infelices plurima ex parte fuisse, animadverterit. Pauca tantum ei nunc displicent, in quorum locum ex Duumvirorum, quos diximus, chartis meliora hic, & in altiori verisimilitudinis gradu collocata, substituit. Atque hæc de *tertio Parergorum Libro* sufficiant. Quod reliquum est, impense rogamus Ampliss. Autorem, ut aliquando *Julio* quoque *Paulo, ab injuriis Criticorum vindicato*, sedem in *Parergis* suis perpetuam concedat, ne, quod paucis huc usque e civibus nostris usui esse potuit elegantissimum Opusculum, a reliquis frustra in posterum quæratur, nec ipsis exteris, qui non possunt non præclaris ejus applaudere laboribus, ignotum plane incognitumque maneat.

COMPENDIUM ANATOMICO-OECONOmicum, ea omnia complectens, quæ ad cognitam humani corporis œconomiam spectant; cui, quo clarius elucescat, quanti sit Anatomia in Medicina, tam diagnostica & prognostica, quam practica, adjiciuntur prælectiones, laxum & strictum fibræ animalis statum, acescentem & alcalescentem fluidorum dispositionem, actiones medicamentorum, morbos calculosos, artem obstetricariam, & proximas mortis causas, Anatomicis principiis exponentes, in usum Academiæ Oxoniensis constructum a FRANC. NICHOLLS, Med. D. C. M. L. S. F. R. S. & Præl. Anat. Oxon.

Lon-

Londini, impensis Joannis Clarke, 1738, 4 maj.
Plag. 10½, cum Tabb. æn. 7.

Tabularum more in synopsi totam artem concinne admodum complexus est Autor. Ingenio plurimum in hac re valuit, & rerum ordines per genera & species divisit, antiqua etiam Medicorum placita cum recentioris temporis demonstrationibus feliciter conjunxit. Salium alcalium & acidorum indolem, qua causæ sunt morborum, qua medicina, instauravit. Fibræ animalis habitum, actiones ejus in humores, humorumque impetum in animalem fibram, ad *Baglivii* mentem, & proprium animi captum, explicavit, qua ratione ex eadem nunc homogeneæ, sed diversissimæ indolis, nunc heterogeneæ, partes, & denique totum corpus humanum, coalescat, exponens. Hinc omnem Anatomen aggressus, & vulgaria recensuit, inque Tabulis exposuit, & oppido rara. Anatomen animalium cum humana eleganter comparavit. In Ligamentorum doctrina, præter consueta, exponuntur ligamenta elastica, sicut in alis avium, in collo dorsoque brutorum, ita & in homine. Talia sunt intervertebralia, in margine acetabuli coxendicis, ipsaque arteria omni. Est enim ad Autoris mentem membrana quædam, in arteriis, media, *ligamento elastica*. Periosteum aliquod in tubis ossium internis est, ipsam medullam investiens. Novum articuli, sine motu contingentis, genus eidem est Schindulesis, exemplo vomeris ossis narium. Novos quosdam in ossium capitis historia inducit terminos. Sinus sphenoidei eidem *basilares*, processus, ex quibus cellulæ ethmoideæ constant, *papyracei*, dicuntur, sicut & processus in osse petroso, qui palatum respicit, salpingæus nominatur. Ceteroquin in enarratione ossium, quoad terminos, frequenter novus est. Vesicam urinariam forma elliptica depingit, quam nuper admodum Acta Petropolitana descripserunt, omnino, dum urina turget, sphæricam esse. In enumeratione tunicarum, quibus intestina fiunt, diversus est ab omnibus. Nominat enim membranaceam, muscularem, vasculosam, villosam; ast cellulosas prorsus negligit, forte quod tunicas esse neget; nam ignorasse haud potuit. Allantoidem & urachum homini denegat. De mor-

tis causis, quod proximum eidem ab œconomiæ animalis descriptione est, ita pronuntiat: Morimur, si desit fluidi quantitas, itidemque si fluida condensentur, quo per minima vascula propelli haud possint, si vasa strangulentur, & sanguini humoribusque pervia haud sint, si vasa majora comprimantur, quorsum Hydropem & Peripnevmoniam refert, si nervi præcludantur ocyus. Causas morborum a fibra laxa refert ad ætatem juvenilem, dispositionem naturalem, venerem nimiam, animi pathemata, somnum, vasorum vacuitatem, quietem. Stricta autem fibra est a dispositione naturali, ætate provectiore, animi pathematibus, aere, alimentis. Acidum & alcali tachenianum in sanguine quæritur, & in Tabula describitur. Medicamentorum effectus in corpore humano itidem in Tabula disponuntur, & universum negotium ad duo summa capita, alterantium & evacuantium, reducitur. Morbos ossium ita explicat. Ossium ligamento distinctorum coalitus est ancylosis, tumores sunt Exostosis, Tophus, Gomma. Mollia fiunt ossa in Rachitide, spina ventosa. Cariosa existunt ab acredine venerea, scorbutica, aliisque, quæ extus & intus accidunt. Fracturæ sunt simplex & composita, cum speciebus suis subordinatis. Morbos calculosos ita disponit: vel molliter concrescunt, quo termino omnes tumores tunicatos complectitur, vel durius. Bilis calculos in hepate & vesica fellea, urina calculos renum & vesicæ, præstat. Morbos gravidarum & puerperarum concinne admodum explicat. Spectant illi fœcunditatem utriusque sexus læsam, & ipsius conceptus formam, ut verus ille sit vel spurius; gestationem fœtus lædunt affectus, qui durante graviditate ingruunt, partumque vel præmaturum, vel in termino contingentem, spectant. Difficilis est partus vitio uteri, vitio embryonis, eo quod vel male collocetur, vel mortuus habeatur, hinc & secundinarum vitio varia fiunt. Morbi post partum contingentes spectant matris uterum & lochia. In omnibus breviter & eleganter admodum egit.

D. ALBERTI HALLER, MED. ANAT. Chir. Botan. Prof. Publ. Ord. in Academia Regia Georg. Aug.

Aug. Descriptio fœtus bicipitis, ad pectora connati, ubi in causas monstrorum ex principiis Anatomicis inquiritur. Cum Figuris.

Hanoveræ, sumtibus hæredum B. Nic. Fœrsteri & filii, 1739, 4 maj. Plag. 7, cum Tabb. æn. 5.

Celeberrimus Autor, cujus alias de naturali corporis humani fabrica egregia exstant merita, nunc etiam in ejus cognitione ex monstrosa structura sub accuratius judicium vocata proficere amplius elaboravit. Ipsa hæc Dissertatio, quæ monstrosi fœtus descriptionem complectitur, in Diario quodam Helvetico jam ab aliquot annis legitur. Postea vero Cel. Autor aliorum etiam observationes diligenter comparavit, neque minus ejusmodi non naturalis fabricæ originem & rationes cum cura & majori otio eruit, ita, ut ea omnia cum Tabulis æneis prelo iterum putaret committenda. Quoniam autem novam editionem varia impedimenta retardarunt, atque interim *Winslovii* prodiit Dissertatio, qua eandem de monstrorum ortu sententiam proponit, quæ Nostro, nemine consulto, primum in mentem venerat, ne summo Viro illam surripuisse videretur, singula descriptionis suæ, A. 1735 ante editam *Winslovii* Dissertationem jam publicatæ, verba, paucis mutatis, servavit, ea vero, quæ ad illustrationem factura videbantur, seorsim annotationum forma subjecit. Exposita igitur partus, quo defuncta mater erat, difficultate, commemorat, fœtum illum fuisse puellas duas, ex muliere infimæ sortis natas, statura vero ætati suæ convenienti, capillis copiosis, unguibus perfectis, forma certe facierum satis venusta præditas. Sinisteriorem vero fuisse paulo perfectiorem, majoremque, quam dextram, atque ejus caput vitæ, ut dixerunt, signa edidisse, cum reclinatum vi magna caput dexterius in ipso partu exspirasset; libera fuisse capita, colla, brachia, hypogastria, femora, pedesque, connata vero capita & epigastria, ita, ut, dimidiata conversione, thorax dexter cum sinistro tum anteriorem corporis universi quasi faciem, tum posteriorem, efficeret, & latus dextrum puellæ dextræ cum latere sinistro puellæ sinistræ, anterius vero latus sinistrum dextræ cum dextro sinistræ posterioris, conveniret, ideoque & brachia duo anterio-

anteriora, duo posteriora, mammæ duæ priores, duæ posteriores, essent; omnia denique adeo fuisse perfecta, ut dubitare non liceat, prout vixerant, & creverant puellæ, ita fuisse supervicturas, nisi gravi partu vitam cum morte commutassent. Quoniam itaque autoritate magistratus Bernensis fœtum hunc secuit, statum viscerum partiumque quarumvis internarum eo diligentius perquisivit, fusiusque hic enarravit, quo pauciores inter tot monstrorum descriptiones reperiuntur historiæ anatomicæ, ex quibus tamen multæ veritates, ex fabrica naturali non cognoscendæ, perspici queant. In subjunctis notis, quæ maximam libelli partem conficiunt, cum alia multa egregia, præsertim quæ ad Anatomen pertinent, attulit, tum inprimis sollicite annotavit, qui similem viscerum partiumque internarum conditionem, & qui dissimilem in monstris, observarunt. Verum hæc perinde, atque Tabulas æneas, satis nitidas, perlustraturi, ipsum libellum adeant. Nos potius Autoris sententiam vel ob id inprimis, quod sit nova, paulo copiosius referemus. Antiqui fere naturam gemellos molientem, sed seminis aliquo defectu impeditam, & ad aliam fabricam indigentia aliqua coactam, accusarunt. Recentiores plerique duobus ovis, aut duobus vermiculis, in unum conjunctis, ortum variorum monstrorum adscribunt, opinionemque suam argumentis ex Autoris sententia non infirmis, hic longius enarratis, propugnant. In aliam Noster ingressus est sententiam, quæ jam antea *Duverneyo* atque *Winslowio* se probavit. Sibi enim persuadet, singularem illam fabricam in prima jam delineatione exstitisse, neque potuisse per vim externam casusve alios ex solita structura demum per corruptionem aliquam enasci. Primum vero & solum fere argumentum, quod ipsum in hanc sententiam adduxit, hoc fuit, quod cor duabus puellis unicum & commune fuisse vidit. Quoniam vero cor jam in primordio primisque fœtus staminibus adest, atque adeo ante, quam cor, nulla pars vita fruitur, propterea non fuit ullum tempus, quo puellæ distinctam vitam egerunt. Unde facile intelligitur, nullum hic factum esse coalitum, neque cor vi externa a solita constructione recessisse, cum ejus vulnera & passiones, quæ ad mutandam illius fabricam

eam requiruntur, omnino mortem arcessant. Verum, si primaria hæc pars, a qua omnes pendent, in sua origine recessit ab archetypo humano, reliquæ etiam tum ab eodem recesserunt, quoniam earum anomalia cum anomalia cordis arctissimum nexum habet. Nullum itaque tempus fuit, quo noster fœtus reliquis fœtubus fuerit similis, sed, quam primum structus, etiam ad eam fabricam structus fuit, quam nobis repræsentavit. Fuit ergo non monstrum per casum deforme, sed exemplar novi generis creaturarum, & documentum, qua ratione divina sapientia & alias hominum formas efficere queat, in genere perfectissimas & felicissimas. Nihil enim fuit in toto corpore, quod non ad ideam suam exactum, nihil temere projectum, nihil, quod non ad bicipitem, & uno corpore constantem, speciem configuratum esset. Idem forte sentiendum esse putat de plerisque partubus, qui infami monstrorum nomine naturæ errori tribuuntur, cum potius specimina divinæ sapientiæ, se in infinitos archetypos diffundentis, dicenda essent. Argumentis vero, quibus, in prima jam delineatione monstrorum singularem exstitisse fabricam, propugnat, his utitur: 1) Frequenter occurrere solent partes abundantes, aut deficientes, aut transpositæ, ubi in abundantibus nulla de alio fœtu suspicio, in deficientibus nulla causa morbosa probabilis, in transpositione certæ notæ, vim omnem excludentes, adsunt. 2) Vicissim defectus interdum adsunt sine suspicione illatæ violentiæ. 3) Adsunt partium transpositiones, ubi nulla vis externa admitti potest. 4) Coalitæ partes reperiuntur frequentissime ea arte, ut casus fortuitus eo adspirare nequeat, eo sapienti consilio, ut manifesta præstituti finis indicia contineat. 5) Non raro partes quædam existunt novæ, quæ neque ex corruptione aliarum, neque casu, exortæ esse possunt. 6) In fœtubus duplicatis frequentius observantur partium maximi momenti mutua commercia, ita, ut ab uno fœtu in alterum arteriæ, venæ, nervi, &c. emittantur. 7) In paucis istis observationibus, quæ interiorem monstrorum fabricam aperiunt, fidemque merentur, exstant varia, quæ præscriptam normam, certum finem, causasque, eo directas, indicant. Ex his pariter atque contrariis,

quas antea in medium adduxerat, rationibus, inter ſe expenſis, Noſter concludit, fieri utique coalitus, fœtumque, & ejus partes, ex cauſis etiam ſerius accedentibus variis modis mutari; verum & id certum eſſe, quod in fœtubus ſingularis fabricæ aliisque exiſtant partes, ad aliam normam a prima delineatione deſtinatæ, & ad certum finem factæ; videri tamen eas fabricas, ubi omnia inter ſe ad perfectionem novi ſui generis conſentiunt, ubi finium diſtincta adſunt veſtigia, ubi partes maximi momenti atque primævæ alienam ſtructuram præ ſe ferunt, ubi mutuum eſt partium principum inter duos fœtus commercium, eas ſcilicet fabricas ad delineationem primam pertinere, neque ſerioris injuriæ defectus eſſe. Et, quamvis, Deum monſtra condidiſſe, idque directe, durum dictu videatur, attamen, cum certo etiam de partium nunc abundantia, nunc defectu, nunc mutato ordine, neque minus conſenſu cum præſtituto fine, & corporis felicitate, ex ſuperioribus conſtet, exinde etiam conditorem agnoſci contendit, cum illa ſine primæva delineatione haud enaſci queant, hic vero, conſenſus ſcilicet, ſapientiam conſtruentis intelligentiæ declaret. Neque durum eſt, individua quædam ita figurari, ut vitam vel nunquam, vel non ſatis felicem, vivere queant. Infinita enim Numinis liberalitas immenſam copiam ſeminum plantarum, ovorumque animalium, condidit, quæ cauſarum ſecundarum determinato concurſu vita & fine ſuo deſtitutum iri, certo præſciebat. Quænam autem divinæ voluntatis ratio fuerit, quare ad novas has corporum ideas quædam individua præ aliis determinaverit, merito ignoramus. Non indignum tamen fine & conſenſu univerſi videtur, in elaborandis diverſis archetypis ampliorem & auguſtiorem hominibus ante oculos poſitam eſſe contemplationem potentiæ ſapientiæque divinæ, nullis naturæ legibus, nulla formarum neceſſitate, adſtrictæ. Fortaſſis & ſubeſt aliquid, quod hominem ad meditationes de aliis corporibus, ad alias mentes, ad alias leges, ſed & ipſas perfectiſſimas, compoſitis, erigat. Ita vero ortus monſtrorum Noſter explicat, cujus ſententia, ſane nova, nec ita ab ullo alio propoſita, num ſe probatura ſit multis, liceat nobis dubitare.

PHI-

PHILOSOPHIA SENSUUM MECHANICA, ad usus Academicos accommodata, opera & studio P. F. FORTUNATI A BRIXIA, Ord. Minor. Ref. Prov. Brixiensis Sac. Theologiæ Lectoris, & in Brixiensi Academia Publ. Mechanicæ Professoris.

Tomi II.

Brixiæ, ex typographia Joannis Mariæ Rizzardi, 1735, 4 maj. Tomus I Alph. 2 plag. 8, Tomus II Alph. 3 plag. 6, Tabb. æn. 10.

Cl. Autoris Elementa Geometriæ, ad Philosophiam comparandam accommodata, in *Actis A. 1736 Mens. Octobr. pag. 470 seq.* recensuimus. Iis jam succedit præsens Physicum systema, idque satis amplum, cujus aliquem conspectum exhibere aggredimur. Placuit Cl. Autori, illud insignire titulo *Philosophiæ Sensuum*, cum versetur in explicandis phænomenis, quæ sensibus nostris obversantur. Mechanica Philosophia dici potest, quoniam de legibus motus disserit, quarum ope demum naturam rimari valemus & intelligere. Hoc itaque Opus concinnaturus, non eam sibi viam ineundam duxit Autor, uni alicui Philosophorum sectæ ut nomen daret, quod antiquos equidem novimus factitasse; sed ut ex omnibus sententiarum divortiis, studiose excussis, optima quæque, & quæ veritati maxime propinqua viderentur, sua faceret, eclecticam philosophandi rationem secuturus. Abhorret enim a philosophica illa tyrannide, qua discipuli in verba magistrorum jurare adiguntur. Inde procul dubio factum, ut totum Opus in Dissertationes distribuerit. Ea enim ratione licuit exhibere complexum omnium eorum, quæ de argumento aliquo in utramque partem fuere disputata, suumque de iis judicium interponere. Sed eandem ob causam fieri non potuit, quin aliquando immixtæ fuerint quæstiones, in Scholasticorum quidem subselliis magno olim strepitu agitatæ, nostris autem temporibus obsoletæ fere & explosæ. Cui quidem operæ Doctissimus Autor egregie, quod pace ipsius dixerimus, parcere potuerat. Tantum vero abest, eapro-

eapropter ut dicam ei ſcribere velimus, ut, veritatis amore ducti, libenter fateamur, gratias ipſi deberi a naturalis ſcientiæ cultoribus, quod luculento hoc Opere conatus ipſorum juvare voluerit, congerendo plurima, apteque diſponendo, quæ multo labore ex ſcriptis quampluribus conquirenda eſſent. Quod autem ut plenius intelligatur, e re eſſe videtur, ut absque longiore circuitu ad Operis totius rationem penitius inſpiciendam accedamus, hancque breviter & perſpicue Lectoribus noſtris exponamus. *Tomi* ſunt *duo*. *Prior* exhibet *Phyſicam generalem: particularem poſterior*. *Sex Diſſertationibus* comprehenduntur, quæcunque ad *Phyſicam generalem* ſpectant. Iis autem præmittuntur *Prolegomena in Phyſicam*, lectu ſane non indigna, nec injucunda, exhibentia quippe conſpectum ſectarum omnium, aut ſaltem notabiliorum, quæ inde ab incunabulis fere ſcientiæ naturalis, ad noſtra usque tempora, viguerunt: quas inter eminent Ionica, cujus autor *Thales Mileſius*, Italica, quam fundavit *Pythagoras*, Eleatica item & Academica aut Pyrrhonica, Cynica, quam cumprimis ornavit *Diogenes*, Stoica, cujus princeps *Zeno*, Epicurea, Peripatetica denique, ſive *Ariſtotelica*, Scholaſticaque, exinde infelici partu nata, & vix uno abhinc Seculo tantum non toti terrarum orbi imperans. Epocham ſectæ, quam vocat, recentiorum ad tempora *Galilæi*, Philoſophi lyncei, refert Autor, qui, miſſis barbarorum hominum quisquiliis, & excuſſo tyrannidis jugo, alias philoſophandi, & ad liquidam veritatem perveniendi, vias ingreſſus eſt. Sed *Kepleri* quoque noſtratis meminiſſe hic oportebat, qui *Galilæo* fuit coævus, ſumma ingenii vi conſpicuus, easdemque de rebus naturalibus philoſophandi methodos amplexatus. Hos excipiunt *Gaſſendus* & *Carteſius*, quorum, poſterioris præcipue, dogmata innumeros invenerunt ſectatores, quos inter aliquos nominat Noſter, quippe quibus plurimum debeat. Tandem quoque de ſecta Electiva, cujus princeps habetur *Potamon Alexandrinus*, pauca adjiciuntur. Quo facto, enarrantur diviſiones Philoſophiæ naturalis, tam laxiores, quam ſtrictiores, nec non opera phyſica *Ariſtotelis*; ſicque, *Prolegomenis* finitis, ad *Diſſertationes* ipſas acceditur.

Prima

Prima igitur *Dissertatio* agit de corpore physico, generatim sumto; ubi quidem statim expenditur sententia *Cartesii*, corporis physici naturam, perinde ac geometrici, absolvi sola extensione, putantis, atque a viris summis eo nomine dudum reprehensi. Monstrat Noster, *Cartesio* hac in re præluxisse *Platonem*, omnesque Stoicos. Deinceps negat, naturam (seu, ut scholastice loqui amat, rationem formalem,) corporis physici contineri tribus ejus dimensionibus, & argumenta contraria solvere conatur. Rejicit pariter sententiam *Gassendi*, naturam (aut essentiam, vel, si mavis, rationem formalem,) corporis physici in impenetrabilitate collocantis. Suam deinceps sententiam expressurus, rationem formalem corporis physici consistere contendit in *naturali exigentia occupandi locum impenetrabiliter*. At vero nec ista explicandi ratio, quippe admodum obscura, rem exhaurit. Non videtur inspexisse unquam Cl. Autor Schediasma dynamicum Illustris *Leibnitii*, insertum *Actis* nostris *A. 1695 Mens. April. pag. 145 seq.* ubi sane veræ & genuinæ de corpore physico ideæ dantur, a Cel. *Wolfio* deinceps ulterius excultæ in metaphysico Systemate pariter ac in physico. Asserere non dubitat Autor *pag. 24*, duo corpora posse simul in *eodem* loco consistere, neque idcirco desinere esse *natura sua impenetrabilia*. Intime enim penetrabilia non fieri, sed tantum effectu suo naturali privari, &c. Quid est, tricas obtrudere, si hoc non est? *Secunda Dissertatio* agit de affectionibus corporis physici, generatim sumti, de magnitudine, (ubi sat magna quæstionum antiquarum farrago proponitur,) de divisibilitate magnitudinis in infinitum, deque atomis. Suam sententiam dicturus Autor, hac moderatione utitur, ut neget, divisibilitati materiæ ab humana mente limites constitui posse, quod & ipse *Cartesius* intellexisse videatur, dum materiam in *indefinitum* divisibilem asseruit. Sequuntur de motu locali, figura, situ, &c. quæ referre non interest. Quæstionem de *vacuo* in tres alias distinguit Autor, scilicet 1) an vacuum coacervatum repugnet; 2) an re ipsa illud habeatur in rerum natura; 3) an illud viribus naturæ obtineri possit. Negat has quæstiones a *pag. 41* ad *43*. At vero in hac ipsa *Dissertatione*,

tione, præter quæſtiones ejusmodi, ſubtiles magis, quam utiles, occurrunt etiam verioris & realis Phyſicæ fundamenta, leges ſcilicet motus æquabilis, & notiones præcipuæ, quibus ſuperſtruitur ſcientia motuum. Notari debet, Autorem *pag. 59* fateri, ſe neſcire, in quonam præciſe conſiſtat motus velocitas aut tarditas. Opportune autem accidit, ut hæc intelligenda ſint de conceptu velocitatis tarditatisve metaphyſico aliquo & abſtruſiore, non autem de phyſico illo aut mathematico, quo in eruendis motuum ſymtomatibus ipſe Autor feliciter utitur. Mirum vero, viros egregios cum ſpectris hujusmodi adhucdum luctari, & nodos in ſcirpo quærere. Porro, præter alia, quæ non attingimus, in hac ipſa *Diſſertatione* agitur de motu ſimplici & compoſito, de motu corporum reflexo, de colliſione corporum, & inde orta communicatione motus. Exponuntur ſcilicet regulæ percuſſionum ordinariæ, pro corporibus elaſticis & non elaſticis. Pauca quoque de occurſu corporum obliquo tractantur. Leges motus *Carteſianæ* recenſentur, examinantur, &, quæ a vero alienæ ſunt, refelluntur. Sequitur *Diſſertatio tertia*, de principiis intrinſecis compoſitorum naturalium agens. Et quidem *pag. 111 ſeq.* proponitur ſyſtema principiorum metaphyſicum, quod excipit ſyſtema principiorum mechanicum *pag. 118 ſeq.* denique ſyſtema principiorum elementare & chymicum *pag. 134 ſeq.* In ſyſtemate principiorum metaphyſico rurſus videre eſt copioſam ſubtilitatum ſegetem, de materia, forma ſubſtantiali, accidentali, &c. quarum recenſione non fatigabimus Lectores noſtros. In ſyſtemate mechanico probare Cl. Autor ſatagit *pag. 119 ſeq.*, compoſitum quodque naturale exſurgere primo ex moleculis quibusdam exiliſſimis, inæqualis magnitudinis, diverſæ figuræ, artificioſe contextis, quarum aliquæ jugi motu præditæ ſint, aliæ in quiete conſiſtant. Notat tamen, corpuſcula hæcce ab Epicureorum atomis quamplurimum differre. Ea enim non ſtatuit indiviſibilia, &, ut ita loquamur, infrangibilia. Sententiam ſuam comprobaturus, adducit experimenta circa diviſibilitatem materiæ, capta a *Boylio*, *Leuwenhœkio*, aliis. Ait tamen *pag. 123*, corpuſcula, ex quibus compoſita naturalia exſurgunt,

gunt, esse substantialiter homogenea. De physica (ita loquitur) natura materiæ primæ dicturus, *pag. 127* eam collocat in eo, ut sit substantia impenetrabilis, indefinite extensa. In eo deinceps est, ut *Cartesii* sententiam de materia prima confutet. Tandem, ut de systemate principiorum elementari & chymico pauca dicamus, observandum, Cl. Autorem probare contendere, in omni composito naturali perfecto formaliter contineri quinque Chymicorum principia, scilicet sal, sulphur, spiritum, seu mercurium, terram, aquam; nec tamen ideo ea esse prima rerum principia; probabiliter autem dici posse principia mixtorum naturalium intrinseca *secundaria.* Substantiam terream se habere in composito naturali, ut subjectum; salino-sulphureo-mercurialem, ut formam; humida vero, aquosa, sive phlegmatica, ut vinculum, quo substantia actuosa simul cum terrea colligata detinetur. *Quarta Dissertatio* occupatur circa qualitates sensibiles mixtorum corporalium. Cum *pag. 146 seq.* de qualitatum sensibilium natura in genere disseruisset Cl. Autor, statim provehitur ad explicandam naturam, & affectiones luminis, utpote qualitatum sensibilium præstantissimæ. Præliminariter autem de materia ætherea *pag. 151* disserit, eamque definit per substantiam quandam subtilissimam, & summe fluidam, quæ per immensa cœlorum spatia diffusa, & usque ad terræ centrum in orbem expansa, corpora quæque pervadit, cuncta ambit & penetrat, universum, *animæ* instar, actuat quodammodo, atque perficit, omnium naturalium motuum origo præcipua, ac totius naturæ instrumentum. Quo facto, expendit naturam lucis primariæ, quo nomine illam affectionem sive qualitatem intelligit, qua corpus *formaliter* lucidum efficitur. Per lucem vero secundariam, sive lumen, qualitatem illam intelligit, quæ per medium diaphanum a corpore luminoso quoquoversum diffunditur, eaque mediante, opaca quæque corpora proxime visibilia redduntur. Lucis primariæ naturam satis apte collocari putat in rapidissimo subtilium partium ipsius corporis, quod luminosum dicitur, motu. *Pag. 156 seq.* agit de natura luminis, sive de propagatione lucis. Ut inter plurima opinionum discrimina statuere quidquam ipsi liceat, primo observa-

ſervationes quasdam in medium affert, ex quibus conficit *pag.* *160*, probabiliſſimum eſſe, lucis propagationem fieri per motionem quandam, preſſionemque rectilineam materiæ æthereæ. Lumen igitur a materia ætherea *materialiter* non differt, ſed *formaliter* eſt certa preſſio rectilinea hujusmodi ſubtiliſſimæ ſubſtantiæ, a lucido corpore proveniens. Deinceps Cl. Autor progreditur ad Luminis phænomena explicanda, & primo quidem de ejus propagatione ſucceſſiva, non inſtantanea; de ejus intenſitate; quam, notum exiſtit, ſequi inverſam rationem duplicatam diſtantiarum a luminoſo; deinde de opaco, & diaphano; de ejus illuminatione; de umbra; iterum, de reflexione luminis in ſpeculis diverſæ figuræ, refractione per lentes varias, ac diſperſione, agit. Paucis, totius Opticæ, Catoptricæ, & Dioptricæ, principia ſuccincte hic tradidit. De Coloribus deinceps acturus, præcipuas ea de re Philoſophorum ſententias exponit. Refutat *Carteſium*, qui, colores produci, defendit, ex motu recto & circulari globulorum ſecundi elementi, ſeu materiæ æthereæ. *Pag. 201* pronuntiat, hypotheſin colorum *Newtonianam* non videri admittendam, & quædam contra eam argumenta profert, quæ quid habeant roboris, judicent alii. Tandem, adducta quoque Cl. *Rizzetti* hypotheſi, quam & ipſam impugnat, ſuam proponit, licet non novam, quod ipſe quidem fatetur. Conſiſtit hæc autem in eo, ut colores dicantur nihil eſſe, niſi modificationes luminis variæ, hoc eſt, conſiſtere in variis lucis cum umbra mixtionibus. Ait itaque Autor *pag. 207*, non ſine maxima probabilitate dici poſſe, *flavum* colorem emergere, ſi tres ſint partes lucis, & una umbræ: *rubrum*, ſi lux duplo major ſit umbra; *viridem*, ſi tot pæne radii luminoſi, quot umbroſi, reſiliant; *cæruleum*, ſi duæ ſint partes umbræ, & una lucis; ac denique *violaceum*, ſi unus tantum radius lucis, & tres umbroſi, vibrentur. Veremur autem, ut noſtra tempeſtate hæc explicandi ratio quosdam adhuc ſectatores nanciſci poſſit. Expoſita luminis natura, progreditur ad naturam ſoni *pag. 209 ſeq* eumque collocat in motu tremulo exiguarum partium corporis ſonori. De propagatione & celeritate ſoni affert notatu digniora, aitque *pag. 213*, optime concludere Cl. *Zanottum*, quod ſono-

ſonorum magnitudines ſint inter ſe, ut facta ex aeris denſitate in ejus elaſticitatem, unde varias deducit conſequentias. Quæ ſequuntur de ſonis gravibus & acutis, de conſonantiis & diſſonantiis, vibrationibus chordarum, tuba vocali, ſeu ſtentorophonica, &c. copioſius recenſere, opus non eſt. Hanc tractationem excipiunt aliæ, de qualitatibus tactibilibus, de ſaporibus, odoribus, denique de vi corporum elaſtica, & qualitatibus occultis. Hæc a *pag. 219* ad *254*. Inſeruntur quædam *pag. 234* de vacuo diſſeminato, quale cum *Gaſſendo* adſtruere Noſter conatur, licet, uti ſupra vidimus, vacuum coacervatum neget. Corporum vim elaſticam probabiliter oriri contendit *pag. 251* a fluido *elaſtico*, intra ipſorum poros incluſo. Sed quid, ſi quis ex Doctiſſ. Autore quæreret, undenam originem trahat elaſticitas fluidi, corporum poris incluſi. Tandem *pag. 254* & *255* in eo eſt, ut cum qualitatum occultarum portentis, e. g. antipathia, ſympathia, antiperiſtaſi, ideas aliquas conjungere doceat. Ipſe enim agnoſcit, effectus omnes, qualitatibus occultis alias attribui ſolitos, proficiſci unice ex mechanicis exilium molecularum affectionibus, magnitudine nimirum, figura, & motu. Sed ſatis de hac Diſſertatione. *Quinta Diſſertatio* agit de motibus internis mixtorum naturalium, primo ſcilicet de generatione ſubſtantiali mixtorum, *pag. 256 ſeq.* quam fieri probat per meram unionem & artificioſam connexionem corpuſculorum præexiſtentium. Subjiciuntur quædam de fermentatione & maturatione, cum ſecundum Autorem natura, mediante fermentatione, compoſita omnia producat, & maturatione perficiat. Fermentationem produci aſſerit a particulis elaſticis, mixto incluſis, perinde ac maturationem, quam in eo motu ponit *pag. 261*, quo craſſiores mixti particulæ leniter attenuantur, & cum actuoſis & vividis debite miſcentur, unde mixtum perfectum efficitur. Quæ ſequuntur, agunt de corruptione ſubſtantiali, putrefactione, combuſtione, inflammatione, incineratione, calcinatione. Ea excipit tractatio de motu transſpirationis, ſeu de corporum effluviis, *pag. 272 ſeq.* ubi inprimis adducuntur obſervationes *Sanctorii* circa inſenſibilem transſpirationem corporis humani. Tandem diſſeritur de motu

tu rarefactionis & condensationis, (ubi simul de raro & denso,) de corporum compressione, deque motu liquefactionis & consistentiæ. Hæc a *pag.* 278 ad 283. *Sexta* denique, eaque ultima, *prioris Tomi Dissertatio* utilissimum de motu gravium fluidorum & solidorum argumentum continet. Incipit Cl. Autor ab eo, ut inquirat in causam effectricem descensus gravium, seu gravitatem. Itaque more suo celebriores Philosophorum opiniones primo considerat, suam deinceps propositurus, rejectis aliis omnibus. Novam autem suam explicandi rationem dicit, ex hydrostaticis quibusdam principiis desumtam, quæ cum phænomenis & legibus naturæ ipsi videatur egregie congruere. Eo autem redit, ut descensus gravium probabiliter oriri dicatur a liquida quadam substantia, quæ, datum punctum, quod commune eorum (gravium scilicet) centrum dicitur, ambiens, ab eo quoquoversus secundum lineam rectam recedere nititur. Vide *pag.* 295 *seq.* Post absolutam hanc explicationem, graviter invehitur contra attractiones *Newtonianas*, & loco appendicis ad hanc materiam subjungit brevem conspectum theoriæ de viribus centralibus gravium, in gyros actorum. Sequitur tractatio de libero gravium descensu, ejusque acceleratione, ubi primo recensentur experimenta, a *Galilæo* & *Ricciolo* capta, deinceps omnia demonstrantur a priori, ea ipsa methodo, qua usus est *Galilæus*. Et, ne quid desit eorum, quæ ad motum gravium acceleratum quodammodo spectare videntur, subjiciuntur quædam de ictu, quo gravia cadentia corpora subjecta percutiunt. Igitur *pag.* 313 recensetur notum illud Cel. *Poleni* experimentum, quo deprehensum est, si duo corpora, volumine æqualia, sed pondere diversa, demittantur ex altitudinibus, quæ sint reciproce ut pondera, ea corporibus mollibus, e. g. sebo, foveas *æquales* imprimere; unde ipse Autor conficit *pag.* 314, vires vivas corporis cadentis æstimandas esse per factum ex massa in quadratum velocitatis. Sed mirari jure subit, qui Vir doctus *pag.* 315 iterum fluctuare incipiat, ita fere ratiocinans: Cum non omnis motus corporum in rerum natura sit uniformiter acceleratus, adeoque celeritates in spatiorum ratione subduplicata, perspicuum manet, legem naturæ universalem non esse,

quod

quod vires corporum motorum cum *Leibnitio* menſurari debeant per maſſam in quadratum celeritatis ductam. Quaſi vero natura ſibi tam parum conſtaret, ut in motu corporum accelerato alias virium leges ſequatur, ac in quovis alio. Sed annon Vir Cl. legit demonſtrationes *Bernoullianas*, *Hermannianas*, aliasque, e longe aliis fontibus petitas, ſemper tamen unam hanc eandemque vires vivas æſtimandi rationem conſtantiſſime producentes? Aſt revertamur ad inſtitutum noſtrum. Igitur in ſequentibus agitur de motu corporum in planis inclinatis, quæ omnia, mutatis mutandis, ad deſcenſum in curvis referri poſſunt, ut conſtat. De iis igitur, non eſt, ut fuſius dicamus. Lapſu forſan calami factum, ut *pag. 322*, ubi de linea celerrimi deſcenſus ὡς ἐν παρόδῳ ſermo eſt, Cl. Autor poſuerit, illud Problema ab *Hugenio* eſſe ſolutum, qui tamen eo tempore vivis jam exceſſerat. Agitur deinceps de ſuſpenſione & ſuſtentatione gravium, ubi de centro gravitatis, & de motu pendulorum, traduntur ſumme neceſſaria; motus etiam projectorum expenditur: ubi ſtabilitur principium Balliſticæ; nec minus *pag. 337 ſeq.* agitur de motu corporis impreſſo a motore translato. Quo facto, incipit tractatio ſtatica, ubi de potentiis & inſtrumentis mechanicis. Eam excipit Hydroſtatica, & quædam propoſitiones ex Hydraulica, ſcilicet eæ, quæ fluxum liquorum ex foraminibus vaſorum, & tuborum depletionem, reſpiciunt. Nec minus diſſeritur de aeris pondere & æquilibrio, deque cauſa ſuſpenſionis Mercurii in tubo *Torricelliano*, iisque motibus, quorum cauſa olim rejiciebatur in metum vacui. Sed ſatis de *Tomo primo*; ad *ſecundum* continuo pergamus.

Diſponitur autem *Volumen* hocce in *Tractatus tres*, quibus comprehenditur univerſa *Phyſica particularis*. *Primus* inſcribitur de cœlo & mundo, abſolviturque *quatuor Diſſertationibus*. *Primæ Diſſertationis* argumentum eſt de ſphæra mundi, adeoque traduntur Aſtronomiæ & Geographiæ principia. Agitur enim de figura mundi, de circulis ſphæræ, de longitudine & latitudine geographica, de triplici ſphæræ poſitione, de zonis, climatibus, diviſionibus incolarum terræ, &c. Hæc a *pag. 3* ad *43*. Quæſtionem de figura telluris attingit, argumenta

præcipua, quæ pro utraque ſententia militant, in medium aſferendo. Suum vero judicium de re dubia hactenus ſuſpendit. Negat tamen, ex eo concludi poſſe Terræ figuram ſphæroidico-latam, quod pendula tardius moveantur ſub æquatore, quam in terris borealioribus. Effectum enim hunc unice provenire poſſe ab aucta penduli longitudine per intenſum caloris gradum. Negat pariter contra alterius ſententiæ promachos, ex dimenſionibus in productione Meridianæ per Galliam factis, adſtrui poſſe hypotheſin ſphæroidis oblongi, cum non conſtet, an ſolertiſſimorum cetera virorum operationes ab omni penitus errore immunes fuerint, inſtrumentaque ejus indolis, ut a nulla aeris temperie vitiari potuerint. Plura de hac Diſſertatione non addimus. *Secunda Diſſertatio* agit de mundi ſyſtemate. De qua ſcire volumus Lectores noſtros, quod de tribus celebrioribus ſyſtematibus, *Ptolemaico*, *Tychonico*, *Copernicano*, perquam copioſe tractet. Neſcimus autem, an plerique approbaturi ſint, quod tot argumenta contra ſyſtema *Copernicanum* congerere annifus ſit Cl. Autor, illaque enervare, quæ præclariſſimum ſyſtema mirifice adſtruunt. Sed facile crediderimus, id eam ob cauſam fieri debuiſſe, quoniam ordini ſacro adſcriptus eſt, adeoque decretis Congregationum adverſari non audet. Concludit tandem, ſyſtema *Copernicanum* admittendum eſſe ut hypotheſin, quæ conſpiret cum phænomenis aſtronomicis, minime vero ut theſin aliquam. Ita, novimus, imperaſſe Eccleſiam Romanam. Syſtema vero *Tychonicum* ſibi *videri Copernicano* præferendum, pronuntiat. *Diſſertatio tertia* ſpeciatim de aſtris agit, de Sole ſcilicet, Luna, Luminarium Eclipſibus, Planetis ſuperioribus, inferioribusque, eorum diſtantiis & magnitudine, de ſtellis fixis, de ortu & occaſu ſiderum, de cauſa motus ſiderum, tandemque de Cometis. In qua uti multa occurrunt recte docteque expoſita, ita nonnulla obſervavimus, quæ neſcio quam in philoſophando *timiditatem* arguunt. E. g. *pag. 97* ita loquitur Autor de incolis Lunæ: *De iis quæri poteſt, utrum in Adamo peccaverint; an ad gloriam deſtinati ſint; num ſuis, vel Chriſti, meritis beatitudinem conſequantur. Alia certe providentia*, (ita inſcius dubiis egregie

gie respondet,) *debet esse erga illos, qui non sunt ex Adamo geniti. Hæc, aliaque absurda, expendant Catholici. Ratum enim habeo, Lunares populos non nisi ab iis admitti posse, qui, ut male sentiunt in fide, ita perperam de rerum natura philosophantur.* Negat, circa Lunam dari atmosphæram, argumenta, quibus eam adstruere conatus est Cel. *Wolfius*, oppugnans. De causis motuum astrorum physicis systemata celeberrima copiose proponit, &, quæ iis objici possint, indicat. Ipse interim Cl. Autor ingenue suam hac in re ignorantiam *pag. 133* fatetur. Cometas cum recentioribus *pag. 147* pro errantibus quibusdam sideribus habet, a ceteris astris natura quidem dissimilibus, sed ab initio simul cum aliis conditis, quæ certa constanteque periodo peculiares orbitas describunt, statisque subinde temporibus in mortalium conspectum veniunt. Sequitur *Dissertatio quarta*, quæ occupatur in eo, ut exponat scitu maxime necessaria de tempore, ejusque partibus, stabiliatque Chronologiæ principia. Igitur iis copiosius recensendis supersedemus, ne limites transgrediamur. Pari ratione recensione *Tractatus secundi* breviter defungi liceat, qui *duabus Dissertationibus* absolvitur. *Prima* agit de partibus sphæræ elementaris, ea quidem ratione, ut primo determinentur partes sphæræ elementaris, deinceps de globo telluris, & phænomenis, in ejus superficie contentis, disseratur, tertio exponatur natura aquæ, ubi de mari, de fontium origine, thermis & aquis mineralibus, tandemque inquiratur in aerem, & terrestrem atmosphæram, ubi de natura & origine vaporum & exhalationum. *Dissertatio secunda* ea pertractat, quæ spectant ad meteora omnis generis, spirantia, seu ventos, aquea, ignea, emphatica. Unicum notamus, Clarissimo Autori probabile videri *pag. 306*, quod *aurora borealis* oriatur ex tenuissimis terræ halitibus, qui, in subliniorem aerem evecti, refractos in atmosphæra terrestri solis radios excipiant, & in nos regerant, idque fortius vel debilius, pro diversa ipsorum indole. *Tractatus* denique *tertius*, isque ultimus, agit de corporibus viventibus, in *octo Dissertationes* distributus, quarum contenta paucissimis indicabimus, finem nostræ recensionis facturi. *Pri-*

ma inſcribitur de vita vegetante, ſive de plantis, ubi expenditur, quid viventis nomine intelligendum ſit; quæ plantarum ſit ſtructura & generatio; quæ earum nutritio & augmentum. *Secunda* verſatur circa animam ſentientem, ſeu partem hominis ſenſitivam. Ibi itaque traditur anatome compendiaria partium ſolidarum corporis humani, de partibus ad ſenſationem ſpectantibus, ſive de cerebro, nervorum propagine, & ſpiritibus. Tandem de animis bellvarum diſſeritur, excutiturque quæſtio celebris, an belluæ mera ſint automata, an vero cognoſcendi aliquo principio polleant; de qua cum argumenta in utramque partem propoſuiſſet, concludit tandem *pag*. 372, probabilius eſſe, belluas nulla cognoſcendi & percipiendi vi pollere, ſed eas pura eſſe automata. *Tertia Diſſertatio* agit de ſenſibus externis, viſu, ubi oculi ſtructura exponitur, de triplici viſione, directa, reflexa, refracta, de ſenſibus auditus, guſtus, olfactus, tactus. *Quarta* de ſenſibus internis. *Quinta* de motu animalium ſpontaneo; ubi de muſculorum ſtructura & motu in genere, item de animalium inceſſu, volatu, reptatu, &c. *Sexta* de parte hominis vitali; ubi de ſtructura & motu cordis, deque ſanguinis circulatione, de reſpiratione, & ejus organis. *Septima* de parte hominis naturali, prout a genitali diſtinguitur; ubi de chyloſi, ejusque organis, de hæmatoſi, ubi plura ad ſanguinem pertinentia explicantur, nec non de animalium nutritione, fame, & ſiti. *Octava* denique de generatione animalium; ubi primo de generatione animalium, quæ vulgo imperfecta dicuntur, deinde de generatione animalium perfectorum, tandemque de formatione humani fœtus in utero materno, deque illius nutritione, augmento, & partu, luculenter diſſeritur.

DE FUNGIS EX SILICE NASCENTIBUS Obſervatio JO. LUDOVICI ALEFELD, P. P. Gieſſenſis.

Plantas quasdam, interque eas etiam fungos, vel lapideæ, vel alterius cujuspiam, ſubſtantiæ, a materia vegetabilium, quarum

rum tamen naturam imitantur, valde diversæ, in rupibus præcipue marinis nasci, hodie satis certum, & a rei etiam herbariæ scriptoribus pridem annotatum est. Simile quid & nobis extra maris undas observare nuper licuit; quod, quoniam a nemimine adhuc commemoratum legimus, in gratiam naturæ curiosorum paucis describemus. Inter *Silices*, quorum magna apud nos copia est, mense Julio superioris anni multos diversorum colorum, albos, nigros, rubros, cœruleos, virides, violaceos, &c. reperi, qui primo obtutu in parte extra terram prominente candido quodam pulvere consperſi videbantur: cum vero, microscopio adhibito, acrius eos intuerer, pulvisculos illos *fungos* esse deprehendi, unius ejusdemque omnes speciei, figura & colore terrestribus simillimos. Sunt enim *albi*, *pediculo vel nullo, vel brevissimo, capitulo globoso, pileolo rotundo & umbilicato, in superiori superficie striis seu sulcis admodum conspicuis, a centro ad peripheriam excurrentibus, signato, & margine extremo paululum elevato;* ut adeo tota illorum forma externa patellam murrhinam, e qua calidam sorbemus, cui vasculum minus, seu catillus, inverse est impositum, referat. *Substantia* fungorum duplex est, alia *externa & corticalis*, qua extrinsecus velut vestiti, alia *interna & quasi medullaris*, qua penitus repleti sunt. Illa alba, mollis, & quodammodo tenax, qualis fere in fungis terrestribus esse solet, hæc vero rubicunda & ceruminosa est, magisque arenulas tenuissimas, humore quodam conglutinatas, quam corpus aliquod continuum, repræsentat; rupto tamen vel ablato forte exteriori cortice, *globulos rotundos*, & quasi baccas, exhibet, quæ a lævi superficie lumen incidens, cerasorum instar, fortiter reflectunt; quanquam, si exaruerint, obscuriores, duræ, & in medio depressiores, fiant, striasque cum umbilico in stellæ fere formam superne exsculptas ostendant, hincque colore & figura trochiscis e succo liquiritiæ, quibus signum aliquod impressum est, perquam similes appareant. Qualis autem sit utriusque generis *materia*, ex iis, quæ observationibus & experimentis plurimis explorata habeo, judicari aliquo modo poterit; quorum præcipua tantum hic subjicio. Fungi ipsi per tempus bene longum *durant integri* &

immutabiles, ut intra illud nec putrescant, nec corrugentur aut flaccescant: nam ii certe, quos una cum silicibus, quibus inhærent, jam ultra quintum mensem domi habeo repositos, quantum oculorum judicio cognosci potest, nullam in hanc usque diem mutationem passi sunt. Aridiores tamen durioresque temporis successu fiunt, ut *aqua macerari* aut emolliri *nequeant*, &, in pulverem triti, *crepitent sub dentibus*. Ab *aqua forti, spirituque acido*, non corroduntur neque corrumpuntur. *Calorem* pariter ac *frigus* satis intensum sine ulla sensibili alteratione sustinent, etiamsi vel centies iis exponantur. Quodsi vero ipse *ignis halitus* aut *flamma* immediate eos attingat; rumpuntur, ita, ut pileolus desiliat, globulique rubri, de quibus modo dictum est, operculo nudati in conspectum prodeant, petiolo & parte capitelli reliqua illæsa. Idem fere accidit, si silices *aquæ ad ignem ferventi* aliquamdiu immittantur; nisi quod tunc substantia rubicunda medullaris maximam partem explodatur dispergaturque. Denique, si lapis igne forti *candefiat*, destruuntur quidem fungi, sed fragmenta tamen corticis externi, velut testulæ ollarum confractarum, confuse sparsa remanent, colore tantum in cinereum mutato. Ex his aliisque, quæ lubens jam prætereo, argumentis satis certo colligitur, substantiam fungorum corticalem *non esse vegetabilem*, sed ad *lapidum* potius *naturam* proxime accedere; quapropter etiam plantulas istas inter *lithophyta*, saltem latiori sensu accepta, referre nullus dubito. Omitto nunc brevitatis studio permulta alia, quæ notatu digna observavi, eaque prolixiori descriptioni servo; id unum adhuc addens, me non semel etiam *animalcula* exigua rubri coloris circa silices his fungis consitos hærentia, eosque, ut verisimile erat, depascentia, invenisse; quod mirum nemini videbitur, qui noverit, varii generis vermes & animalcula dari, a quibus corpora durissima, atque ipsa adeo saxa, alimenti causa exeduntur.

Tomi tertii Supplementorum ad hæc *Nova Acta* publicavimus haud ita pridem *Sectionem IX.*

(o)

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Junii Anno MDCCXXXIX.
Pars II.

Τȣ̃ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίȣ Ἐπισκόπȣ Νύσσης Ἐπιςολαὶ Πιι.

h. e.

SANCTI PATRIS NOSTRI GREGORII, EPISCOPI Nyssæ, Epistolæ septem. Primo Latine vertit, & edit, Commentariis nonnullisque animadversionibus adjectis, J. B. CARACCIOLUS, C. R. in Pisano Lyceo Publicus Philosophiæ Professor.

Florentiæ, typis Magni Ducis, apud Tartinium & Franchium, 1731, fol.

Alph. 1 plag. 7.

Gregorii Nysseni, Patris doctissimi, Opera & ingenii monumenta, variis temporibus & in lucem prolata, & junctim edita, scimus, quibus tamen hinc inde quædam accessiones sunt factæ. Atqui in his sunt omnino quoque quatuordecim *Epistolæ*, ad varios datæ, diversique argumenti, quas cum aliis *Gregorii* scriptis *Alexander Zaccagnius*, Vaticanæ Bibliothecæ præfectus, ex Codicibus MStis excerptas, primus Latine vertit, & in publicum emisit; quibus nunc iterum Cl. *Caraccioli* studio & opera aliæ accedunt septem, illis omnino jungendæ. Descriptæ illæ sunt e veteri libro illustris Bibliothecæ Mediceæ, quæ Florentiæ ad Divi *Laurentii*, qui est decimus tertius Plutei LXXXVI membraneus, elegantibus literis exaratus, Seculi, ut

 appa-

apparet, XIV; fuitque olim *Scipionis Carteromachi*, & præter hasce Epistolas alia *Nysseni* scripta continet, de hominis opificio, de anima, de catechesi, jam Græce & Latine edita. Exscripsit eas *Antonius Cocchius*, Florentinus, Med. Doctor, Græcis literis apprime doctus, Medicinæ & Philosophiæ disciplinis eruditissimus, a quo Cl. Editor illas accepit. Epistola *prima* scripta est ad *Joannem* quendam, qua *Gregorius* de sorore sua *Macrina* quædam exponit, rerum sacrarum in Galatia cladem describit, Iboræ antistitem se invitum designatum declarat, Babyloniorum dissensiones moresque perditissimos enarrat. Epistola *secunda* hortos quosdam, Vanotas dictos, & natura mire decoros, in Galatia positos, florido stilo describit. *Tertia Ablabium* Antistitem, ut ad meliorem frugem redeat, rectiorisque vitæ rationem sequatur, moderate admonet. *Quarta*, eaque brevissima, data est ad Antistites, qua eos ad preces Deo faciendas cohortatur, ut ipse ex afflictionibus liberetur. *Quinta* est sine inscriptione, & quarta adhuc brevior, nec quidquam memoratu dignum continet. *Sexta*, ad *Heraclianum*, hæreticum, rem Christianam ex duobus constare, docuisse Christum, tradit, ex doctrina decretorum, & ex parte morali, tres subsistentias esse in divina Trinitate, re ipsa, non vocabulis solum, distinctas, ostendit: in natura Dei, monet, quia non perceptibilis ipsa, nec dicto exponenda, nullam inesse separationem aut differentiam; bene tamen has & ordinem adesse in personis sine confusione, ac dictam fidem sacro lavacro consonam esse oportere, edocet. *Septima* denique est ad *Amphilochium* scripta, quem hortatur, ut idoneos opifices ad se mittat pro opere cujusdam sacelli, quod moliebatur, faciendo: cujus operis ichnographiam & structuram universam accurate describit, quam Cl. Editor, ut oculis subjiceret lectorum, æri incidendam eleganter curavit. Singulis Epistolis adjecta est e regione interpretatio Latina, satis casta & luculenta, cui tamen, obscuriori maximam partem, inserviunt annotatiunculæ, singulis Epistolarum paginis subjectæ. Suus quamque Commentarius paullo copiosior sequitur, in quo doctissimus *Caracciolus* ea illustrat, quæ vel ex antiquitatibus Ecclesiasticis, vel ex historia illorum

maxime

maxime temporum, vel ex Græcæ linguæ dictione, indigere quadam illustratione videbantur. Inprimis vero ad *septimam* Epistolam contra *Joannem Clericum*, mysterium divinæ Trinitatis passim infringentem, copiosius disputat. Subjungitur ad calcem Epistolarum Divi *Maximi* defensio, qua *Gregorium Nyssenum* vindicat contra eos, qui ipsum insimulabant, quod fallacem quandam immutationem status animarum in suis scriptis memorasset, quam pariter Commentario illustravit Doctiss. Editor. Tandem accedit series varietatum Epistolarum *Gregorii*, a *Zaccagnio* editarum, quas ex collatione Codicis Vaticani & Medicei observare licet, interposito de iisdem interdum judicio. In Præfatione satis fusa, præmissis, quæ tam ad Codicem harum Epistolarum MStum, quam ad vitam *Nysseni*, pertinent, causam suam perorat contra scriptorem procemii *Voluminis quinti secundæ Partis Prosarum Orationum Florentinarum*, qui *Caracciolo* in sententia de vocabulis peregrinis linguæ alicui ingerendis se opposuerat.

URIM ET THUMMIM PROPHETARUM.

Prophetisches Licht und Recht, &c.

h. e.

LUX ET JUS PROPHETICUM, SIVE ACcurata & ad mores accommodata explicatio singulorum Prophetarum; cum Introductione in Apocalypsin Joannis, viam aperiente ad enodanda loca difficiliora Psalmorum Davidis & Prophetarum. Autore D. JOACHIMO LANGIO, S. S. Theol. Prof. Hal.

Halæ, sumtibus Autoris, 1738, fol.

Alph. 16.

Ultimum hoc est consummati Operis Biblici *Volumen*, quod Ecclesiæ exhibuit Summe Venerandus *Joachimus Langius*, Theologus Halensis, ordinis sui Senior. *Voluminum* majoris formæ, quorum recensionem *Acta* nostra exhibent, hæc est series. *Primum*, præmissa uberiore *Isagoge* in Scripturam sacram universam, Atheis, Scepticis, Judæis, ac Socinianis, opposita,

ſiſtit *Commentarium in Libros Moſis*, cum Appendice *Antiſpynceriana; ſecundum* in *Libros Vet. Teſtamenti hiſtoricos ; tertium* in *Pſalmos Davidis*, & in *Libros Salomonis*, nec non in *Danielem; quartum* in *Prophetas majores & minores;* a quo Commentario iſte in *Danielem* ideo fuit ſejunctus, & antecedenti adjectus, ne hujus moles eſſet juſto major. In Novi Teſtamenti Libros exſtant *Volumina tria: primum* in *Evangeliſtas & Acta Apoſtolorum ; ſecundum* in *Epiſtolas Apoſtolorum ; tertium*, reliquis mole longe minus, in *Apocalypſin.* Vaſtum hoc centum Alphabetorum Opus, quod non minus celeriter, quam feliciter, Summe Reverendus Autor duodecim annorum ſpatio abſolvit, mirandum ſane eſt: mirari tamen deſinet, qui, quibus ſubſidiis ipſi elaboratio ſub manibus ſucceſſerit, attente conſideraverit. Sunt ea in Præfatione ultimi *Voluminis* indicata, referenda partim ad animum, partim ad corpus. Ad animum notitia Philologiæ, & Archæologiæ, nec non Hiſtoriæ ac Hermenevticæ ſacræ, juvenili ætate ſatis mature & ſufficienter non acquiſita modo, ſed deinceps etiam in diverſis ſcriptis publice tradita. Huc acceſſit ſtudii Exegetici uſus, jam inde ab anno ætatis vigeſimo usque ad ſeptuageſimum continuatus, ita quidem, ut meditationes privatæ cum ipſo actu docendi per annos complures fuerint conjunctæ. Nec parum debere ſe fatetur illi vitæ ſuæ literariæ conſuetudini, qua præter lectionem meditationi jam inde a juventute ſua fuit aſſuetus. Iſta enim ſibi hunc acquiſivit habitum, ut, poſthabita librorum Exegeticorum collatione operoſa, quæ tempus conſumit plurimum, Commentarios ſuos e ſuo propriæ cognitionis penu potuerit deſumere. Ratione corporis ſortis rarioris felicitas obtigit Summe Reverendo Autori, nempe illud valetudinis integræ & nunquam interruptæ robur, quo labores hosce ſacros, functionibus muneris Academici ordinariis non neglectis, a primo mane in ſeram noctem usque per decem, immo duodecim, horas potuit tolerare. Ex hac elaborati Operis conſtitutione facile poteſt colligi, deprehendi in eo ingentem meletematum & obſervationum apparatum, qui in aliorum Commentariis fruſtra quæritur. Et iſti ſolidi-

ditatem cum ἀκριβείᾳ non deesse, lectio docet, & lectorum unanimis confessio comprobat; inprimis cum in exegesi ipsorum fontium, Hebræi ac Græci, curata fuerit habita ratio, &, supervacuis omissis, tractatio e textuum visceribus sit desumta, & ita comparata, ut non solum intellectum solida instruat cognitione, sed voluntatem quoque ad praxin pietatis inflammet. Est & præter sermonis puritatem ac perspicuitatem non parum hoc Opus commendabile ab ordinis concinnitate, quæ in singulorum textuum tractatione servata est, nec non ab eo hujus modo, quo, facilioribus, emphaticis tamen, luculenta paraphrasi declaratis, & controversiis omissis, loca difficiliora, & ratione argumenti gravioris ponderosiora, pro emphasi sua ex instituto enucleantur. Atque ita, quod lectores, inprimis verbi divini præcones, quærunt, ad instituendas operas homileticas, sine mensis distractione, quam variarum sententiarum recensio parit, hic inveniunt.

Ad *Volumen* hoc *propheticum* quod attinet, hoc in materiis versari difficillimis, per se jam constat. Nec dubitamus, has ita esse tractatas, uti eorum, qui *Tomos* reliquos non sine approbatione & fructu se possidere fatentur, tulit expectatio. Quandoquidem enim Autor laboriosissimus suis in V. Testamentum Commentariis præmisit eum in Apocalypsin, in hac autem illud futurorum temporum mysterium, quod *Cap. X*, 7, & *XI*, 15 *seq.* ῥητῶς indicetur, & clavem hermenevticam in abstrusiora Prophetarum loca exhibeat, penitius cognovisse sibi visus est, isti solidissima quoque a laboribus in Prophetas expectarunt: at, hæc in istis num inveniantur, aliorum judicio relictum esse volumus. Hæc ipsa vero materia, uti altioris est indaginis, ita non cujusvis quidem captui est accommodata, sed ita tamen & in se ipsa comparata, & ab Autore Venerando tractata, ut dissentiendi libertas in ea locum inveniat facillimum. Non enim agit de dogmatibus, quæ ad salutis fundamentum & ordinem pertinent, sed de iis, in quibus fata futurorum temporum in ecclesia Christi per terrarum orbem inter Judæos & reliquos populos, ab Antichristianismo alienos, & ad Christum convertendos, dilatanda exhibentur, & quæ iis, quibus amplificanda

Dei gloria curæ cordique eſt, vel ipſa etiam appellatione ſua merito eſt amabilis, & ſcrutatione digniſſima. Qua in re attentione inprimis dignum eſt argumentum, quod ab uſu antiſceptico & antijudaico deſumtum eſt: ſcilicet ſolvi hac ratione objectiones, quibus Sceptici Scripturæ ſacræ autoritatem, & Judæi religionem Chriſtianam, impugnant, & iſti quidem, ut tot prophetias, quæ ſine ulla veritate hiſtorica pro jam dudum impletis habentur, falſitatis arguant; hi vero, ut dicant, religionis Chriſtianæ ſyſtema, quod impletionem jam per omnia factam urgeat, permultis Prophetarum oraculis repugnare. Ut vero lectorum operam in difficillimarum materiarum conſideratione adjuvaret Autor, *Volumini* huic præmiſit *Iſagogen* uberiorem in ſyſtema Apocalypticum, ita adornatam, ut ſuo ſe nexu momentorum catenato commendet, ſubjuncto uſu ejus hermenevtico, quem iſtud in lectione ac dijudicatione rerum propheticarum, earum præcipue, quæ ad futuram operum divinorum conſummationem pertinent, ſubminiſtret. Cum inter Theologos Batavos celeberrimi nominis multorumque meritorum interpres, *Campegius Vitringa*, vaſtos duorum majoris formæ Voluminum Commentarios in *Jeſaiam* ediderit, hunc quidem Vener. *Langius* in multis iſtius argumenti momentis deprehendit ὁμόψηφον, at in non paucis tamen adeo a ſyſtemate ſuo diſcrepantem, ut non potuerit non meletemata ipſius diſſona modeſtæ ſuæ epicriſi ſubjicere. Et, cum plane diſſentientem habuerit clariſſimum Theologum Gryphiswaldenſem, B. *Brandanum Henricum Gebhardum*, in Volumine, quod is in Prophetas minores edidit, argumenta, quibus ille diſſenſum ſuum inſtruxit, modeſto examini ſubjecit, laudabili inter Theologos exemplo, quod, ſalva amicitia & φιλαδελφίᾳ, in doctrinis ad ſalutis fundamentum & ordinem non pertinentibus diſſenſus locum habeat: ſiquidem, hoc non obſtante, iſtam inter illos viguiſſe, Autor in Præfatione ſignificavit. Ceterum is *Volumini* ſubjunxit *Appendicem*, quæ exhibet tres Tractatus minores, quos ille nutu potentiſſimi Regis Boruſſiæ *de univerſali Dei gratia*, abſoluto decreto oppoſita, ſeorſim ediderat, &, ut ætatem ferant, Operi Biblico adjecit. In eorum

tertio

tertio maxime notabile est *Epimetrum* illud de absoluto prædestinationis ac reprobationis decreto, quod, sub persona gravissime super eo tentati afflictique animi, exhibet difficultates & angustias, in quas istud evidentia logica applicantem conjiciat. Quod scriptum dicitur esse Theologi inter Helvetios celeberrimi, D. *Samuelis Werenfelsii*, qui, ut sincerus gratiæ universalis assertor, istud ante annos complures in usum alicujus amici privatum, ut eum de indole absoluti decreti noxia convinceret, in chartam conjecit, sed facta communicatione jam olim impressum. Præterea & hoc significandum esse existimamus, Autorem S. Reverendum, quamvis septuagenarium, pro sua tamen virium integritate & laborandi assiduitate, in Præfatione promisisse Volumen majoris formæ Latinum, *Gloria Christi & Christianismi Apocalyptico-prophetica* & *Antisociniana* inscribendum: quod, *duobus Tomis* constans, in *prioris Parte priore* exhibebit *Commentarium in Apocalypsin*, Germanico non solum uberiorem, sed etiam ita adornatum, ut systematis *Vitringiani* defectus detectos suppleat, & emendet: in *posteriore Clavem hermenevticam*, e systemate Apocalyptico, ad difficiliorum locorum in Psalmis & Prophetis interpretationem accommodatam. *Tomus posterior* erit *tripartitus*, exhibiturus *Parte prima*, eaque dogmatica, *Theologiam Anti-Socinianam* & *Anti-Judaicam; secunda Parte Catechesin Racoviensem*, & *tertia* libellum virulentissimum *R. Isaac*, *Chissuck Emuna*, munimen fidei dictum, utrumque scriptum cum justo Commentario elenchtico. Habebit etiam hoc *Volumen Appendicem* aliquam dogmatico-elenchticam *de gratia universali*, nonnullis ejus impugnatoribus novellis oppositam. Cui arduo instituto ex voto omnium perficiendo, ut Deus Summe Reverendo Autori uberrimam Spiritus sancti gratiam, ad gloriam Christi digne illustrandam, adspiret, est, quod ipsi ex animo comprecamur.

Johann Lorentz Mosheims Sitten-Lehre der Heil. Schrifft, &c.
h. e.
JOANNIS LAUR. MOSHEMII THEOLOGIA Moralis S. Scripturæ.

Pars

Pars II.

Helmstadii, apud Chr. Frid. Weygandum, 1738, 4.
Alph. 3 plag. 4.

Prima Pars hujus Christianæ Morum doctrinæ, cujus compendiariam enarrationem in *Supplementis ad Nova Acta Tom. II Sect. IX pag. 388* exhibuimus, tanto cum plausu excepta fuit, ut, totius incepti operis finem citius, quam fieri potest, maturari, omnes adhuc in votis habuerint, qui sacram & eruditam ornant civitatem. Huic autem communi omnium exspectationi aliqua nunc ex parte *secunda* hæc libri *Pars* satisfecit, in qua nunc breviter recensenda versabimur. In præmissa, quæ satis copiosa est, Præfatione & res proposita indicatur, & singularia, quæ hic loci præcipiuntur, cum Lectore communicantur, & denique ad dubia quædam, contra *primam Partem* in nonnullis eruditorum Ephemeredibus commota, brevibus respondetur.
Pag. 1-3. Ipsa vero res, quæ illic pertractatur, ex hoc patet indice: *primæ Partis Theologiæ Moralis altera Sectio, de Mediis ex statu naturæ in statum gratiæ perveniendi*, seu *de Pœnitentia.* Hæc autem Sectio *binis* absolvitur *Capitibus*, in *XII §§.* distinctis,
4. quorum *primum de natura & ratione pœnitentiæ* copiose exponit. Explicata *§. 1 pœnitentiæ necessitate*, hujus natura ex hac generali, *§. 2* fundamenti loci posita, *definitione* optime intelli-
19. gitur: *Pœnitentia est operatio virtutis gratiæ divinæ in animis corruptorum a natura & ad bonum ineptorum hominum, qua impedimenta de medio tolluntur, quæ nos ad verum Dei cultum parum idoneos reddunt, & contra ejusmodi nobiscum qualitates ac vires communicantur, quæ ad eum nobis usum necessariæ sunt, ut voluntatem nostram, ejusdemque cupiditates, Domino devoveamus ac consecremus, perque opera & actiones nostras ejus in nobis voluntatem perficere valeamus, in quantum quidem imbecillitas & imperfectio naturæ nostræ, quæ nunquam plane a nobis exuitur, istud concedit ac permittit.* Potiora hujus definitionis momenta in iis, quæ deinceps consequuntur, uberius declarantur, & locis S. Scripturæ classicis communiun-
33. tur. Pœnitentia hæc in animis hominum *a Deo efficitur*, *§. 3*, idque

idque non *immediate*, sed *mediate*, §. 4, cum ex *Lege*, tum ex *Evangelio*, §. 5. Ac *Lex* quidem 1) illuminationem intellectus in rebus ad Legem pertinentibus, 2) sinceram sui explorationem, 3) vivum angorem, animique tristitiam, efficit. *Evangelium* vero dat 1) intellectui peccatoris illuminationem iis in rebus, quæ ad media salutis & redemtionem pertinent hominum, 2) singularem ac propriam convictionem de gratia, quam Evangelium nuntiat, ad ipsum singulatim pertinente, 3) vivam applicationem hujus oblatæ in Christo gratiæ Dei, 4) amorem erga Deum per Christum nobis reconciliatum. Ex quo nova demum obedientia paritur. Occurrunt hic nonnulla, quæ, etiam in nostra ecclesia, in controversiam vocata sunt. In his Vir Summe Venerabilis modeste, ut solet, ac placide versatus est. Dicta, quibus *interiora, quæ a Lege efficiuntur*, §. 6 confirmavit, hæc sunt: *Apoc. III, 17, 18, Jo. IX, 41, Rom. III, 20, VII, 7, Jac. I, 23, Thren. III, 40, 42, 1 Cor. XI, 31, Psalm. LI, 5, 6, Jer. XIV, 7, Psalm. VI, 2, Jer. XXXI, 19, 2 Cor. VII, 10, Luc. XVIII, 13, Hos. XIV, 3, Act. II, 37, III, 17, 19. Contritio Evangelica* ad statum renovationis pertinet; ii vero, qui *contritionem*, ex *amore Dei* proficiscentem, ante *justificationem* sibi finxerunt, non *specialem* illum, quo Deus credentes, duce Evangelio, complectitur, sed *universam* & *generalem* Dei *amorem*, ante oculos positum habuisse videntur. *Tristitia legalis* non est nimis verbis augenda, ac si a nullis aliis, nisi infernis cruciatibus, vincatur, nec frigidis *Mysticorum*, ut vocari solent, locutionibus ullus hic locus dandus. Vox *desperatio* hac de re olim adhiberi poterat, eo quod tum temporis ii, qui in salutis negotio sibi diffidere, nihil plane a se suisque viribus sperare, debebant, commode desperare dicebantur. Hodie vero illa potestas ab usu recessit, & vocabulum istud nihil, præter rationem animi, omnis solatii ac spei expertem, significat. Unde prudentia prohibemur, ne, hac quidem ætate, eo temere utamur. Ceterum ex hac una observatione multi primorum Ecclesiæ nostræ doctorum loci, qui inter se repugnare videntur, ullo sine negotio inter se conciliantur. *Phil. Melanchthon* in Præfatione ad Orationem de *Officio sacerdotali*, A. 1521 Vi-

Pag. 44. 92. 102. 104. 110. 136 seq. 145. 147. 150.

tebergæ ſeparatim formis deſcriptam, *Quando Deus*, inquit, *juſtificare vult hominem, terret ejus conſcientiam per Legem, & facit, ut agnoſcat peccata. Hic ille ad* deſperationem *compellitur*. En bonum & idoneum ſenſum, quem voci adaptavit Vir olim meritiſſimus! Idem vero in *Apologia Aug. Conf. pag. 166 ſeq.* damnat ſcholaſticos, deſperationem aliquam a peccatoribus, ad frugem revocandis, flagitantes. *Quid aliud*, ſcribit, *niſi* deſperationem *docent, qui in his terroribus tantum oſtendunt legem.* En malum ſenſum, & ex ſacra Domini civitate omnino proſcribendum! Loci ſacri, quibus *ſalutaria Evangelii effecta, §. 7*
Pag. 157 ſeq. eleganter enodata, ſolide corroborantur, hi erunt fere: *Jo. VI, 69, XVII, 3, Matth. V, 6, Hebr. X, 19, Eph. I, 18, 19, Rom. III, 24, 25, IV, 24, 25, X, 9, Act. X, 43, Luc. VII, 38 ſeq. Eph. I, 18, III, 18, 19, 1 Jo. IV, 18, 19, Rom. VIII, 37. Gal. V, 6, 1 Jo. V, 2,*
229. *2 Cor. V, 15.* His expoſitis, *§. 8* planum fit, *pœnitentiam di-*
236. *verſam* eſſe, partim ratione menſuræ, partim ratione *durationis*
242. ac *diuturnitatis*, quæ cum a *natura*, tum a *gratia*, proficiſci
248. poteſt. Verum eſt etiam, id quod *§. 9* declarat, *neceſſaria pœnitentiæ continuatio*, quæ ſic inſtituenda, ut & miſeriæ, qua ante converſionem ſeptus fuit peccator, & felicitatis, quam in juſtificatione adeptus eſt, memoria quotidie renovetur. Namque hac ratione oſtendit ſe genuinum donatarum divinitus gra-
256. tiæ virium robur in quotidiana pœnitentiæ renovatione. Cujus poſtea *fructus* cum in *interna*, tum *externa*, Chriſtiani hominis *vita* conſpicitur, *§. 10.* Is, qui ſalutariter emendatus eſt, *intus* percipit maximam animi quietem & ſecuritatem, *Rom. XIV, 17*, vivum impulſum ad Deo obſequendum, *Rom. VII, 22, 24*, divinamque virtutem huic re ipſa ſatisfaciendi, *Phil. IV, 13, 1 Theſſ. IV, 1, 3. Externa* vita, duce illa interiore animi emendatione, in dies ſanctior redditur, atque ad exemplum Redemtoris noſtri conformatur, *Eph. III, 13, 14, Matth. III, 8.* Breviter: *interior* pœnitentiæ fructus eſt *ſanctificatio*, exterior *vitæ ſanctimonia*, ſeu practica in Deum pietas, *Phil. I, 9 ſeq. 2 Petr.*
278. *I, 8.* Atque hæc doctrina S. Scripturæ de pœnitentia ex præcipuis eſt una, quæ *præſtantiam & excellentiam Chriſtianæ morum doctrinæ §. 11* luculenter declarat. Nemo etenim eorum,

qui,

qui, solis rationis ac naturæ præsidiis freti, virtutem mortalibus commendare voluerunt, idonea excogitare media potuit hunc propositum finem consequendi. *Vitia* moralis Philosophiæ Pag. 283.
doctorum vel sunt *generalia*, vel *specialia*. Vitiorum *generalium primum* est scitum illud: *emendationem sui in hominis arbitrio sitam esse. Alterum: intellectus est dominus ac magister* 284.
voluntatis, quæ si flecti debet, principiis quibusdam, iisdemque seu veris, seu falsis, instructus est. Tertium est opinio ista: 288.
virtus erit infixa & manebit animis, ubi voluntas hominis firmum cepit consilium ad certam aliquam normam sese accommodandi. Quartum est: *auxilia, quibus animus emendari* 289.
debet, ejusmodi sunt, ut in locum vitiorum, quæ expellenda sunt, alia sufficiant multo sæpe capitaliora. Quintum: nemo ho- 290.
rum doctorum *verum erga virtutem amorem, ferventemque illius colendæ cupiditatem, animo instillare potuit. Sextum: Do-* 292.
ctrina morum, quam acutissimi viri præceperunt, non nisi illis inservit, qui ceteros intelligentia vincunt. His declaratis, *spe-* 293.
cialia quorundam recensentur & convelluntur vitia, ut *Socratis, Aristotelis, Epicureorum, Stoicorum*, aliorumque. Effa- 297 seq.
tum istud antiquum, ac toties decantatum: *virtutis cultori fal-* 301.
sæ de rebus hujus orbis exuendæ sunt opiniones, cum usu caret 305.
omni, tum vero inter ejusmodi homines, qui, ipsam humanam essentiam in morte interire, sciscunt, valde periculosum est. Nec 311.
vero illi multum in virtute proficere potuerunt, qui eam non alio, nisi eo, loco haberi voluerunt, ut *ejus ope tranquillitas totius cujusdam populi firmetur.* Qua oblata occasione, virtus 313.
ac morum doctrina veterum *Spartanorum*, quæ inter Græcos & Romanos maximi olim habita fuit, ac *Sinensium*, cui hodie 328.
eximium ponitur pretium, accuratiori judicio ponderatur. Sunt enim hac ætate viri, qui Servatorem nostrum O. M. cum *Lycurgo*, Spartanorum legislatore, compararunt. Inter hos princi- 319.
patum tenet Comes *Albertus Radicati de Passerani*, in libro, *Nazarenus & Lycurgus mis en parallele* inscripto, quo sacræ & eruditæ civitati haud parum luculenter declaravit, se omnis quidem salis vacuum, at immortali armatum esse audacia. Lites de *Confucio*, ejusque sapientia, in Ecclesia nostra non ita pridem coortæ,

 hic

hic loci non attinguntur, ſed omnem rem ita candide eximius Juliæ Theologus enodavit, ac ſi in iſtis, quæ motæ ſunt, ſeditionibus peregrinus atque hoſpes eſſet. Hactenus eorum ſententiæ expenduntur, qui felicem & infelicem animi immortalitatem virtutum cultoribus haud inculcarunt. Aliter vero ſentie-
Pag. 386. bant olim, qui eam tuebantur. Hi nimirum, animum a corpore impediri, conſtituebant, quo minus futura, cum ſecunda, tum adverſa, fata vividius ſpectet. Unde hæc bina duce-
388. bant corollaria: ergo 1) corpus domandum, & 2) animus altius evehendus. Quid porro inde? Ergo ſenſibus omnis occaſio animi corrumpendi præcidenda. Ex his principiis tot *pœnitentes*,
389. hoc eſt, *eremitæ*, in Syria, Ægypto, & India, exorti ſunt. Ex iisdem *vita monaſtica* jam olim in Ægyptiacis & Syris deſertis coorta eſt, quæ *pœnitentia* non a ſacris & divinitus eruditis ſcriptoribus, verum a *Platonis* & *Pythagoræ* diſcipulis, Indicisque ſapientibus, dicta eſt. Vid. *Syneſius*, Epiſcopus Platonicus & ſemichriſtianus, *de inſomniis, pag. 139.* At enim vero hæc *corporis exercitatio ad pauca utilis eſt*, *1 Tim. IV, 8.* Contra ea Jeſus Chriſtus eam nobis ad pœnitentiam aperuit viam, qua nihil excellentius fieri poteſt. Hæc Domini doctrina iis fulta eſt veritatibus, quarum lucem & evidentiam ipſa purgata capit ratio.
393. Harum *ſedecim* hic recitantur, ab iis in poſterum melius putan-
397. dæ, qui Chriſtianam de pœnitentia doctrinam irridentes adſper-
401. nantur. Ultimo hic loco, nimirum *§. XII, præjudicatæ opinio-*
403. *nes ac errores ſub judicium vocantur*, iique & *generales*, id eſt, qui totam pœnitentiæ naturam evertunt, & *ſpeciales*, hoc eſt, qui vel ad certas pœnitentiæ partes, vel ad fructus, pertinent. Ex tribus *generalibus primus* hic eſt error: *pœnitentia eſt malum, quod homo, ſuopte arbitrio impulſus, ſibi imperat, quo ſibi ipſe pœnas ſuorum det vitiorum, divinamque a ſe iram amolia-*
405. *tur. Alter: pœnitentia eſt exercitatio, ad certa tantummodo tempora adſtringenda, & tunc inprimis, ubi ad S. cœnam*
406. *eundum eſt, inſtituenda. Tertius: pœnitentia eſt cerimonia, qua homo creatori ſuo ac judici obſequium ſuum teſtificari co-*
409. *gitur.* Errores *ſpeciales* paucis verbis indicantur, ille vero
414. multo verboſius conſideratur, qui in *dilatione pœnitentiæ* conſiſtit.

ſiſtit. Quo loco digna eſt, quæ cum cura & meditatione legatur, ſapiens admonitio, ad uſum publicorum quorundam hymnorum pœnitentialium pertinens, qui, cum non niſi de magna & prima, uti vocatur, pœnitentia agant, ab omnibus tamen promiſcue canuntur. Unde homines a pœnitentia averſi & alieni arripiunt occaſionem argumentandi, ſe omnino vera pœnitentia duci, propterea quod verbis ſaltem utantur, quæ interiorem animi angorem declarent. Pag. 410.

Sequitur, ut *Caput II* contemplemur, quod *de indiciis, unde, pœnitentiam actam eſſe, concludi poteſt*, inſcribitur, & in *VIII* §§. diſtribuitur. *Cauſis hujus tractationis* §. *I* enodatis, *unicum verum ac certum commendatur indicium, unde homo colligere poteſt, ſe pœnituiſſe, Deumque placatum habere, interior* nimirum *emendatio animi, ac commotionum cordis, §. II,* vi dictorum S. Scripturæ, *Matth. XVIII, 3, 2 Cor. V, 17, 2 Tim. II, 19, 1 Jo. III, 3, Rom. VIII, 14, 1 Jo. IV, 13, 1 Jo. III, 18, 19, 20, 24.* Verum *emendatus homo* ad animi ſui ſecuritatem conturbandam hoc ſæpius abutitur indicio, dum, *illud ſibi plane deeſſe*, ex infirmitate fidei concludit. *Impius* autem *iſtud male ſibi tribuit, §. III.* Præterea *& pii & impii varia ſibi falſa converſionis ac pœnitentiæ ipſimet fingunt indicia, §. IV. Unicum certum indicium, ex quo aliorum pœnitentia intelligi poteſt, emendatio eſt externæ vivendi rationis, §. V.* Conf. *Matth. VII, 20, 21, 1 Jo. III, 6, 7, 10, ſeq.* At fieri tamen poteſt, ut a ſanctitatis ſimulatoribus fallamur, *Act. VIII, 13.* Quo itidem loco iſtud etiam atque etiam cavendum, *ne hoc indicio abutamur, aut ad ſecuritatem impœnitentium, §. VI, aut ad rationes ſanctorum conturbandas, §. VII.* Tandem *incerta & falſa indicia pœnitentiæ aliorum §. VIII* recitantur, quibus & amor & inertia ſæpenumero violari ſolet. Quibus recitatis, ipſa finitur tractatio. 447. 455. 467. 468-473. 485. 495. 496. 507. 520. 531. 538.

Tres adjuncti ſunt Indices, 1) *Scriptorum*, 2) *dictorum S. Scripturæ*, & 3) *rerum præcipuarum*. Methodus hic eadem oculis patet legentium, quæ in *Parte I* adhibita fuit. Dicta etiam ſanctiora in uſum ſic convertuntur, ut, nervo demonſtrandi enucleato, illuſtri perſpicuaque paraphraſi illuſtrentur.

JO. LUDOV. SCHLOSSER, V. D. M. AD ÆD. D. Cathar. Hamburg. Lutherus Lutheranus, Luthero reformato JO. MAURITII MOMMERS oppositus. Accedit Lutherus Lutheranus, qua argumentum de SS. Cœna, antehac editus, itemque Appendix gemina, altera specimen exhibens Historiæ Lutheri reformati literariæ, altera in argumenta inquirens, quibus consensum Protestantium de prædestinatione nuper denuo probare voluit Cl. JO. HEN. RINGER. Præfatione, præter instituti rationem expositam, nova, quæ JO. VAN DEN HONERT minatus est, & nonnulla Cl. DAN. GERDESII, expenduntur.

Hamburgi, apud Christ. Wilh. Brandt, 1739, 8 maj.
Alph. 2 plag. 14.

Jo. *Mauritius Mommers*, Hemmensis in Gelria dynastiæ Ecclesiastes, omnem operam in eo insumsit, ut demonstraret, B. *Lutherum* nostrum cum Calvinianis sensisse, & illorum doctrinas in suis scriptis propugnasse. Tentavit itaque cum Reformatis Lutheranos conciliare etiam in *Luthero* reformato, expositurus, *Lutherum* rebus Calvinianorum maxime favisse. Laudandi itaque sunt Rev. *Schlosseri* conatus, qui sese huic *Mommersio* strenue opposuit, & non solum olim a corruptelis ejusdem orthodoxiam B. *Lutheri* vindicavit, sed etiam nunc idem fecit per potiora capita *Lutheri* reformati. Id vero egit potissimum Rev. Autor, ut, verbis *Mommersii* consideratis, *Lutheri* mentem a depravationibus & abusu ejusdem liberaret, difficultates ex συναφείᾳ solveret, illum depravatorem redargueret, nostrumque *Lutherum* non Calvinianis favere, per omnia Opera *Lutheri* Lutherani dilucide probaret. *Mommersius* raro fontes suos indicavit, raro verba *Lutheri*, vel locorum indicia, adduxit, indeque laborem nostro Autori auxit. Constitutum ipsi erat initio, satisfacere *Mommersio* nonnullis generalioribus animadversionibus elenchticis, præsertim cum jam alii, *Stephano Vito* superlapsariam de prædestinatione sen-

ſententiam *Luthero* Lutheraniſque intentante, ſe Calvinianorum oppoſuerint audaciæ, inprimis vero *Jo. Laur. Moshemius* reſponſionem promiſerit. Sed, cum nos ea ſpes hactenus fefellerit, ſe ad hoc negotium *Schloſſerus* noſter accinxit, & docte ac ſolide in eodem argumento verſatus eſt. In Præfatione mentionem facit illorum non modo, quæ Cl. *Jo. van den Honert* minatus eſt, ſe ex ſymbolicis Lutheranorum libris, maxime ex libro *Lutheri* de ſervo arbitrio & Commentario in Epiſtolas ad Romanos, demonſtraturum ſpondens, eos, qui articulos in ſynodo Dordracena ſub judicium vocatos & reprobatos, tanquam ſuæ doctrinæ capita, adoptant, ab ipſo *Luthero* & ejus doctrina recedere, ſed etiam varia argumenta *Dan. Gerdeſii* expendit, & docte refellit. Sed ipſum *Schloſſeri* Opus paulo propius inſpiciamus. Non curat in præſenti ea, quæ *Mommerſius* de fidei capitibus, ſibi ſuisque cum eccleſia noſtra communibus, jactitat, ſed tantum de *Lutheri* orthodoxia & cum Lutheranis concordia verba facere ſuſcepit, examinaturus, quæ *Cap. II* & ſequentibus *Lutheri* reformati tradita ſunt. Inde *Cap. I* ſiſtit *Lutherum* Lutheranum, quod ad argumentum de neceſſitate & utilitate doctrinæ de prædeſtinatione. Non tacent de eo noſtrates Theologi, ut Calviniani memorant, ſed hoc potius ad Calvinianos devolvendum, ſimulque monſtratur, *Mommerſium* verba *Lutheri* male interpretari atque accipere, & pro mente ipſius *Lutheri* hæc explicantur. *Capite II* argumentum de natura & conſtitutione prædeſtinationis tractat, ubi duo loca *Lutheri*, quæ ſollicitavit *Mommerſius*, vindicat, &, quæ ejus vera fuerit ſententia de prædeſtinatione, exponit. *Cap. III* prædeſtinationis divinæ æternitatem atque immutabilitatem, nec non particularitatem, vindicat. *Cap. IV* orthodoxiam Lutheranam de prædeſtinatione non abſoluta, ſed prævisæ fidei intuitu facta, aſſerit, & *Lutheri* veram ſententiam profert ex ſatis dilucidis verbis, a ſuſpicione adverſarii illa liberans. *Cap. V* proponit electionis ex fide & ſanctitate certitudinem, electorumque perſeverantiam, quæ non ſolum ex libris noſtris ſymbolicis & Theologorum ſcriptis ſatis dilucide exponitur, ſed etiam *Lutheri* verba adducuntur, &, quomodo ſint intelligenda, docte evincitur. *Cap. VI* reprobationem ex arbitrio

ſummi

fummi Numinis mero & abſoluto derivandam eſſe negat. Hanc ſententiam cum omnes noſtrates propugnent, illis non adverſatur *Lutherus*, quando odium æternum Dei & prædeſtinationem æternam affirmat, quod contra *Mommerſium* ſatis declaratur. *Cap. VII* docet, *Lutherum* cum Lutheranis de divina providentia ſenſiſſe, quod in ſuſpicionem adducere conatus fuerat *Mommerſius*; inprimis in eo verſatur, ut demonſtret, *Lutherum* non ſtatuiſſe abſolutam rerum omnium prædefinitionem. *Cap. VIII* evincit, *Lutherum* Lutheranam de ratione & modo indurationis ſententiam foviſſe. Non aliam *Lutherus*, quam nos, permiſſivam indurationem ſtatuebat, quod ejus verba ſatis loquuntur. *Cap. IX* cum Lutheranis iterum ſentire ſcribit *Lutherum* in negata in ſpiritualibus humani arbitrii libertate. Ipſe *Lutherus* cum libris ſymbolicis & omnibus Theologis ſtatuit, vires hominis ad ſalutare bonum nullas eſſe, quæ plenius diſputat, & contra *Mommerſium* ſtrenue defendit Autor. *Cap. X* enarrat *Lutheri* mentem de gratiæ ſalutaris divinæque vocationis efficacia nec ad electos ſolos reſtricta, nec irreſiſtibili. Ex ejus Commentariis hæc ſatis demonſtrantur, & ex eo, quando contra *Eraſmum* diſputans, tractum patris nec violentum, nec moralem tantum, aut externum, eſſe probat, nec tamen irreſiſtibilem, & electis proprium. Multum operæ in confutandis hic calumniis *Mommerſii* & Cl. *van den Honert* inſumit Rev. Autor. *Cap. XI* monet, *Lutherum* de naturarum in Chriſto perſonali unione, & communicatione idiomatum, Lutheranis non contraria docuiſſe. Omnipræſentiam enim & majeſtatem carni Chriſti communicatam ſtatuebat, quod ex ejus verbis liquido apparet. *Cap. XII* pro *Luthero* pugnat, ſatisfactionis & meriti Chriſti catholiciſmum eum docuiſſe, quæ iterum ex variis locis *Lutheri* confirmantur, & os *Mommerſio* obtunditur. *Cap. XIII* in eo verſatur, ut demonſtret, *Lutherum* interpretationem oraculorum divinorum, quibus univerſalitas gratiæ Dei adſtruitur, eandem, quam Lutheranos, admiſiſſe. Hæc enim male *Mom-*
Pag. 603. *merſius* pro ſua ſententia allegaverat. Omnibus tandem accedit Epilogus, quo de Lutheranorum appellatione, & *Lutheri* apud noſtros autoritate, nonnulla monentur, & ipſa *Lutheri*

verba

verba hac de re allegantur. His absolutis, legitur Rev. *Schlosseri Lutherus Lutheranus, Luthero Reformato Jo. Maur. Mommers oppositus, qua argumentum de S. S. Domini nostri Jesu Christi Cœna.* Antea jam prodierat hoc Opusculum, iterum nunc, & nonnihil auctius, evulgatum. Index rerum memorabilium totum Opus claudit. Nec tamen hic desinit laudabilis Cl. Autoris labor, sed Appendix duplex est adjecta. Prior specimen exhibet historiæ *Lutheri* Reformati literariæ, ubi omnes Reformatos non modo Theologos enumerat, qui, secum sensisse *Lutherum*, contenderunt, sed etiam Lutheranos recenset, qui illius orthodoxiam vindicarunt. Hæc omnino lectu sunt digna, & insignem catalogum continent partim illorum, qui *Lutherum* in suas partes vocarunt, partim illorum etiam, qui se illorum conatibus opposuerunt. Posteriori Appendice argumenta V. C. *Jo. Henr. Ringeri*, Bernensis Prof. Theol. sub judicium vocantur, quibus consensum Protestantium in doctrina de prædestinatione probare voluit in singulari Dissertatione, ante undeviginti annos edita, & nuper in *Tempe Helvetica* recusa. Dissensum omnem Lutheranos & Reformatos inter de prædestinationis negotio meram de verbis esse pugnam, contenderat *Ringerus*, cui se mascule opposuit *Schlosserus*, suamque rem præclare gessit. Non possumus non hoc, quamvis non magnæ molis, Opus cultoribus sacrarum literarum etiam atque etiam commendare. Habebunt enim non tantum veram & orthodoxam doctrinam contra Reformatos ex nostris Theologis frequenter demonstratam, sed etiam inde exemplum petere poterunt, qua ratione falsæ doctrinæ, quibus castra nostra Calviniani oppugnarunt, docte, dextre, & feliciter, eludi possint. Pag. 614 - 692.

CAROLI LINNÆI, MED. DOCT. SOC. ACAD. Imper. Nat. Cur. Classes Plantarum, seu Systemata Plantarum omnia, a fructificatione desumta, quorum XVI universalia, & XIII partialia, compendiose proposita, secundum classes, ordines, & nomina generica,

cum clave cujusvis methodi & synonymis genericis. Fundamentorum Botanicorum Pars secunda.

Lugduni Batavorum, apud Conradum Wishoff, 1738, 8 maj. Alph. 1.

Postquam suam de ordinibus Plantarum sententiam proposuit rei herbariæ lumen, *Linnæus*, sua opinione, quæ prorsus nova est, ita abundare noluit, ut non principum in arte virorum placita magni faceret. Quapropter omnes, quæ huc usque obtinuerunt, methodos recensendas suscepit, & universum Regnum Vegetabile viginti novem diversis seriebus, prout suo tempore visum fuit præstanti alicui viro, enumerandum aggressus est, ne sibi soli sapere videretur, haberentque herbariæ artis studiosi, quam ex tot tantisque methodis sibi præ ceteris seligerent. Propriis Autoris verbis, ne ex nostro aliquid accessisse videatur, rem proponimus:

Pag. 4. I. ANDREÆ CÆSALPINI, *Aretini, Professoris quondam Patavini*, methodus a receptaculo. 1) *Prima vera & solida Botanices a fructificatione desumta fundamenta jecit* Cæsalpinus, *dum primus plantas in classes secundum fructificationis principium digessit experientia summa.* 2) *Obscurus semper fuit ob terminos artis proprios, a recentiorum terminis diversos.* 3) Florem *concepit uti interanea plantæ rupto cortice patentia;* Calycem *uti crassiorem corticem rami dehiscentem;* Petala *uti corticem interiorem tenuiorem;* Stamina *uti ligni interiores fibras, &* Pistillum *uti ipsam medullam plantæ.* 3) Situm Corculi *vel in* apice *vel* basi *seminis (seu exterius aut inferius versus cor) hic solus magni fecit, certe & res magni momenti est. Nec latuere Autorem semina* univalvia & bivalvia, *seu* monocotyledones & dicotyledones, *quamvis vegetabilia primario in* Arbores & Herbas *distinxerit.* 4) *Numerum distributionis seminum per ipsum receptaculum pro fundamento suæ methodi assumsit, ideoque ejus methodus sola a receptaculo deducta est.* 5) *Receptaculi floris situs supra vel infra germen, ipsi* sedes floris *vel in* summo fructus, *vel in* sede fructus, *idem est cum* Tournefortii *Calyce vel Pistillo in fructum abeun-*

abeunte. 6) *Dissepimenti in* siliquis *situm* parallelum *vel* oppositum *hic in usum traxit.* 7) Multiloculares & Multicapsulares *fructus egregie distinguere novit.* 8) *Classes naturales observavit hic facile tam multas, ac recentiores, licet primus.* 9) *Genera certa non obtinuit; proin nec nostrum erit, synonyma ejus generibus adjicere, hinc tantum, quæ in transcursu incidebant, addidimus.* II. ROBERTI MORISONI, *Scoti*, *Professoris Botanices quondam Oxoniensis*, methodus a fructu. 1) *Systematica plantarum distributio, principio fructificationis inædificata ex lege ipsius dictitantis naturæ, quanquam a* Cæsalpino *dudum felici sub sidere detecta, exculta, & toto orbi exposita erat, inculta tamen, intacta, & neglecta, per integrum ferme Seculum permansit, usque dum felici omine a* Morisono *in Botanicam nato primum resuscitata fuit.* 2) *Ausu certe audacissimo & animoso reformationem Botanices aggreditur Autor, omnes ejus cultores* Præludiis *suis, singulari prorsus methodo exaratis, ad se trahit, methodumque a fructificatione per leges affinitatum, quasi modo genitam proponit; nec usu & effectu caruit summo. Mox enim præstantissimi omnes Botanici moniti, conjunctis viribus idem opus cum eo aggressi sunt, & ab illo tempore tanta præstiterunt.* 3) *Altum quidem de* Cæsalpino *silentium facit, sed neque hoc mirum videbitur illis, qui, quantum recesserit* Morisonus *a legibus* Cæsalpinianis *datis, examinant, certe magis inde recessit, quam reliqui deinceps a* Morisono *systematici, qui nec ipsi dignas laudes cecinerunt.* 4) *Methodum desumit a fructu, (nec unquam a corculo seminis, vel receptaculo, sic in tantum a* Cæsalpino *differt, quantum eo in pura methodo inferior permansit,) huic adjungens quam arctissime affinitatum vincula, classes quærens naturales, quas cum nimis prosequitur, filum receptum Ariadneum in gordios implicat, solo gladio explicandos. Nec mirum! Roma certe non uno die, nec ab uno condebatur viro. Ille tamen faces exstinctas incendit, a quibus ignem mutuati sunt subsequentes, quibus datum, ad lucidum magis focum objecta rimare.* 5) *Ipse aggreditur systema hoc vasto Opere, & in immensi laboris Historia plantarum Parte secunda classem quartam, quintam, & sextam, A. 1680,* Pag. 36.

 sub-

subsequentes autem classes, mortuo Autore, cura Bobarti publi-
ci juris sunt, exantlatis interim viginti circiter annis: tres
Pag. 68. vero classes primæ ab Anonymo publicatæ prostant. III. JOAN-
NIS RAJI, Angli, Theologi, methodus a fructu. 1) Magna sunt
opera Jo. Raji in scientia Botanica, qui constantia summa,
omnia, quæ beneficio seculi innotuerant de plantis, manu plus
quam ferrea descripsit. 2) Quamprimum Morisonus artis fun-
damentum restaurasset, eidem mox suam superstruxit metho-
dum Rajus, quam dein toties reparavit, usque dum in ultima
senectute emendatam & auctam emitteret. Discedit in ea non
parum a Cæsalpino, quod, cum ille plantas primum a numero
fructus distribuit, distributas secundum semina nuda vel tecta
subdividit, hic noster contraria methodo primum plantas secun-
dum nuda aut tecta semina considerat, dein vero secundum nu-
merum. Differt adhuc magis a Morisono, cum quo modo con-
venit in classibus quibusdam naturalibus, uti conferenti clas-
sem Raji 4 cum Morisoni 14; 11 cum 12; 14 cum 14; 17
cum 16; 18 cum 15; 21 cum 6; 12 cum 5; 24 cum 7; 25 cum 11,
patebit; sed politiora hic ubique omnia. 3) Classes obtinuit
(quod methodo ejus præprimis autoritatem conciliavit) mul-
tas naturales, uti Class. 1, 3, 4, 6, 11, 12, 13, 14, 16, 21, 22, 25, re-
liquæ vero classes ex diversissimis contextæ sunt, uti classis 2,
5, 9, 10, 15, 17, 18, 19, 20, 23, 24, 26, 28, 29, 30. 32. 4) Arborum
& Herbarum difficilior antea distinctio ex sola duratione fuit;
hinc plantas in Gemmiparas (arbores) & gemmis carentes
(herbas) dispescit. 5) Arbores dein & herbas generali divi-
sione in monocotyledones & dicotyledones subdividit, ut clas-
ses observet naturales eo facilius; hoc facto, ad Pericarpia
accedit, a quibus classes format. 6) In Methodo emendata
generum characteres exhibuit, vel a Tournefortianis mutua-
tos, vel iisdem admodum affines. 7) Imperfectas dictas plantas
Cel. Dillenius industria incomparabili digessit, & Rajanis adje-
cit, heteroclitas vero exclusit, variaque alia, quæ methodo pu-
304 ritatem afferunt, conciliavit. IV. CHRISTOPHORI KNAUTII,
Germani, methodus a fructu. 1) Methodo Rajanæ (ex priori
editione) proxime accedit hæc Christophori Knautii, quæ & ex
præ-

præcedenti manifeste exculta est. 2) *Recedit Autor a* Rajanis *principiis in eo, quod, cum* Rajus, *in prima editione, ab arboribus incipiat, & gymnospermas herbas angiospermis præmittat, Noster hic contraria methodo arbores postponat herbis, uti gymnospermas angiospermis.* 3) Angiospermas *plantas secundum petalorum numerum subdividit in monopetalas, tetrapetalas regulares, tetrapetalas irregulares, pentapetalas, hexapetalas, polypetalas;* Gymnospermas *vero secundum seminum numerum subdividit.* 4) *Plantas solum disposuit Autor* Halenses, *nec alias ullas; hinc generibus paucioribus ditata fuit ejus methodus, quam ulla alia; hinc & pauciores invenit sectatores, qui eandem rite excoluerint.* 5) *Cum hæc methodus a prædictis parum differat; cum genera definita, certa, & demonstrata, non admiserit Botanices fastigium, ad quod tum deducta erat; cumque liber ad manus non sit, compendiose eam recensemus, prout eandem quondam descripsimus absque nominibus ab Autore receptis, nostris solum contenti, præsertim cum vix ulla nova introduxerit nomina.* V. PAULI HERMANNI, *Germani, Professoris Botanices Leidæ,* methodus a fructu. *Quantum in Botanicis meruit* Paulus Hermannus, *doceat Flora tam Zeylonensis, quam Capensis, doceat Hortus Lugduno-Batavus. Revocatus enim Autor ex longo & periculoso Indico itinere, horto ut præesset Lugdunensi, infinita diligentia hortum ita instruxit solus, ut bis plures plantas aluerit, quam omnes ejus antecessores simul,* Bontius, Clutius, Pavius, Clusius, Vorstius, Schuylius, Syenus, *spatio 150 annorum, in hortum intulerant. Ostendit enim in horto A. 1681 plantas 1537, Anno vero 1689 plantas 3029. Vid.* Boerh. Hist. hort. pag. 31. *Ne vero quid deesset, quod scientiam promovere posset, primus erat in Belgio, qui A. 1685 fructificationis assumsit principium, uti istud pridem* Morisonus *demonstraverat; recessit tamen parum tam a* Morisono, *quam* Rajo, *licet methodi affinitas summa sit. Dividit herbas in Gymnospermas & Angiospermas, subdividit illas secundum seminum numerum, has vero secundum loculamentorum numerum; hinc assumto fructus principio arctius adhæsit, quam vel* Rajus, *vel* Morisonus *ipse. Quod autem incipiat classes suas a semi-*

Pag. 124.

seminibus multis nudis, *& descendat ad simpliciora*, *hoc fecerat, ut plantas haberet florentes, demonstrandas primo vere studiosis, non vero ut naturæ leges observaret.* Zumbac Hermannianam *methodum cum plantis*, *uti easdem demonstraverat Clarus Autor in horto publico, ori exposuit primum.* Ol. Rudbeck (*filius*) *eandem methodum* Hermannianam *mox recognovit, ubi in paucissimis ab ordinibus Autoris recedit*, *incipiens a Gymnomospermis, seu simplicissimis*, *æquali gradu ad composita adscendens.* Hermannus *tandem ipse manum propriam proprio operi admovit*, *& in Flora altera varia emendavit*, *classes repurgavit*, *genera & genera subalterna exstruxit*, *sed, cum pervenerat Autor ad Ficoidis familiam, fatalis obstitit hora, quæ opus*, *cum ejus Autore*, *orbi erudito eripuit.* VI. HERMANNI BOERHAAVII, *Belgæ, Professoris Botanici Leidæ*, methodus a fructu. 1) Hermannus Bœrhaave, *Vir meritis clarissimus*, *horti Lugduno-Batavi curam A. 1709 in se suscepit, per integros viginti annos feliciter gessit, & laboriosissimum non minus*, *quam dulce, munus sponte renuntians, dignissimo successori, Clarissimo* Adr. Royeno, *A. 1729 tradidit. En autem*, *quæ in Botanicis per quatuor lustra præstitit ille, qui una eademque annorum serie tres simul, publice docens & privatim, obivit professiones, Medicinam scilicet, Chemiam, & Botanicem; imo qui tanto insuper & tam denso ægrotantium agmine in dies obruebatur, quanto vix ac ne vix quidem ullus inter Medicos alius.* 2) Tria millia plantarum *& ultra, in amænissimum ab* Hermanno *Viridarium introducta*, *non tantum sedulus & assiduus coluit*, *sed & quotidie* (*dira licet hyems anni hujus Seculi noni tantam Floræ cladem intulisset,*) *cum in modum locupletavit hortum*, *ut in Indice, A. 1720 edito,* quinquies mille sexies centum & quinquaginta *plantas demonstraverit & adauxerit; unde constat, solius* Bœrhaavii *cura in tantum accrevisse stirpium numerum, ut nullus unquam in Europa hortus plures aluerit*, *quam Lugduno-Batavus.* 3) *Digessit idem tantum plantarum numerum*, *secundum* methodum Hermanniam, *quam repurgavit*, *emendavit, & excoluit*, *ut plane distincta habeatur;* Submarinas & imperfectas *dictas plantas*

Pag. 156.

adje-

adjecit; cum Rajo dicotyledonum *&* monocotyledonum *divisionem primariam assumsit, quo magis classes servaret naturales; cum* Tournefortio arbores *secundum flores distribuit;* papilionaceos *vero recte combinavit. Verbo, methodum* Hermanniam *cum* Rajana & Tournefortiana *conciliavit.* 4) *Characteres a facie plantarum & ex partibus fructificationis omnibus collegit, adeoque & primus calicem, stamina, & stilos florum in generibus determinandis recepit.* 5) *Varia nova genera condidit; specierum numerum auxit; splendidissimam extremæ Africæ familiam, obscuram ante, Lepidocarpodendrorum, Hypophyllocarpendrorum, Conocarpodendrorum, absolvit; synonyma ubique selecta apposuit.* VII. AUGUSTI QUIRINI RIVINI, *Germani, Professoris Botan. Lipsiensis,* methodus a Petalorum æqualitate & numero. 1) *Cum flos omni fructui præcedat, ex lege dictitantis naturæ consultum videbatur* Rivino, *a* Flore *classes formare, a Fructu vero ordines, contraria plane methodo, ac incessere antecessores. Prima itaque gloria* Rivino, *quod a floribus classes condiderit primus.* 2) *Ut facillimam induceret methodum, solummodo* corollæ æqualitatem *&* petalorum numerum *in classibus æstimavit, in ordinibus vero receptam antea in gymnospermas & angiospermas divisionem fructus retinuit.* 3) *Receptam a seculis plantarum in* herbas *&* arbores *distinctionem, uti principio fructificationis non innixam, merito rejecit.* 4) *Propria in* compositis *floribus delectabatur theoria, ubi scilicet flores duplicatos intellexit, unam nempe intra alteram contentam corollam; e. g. Nymphæam statuit* compositam ex flore regulari pentapetalo in ambitu (*calix*) & regulari polypetalo (*corolla*) in medio; *nigellam* compositam ex regulari pentapetalo in ambitu (*corolla*) & irregularibus monopetalis (*nectariis*) in medio. *Non enim assumtus adhuc erat floris character, quo tenebatur singulus flos propriis gaudere antheris vel germine proprio.* 5) *Cum assumto, unice ex petalorum æqualitate & numero, adhærere tenebatur principio, classes servare naturales, uti præcedentes, leges systematicæ non admittebant.* 6) *Inceptam methodum tantum quoad classes irregularium florum Monopetalorum, Tetrapetalorum, & Pen-*

Pag. 200.

& Pentapetalorum, *iconibus splendidissimis exposuit*, *reliquas vero absolvit Ill.* Jo. Heucherus, *cujus ductum secuti fuimus.*

Pag. 232. VIII. HENR. BERNH. RUPPII, *Germani, Medicinæ cultoris*, methodus a Petalorum æqualitate & numero. 1) *Methodum* Rivinianam *multis modis expolivit* Henr. Bernh. Ruppius, *Autor in generibus circumspectus*, *in methodo facilis*, *in synonymis accuratus*, *in speciebus detegendis & distinguendis felix.* 2) *Discessit præprimis a* Rivino *in* compositis, *flores duplicatos excludens.* 3) *Varia plantarum genera detexit*, *recepta intellexit*, *cautus species generibus*, *& genera ordinibus dignis*, *inseruit.* 4) *Occubuit Vir juvenis præmaturo fato*, *ad Botanicem qui prorsus natus erat*, *in investigandis & memoriæ mandandis plantis sine pari.*

260. IX. CHRIST. GOTTL. LUDWIGII, *Germani, Medici, Docent. Lips.* methodus a petalorum æqualitate & numero. 1) *Deficiebant in Systemate* Riviniano *Generum characteres*, *quibus unum ab altero facile & certo distingueretur*, *donec defectum hunc suppleverat Cl.* Jo. Ernest. Hebenstreit *in* Definitionibus plantarum, Lipsiæ A. 1731, 4, *exhibitis sub Dissertationis forma*; *in quibus (brevi antequam præclarum iter Africanum aggrederetur,) doctissime*, *sed compendiose*, *generum artificiales characteres reliquit.* 2) *Idem argumentum*, *absoluto hoc itinere*, *excepit itineris socius*, M. Christ. Gottl. Ludwig, *exhibens generum characteres naturales*, *collectos ex iis*, *quæ de generibus sapienter dixere magni in arte Viri*, Tournefortius, Rajus, Bœrhaavius, Dillenius, *auctos & repletos observatis ubique propriis haud paucis.* 3) *Invaluit apud nonnullos falsa opinio & fundamentum a priori desumtum*, *quo plantæ*, *quæ non omnibus convenirent fructificationis partibus*, *absque exceptione ulla genere distinguerentur diverso*, *quamvis natura aliter dictitaret*; *imo tandem & extra fructificationem distinctionis argumenta hausta sunt*; *orta inde fuere genera*, *heu quam multa! falsa & hypothetica*, *præsertim recentionibus temporibus*, *quæ magno numero*, *nec frustraneo labore*, *rejecit*, *reduxit*, *& ad sua naturalia revocavit Cl. Autor.* 4) *Cum intra Corollam & Perianthium limites sufficientes non innotuerint Seculi beneficio*, *nec posuerit natura*, *ad evitandum dubia*,

dubia, consultum visum fuit Rivino, *flores omnes incompletos, flor tum gauderent magis manifeste corolla, sive perianthio, conjungere, & pro petalodibus omnes sumere. Cum vero hoc minus arrideret quibusdam ex recentioribus, in certis præsertim plantis, e. g. Alchimilla, Percepier, &c. novam ex his classem constituere placuit Clariss. Autori, ad quam incompleti &* dubii *amandarentur flores.* 5) *Methodum demum* Rivinianam *magis universalem reddidit, instruens eam magno generum exercitu,* Tournefortianis *scilicet omnibus, aliisque.* X. CHRISTIANI KNAUT, *Germani, Medici Halensis,* Methodus a petalorum numero & æqualitate. 1) *Autor negat, Perianthium, Stylum, aut Stamina, essentialiter* florem constituere, *sed solummodo* Petala. 2) *Hinc contradictorium ipsi videtur, quod daretur flos* Apetalus, *cum ad floris essentiam unice requirat, ut Petalodes sit; hinc & Stamina & Pistilla uniformitatem vel difformitatem floris causare nequeunt.* 3) *Negat, in rerum natura dari* semina nuda, *sed omnia Capsula tecta statuit, eo quod in seminibus ante eorum maturitatem spatium inter corticem & substantiam observatur. Ergo omnia semina, ipsa Umbelliferarum & Verticillatarum, imo etiam Compositorum, semina (licet sæpe papposa), ipsi Capsulæ sunt monospermæ, cum tamen Pericarpium sit ovarium & Semen ovum.* 4) Pericarpium *omne, si vel Bacca, Strobilus, aut Pomum, ipsi* Capsula *est, quæ proin membranacea aut carnosa statuitur.* Capsula simplex *vocatur Pericarpium omne uniloculare,* composita *vero* capsula *multiloculare; hinc Ranunculi, Hellebori, &c. fructus* uniloculares plures *nominantur, qui alias compositi audiunt.* 5) *Cum Capsula aut Nux, intercedente pulpa, tegitur tunica externa, fit Pomum aut Drupa; hinc singulari prorsus calculo* loculamenta numerat *Autor; e. g. Pyri pomum quinqueloculare est, & Corni Drupa nucleo biloculari gaudet; at Autori ob tunicam pulpæ externam dicitur Pyri fructus sexcapsularis, & Corni tricapsularis.* 6) *Minima nota fructificationis in duabus speciebus congeneribus diversa, præsertim in numero,* distincta *absolute ipsi imponit* genera, *nec genere conjungi posse florem tetrapetalum cum pentapetalo, nec*

Pag. 297.

 fru-

fructum quadricapsularem cum quinquecapsulari, docuit. 7) Situm fructificationis *in ipsa planta pro nota characteristica genera distinguente assumit; hinc fundamentum quamplurium novorum generum.* 8) *Multa* paradoxa, *falso assumta, methodum notarunt hanc.* XI. JOSEPH. PITTON. TOURNEFORT, *Galli, Professoris Botanices Parisini*, Methodus a corollæ figura. 1) *Nullus in Systematica Botanices scientia plura præstitit, quam* J. P. Tournefort. *Ille enim primus puram & elaboratam absolvit Methodum; ille Systema rei herbariæ in distinctas Classes, Ordines, Genera, & Species, subdivisit.* 2) Classes *a* Corollæ figura *condidit, ne ob solum numerum genera frangerentur naturalia: latius enim figura, quam numerus, sumi potest; sed hanc ipsam ob causam difficilior evasit methodus; classes, quantum assumtum admisit principium, naturales quæsivit; alterum systematis argumentum.* 3) Ordines *a situ receptaculi floris supra aut infra germen primario deduxit: titulo* Pistilli *aut* Calycis in fructum abeuntis. *Observaverat enim olim* Cæsalpinus, *Florem vel in apice fructus, vel sede fructus, situm esse.* 4) Genera *certa & naturalia primus instruxit, ea vere præsertim a fructu definivit, & accurate delineavit. Eum proin secuti fuere in his Botanici facile omnes; ante eum certe vacillabant genera omnia.* 5) Species *ad data genera tanto numero reduxit, ut majorem copiam a condita scientia obtinuerit nunquam ullus.* 6) Varietates *utinam Vir summus speciebus non immiscuisset, & pro speciebus assumsisset! Attamen, cum video, qua solertia maxime affines proxime ad se invicem collocaverit, vix nisi numerum appositum quæro. Hanc itaque affinitatem observent omnes, qui* Tournefortium *cum fructu legere volunt.* 7) Plantæ 8846 *ad genera* 673 *in Institutionibus* Tournefortii, 1356 *ad genera* 25 *in Corollario* Tournefortii, 40 *ad genera* 16 *in Actis Par.* 1705, 1706, *a* Tournefortio, 229 *ad genera* 106, *in Generib. Amer.* Plumierii, 730 *ad genera* Tournefortii *data, in Speciebus Americanis, a* Plumiero *enumeratæ fuere secundum calculum superficialem.* 8) Plumierus (*Tournefortius ille Americanus*) *sola divisione plantarum in Herbas & Arbores a* Tournefortio *recessit,*

Pag. 329.

cessit, qui in calidis plures legerat fruticosas plantas. XII. JULII PONTEDERÆ, *Itali, Professoris Botanices Patavini,* Methodus a corollæ figura. Pag. 369. 1) Tournefortii *assumsit methodum Clarissimus Autor, eamque emendare solum aggressus est.* 2) *A* Gemmis *plantarum primariam subdivisionem petit, qua eas in* Gemmiparas & Gemmis carentes *dividit, sub his Herbas, sub illis vero Arbores, comprehendens: est enim Gemma pars plantæ, at duratio solum accidentale quoddam.* 3) Imperfectos *dicit* Tournefortii *Apetalos, eosque in duos ordines distribuit, in* Filamentosos *scilicet, a stylo sic nominatos, quibus Gramina, Juncos, Rumices, Poterium, comprehendit, &* Apetalos, *proprie sic dictos, quibus Arum.* 4) Campaniformes *distribuit in quatuor ordines: in* proprie *sic dictos,* Tubulatos, Globosos, & Patentes. 5) Conglobatos *vocare amat plantarum flores, quos alii Compositos dicunt.* 6) Liliaceos Tournefortii *ad diversas classes trahit Autor;* monopetalos *partim Campaniformibus, partim Infundibuliformibus, inserens, solos* polypetalos *pro Liliaceis agnoscens.* 7) Amentaceos *expungit, eorumque loco* Filamentosos *gemmiparos inducit.* 8) Arbores *omnes* flore monopetalo *conjunxit sub eadem classe* Tournefortius pag. 363 & 364; *has vero secundum corollæ figuram, ex assumtis principiis in Herbis, distinguit Autor in plures classes.* 9) Incipit *Cl. Autor ab imperfectis, &* progreditur *ad perfectiora; hinc apetalos, antequam petalodes, irregulares, antequam regulares, assumit.* 10) *Methodi hujus delineationem generalem in* Dissertationibus *proposuit; Systema vero ipsum etiamnum non absolvit Doctissimus Autor.* 11) *Eo præsertim a* Tournefortio *dissentit Autor noster, quod principia assumta, absoluta existimat, at* Tournefortius *magis de classibus naturalibus obtinendis sollicitus fuit.* XIII. PETRI MAGNOLI, *Galli, Professoris Botanices Monspeliensium,* Methodus a Calice, Perianthio, & Pericarpio. 377. 1) *Distincta plane a reliquis est Methodus illa, quam conceperat* Petrus Magnol, *& certe mirum, singulare adeo & plane novum Systema tam paucos in sui oblectamentum rapuisse Botanices cultores, ut plane ab omnibus in hunc usque diem intactum relictum sit, licet*

 aliis

aliis nullo modo inferius sit, sed certe plurimis longe præferendum. An causa, quod pauci calicem ejus intelligere potuere, vel quod Autor in leves difficultates, quas magno Tournefortio *objicere posset, inquirendo nimis curiosus fuerit, sua cum interdum non puriora prodiderit principia?* 2) *Fundamentum methodi a* Calice *petit Autor; Calicem hunc duplicem esse, cum veteribus assumit,* externum, *qui perianthium, &* internum, *qui Pericarpium hodie & olim dictum est. Inde triplex principium deducitur.* α) Calix externus tantum, *ubi Perianthium nullum, sed Pericarpium solum.* β) Calix internus tantum, *ubi Perianthium quidem, sed Pericarpium nullum.* γ) Calix externus & internus simul, *ubi Perianthium & Pericarpium simul existunt.* 3) *Præsentiam Calicis in omni planta requirit Autor, quem, ut obtineat calicem externum,* florem vel includere, vel sustentare, *statuit; calix ille, qui* florem involvit, *est Perianthium; qui vero* florem sustentat, *est Germen, vel Pedunculi apex obtusus. Vide* Valerianam, Passerinam, Helxinem, Rumicem, Rheum, Clematitidem, *in* Classe II, 1, & VII, 6. 4) *In* Ordinibus *nunc Calicem, nunc Corollam, nunc Fructum, assumit.* 5) *In* Generibus *præprimis ea cum* Tournefortio *assumit; loco* Characterum *vero unam alteramve speciem singuli generis secundum omnes partes fructificationis describit.* 6) Flores Papilionaceos *omnes pentapetalos (nec, ut creditum vulgo, tetrapetalos,) esse docet.* 7) *Flores Radiatos* Tournefortii Semiflosculosos *&* Flosculosos simul *nominat.* 8) *Novum methodi fundamentum, classes fat naturales, observationum novarum copia, florum descriptiones, &c. ut opus omnium manibus tereretur, suaderent.*

Pag. 405. XIV. CAROLI LINNÆI Methodus a Calycis speciebus. 1) Calyx *prima pars fructificationis est, prima, quæ oculis nostris sese offert, quæ florem præservat ab externis injuriis, quæque dein fructum conservare, cadente licet flore, ad ejus maturitatem solet. Mira itaque in* Calyce *structuræ diversitas, major facile, quam vel in ulla alia fructificationis parte.* 2) Magnolius *solus fundamentum methodi a Calyce sumsit, sed modo in primis Fundamentis eo usus, mox ad* fructum *cum reliquis se contulit, ut classes (laudabili maxime instituto) naturales servaret.*

varet. 3) *Volui itaque in tyronum gratiam methodum aliam plane proponere, inque ea Calycis species, differentias, proprietatesque facile omnes primarias, describere, ut facilius assuescerent Calycum dissectionibus juniores Botanici.* 4) *Imputet itaque mihi bonus nullus, quod Systema quoddam novum finxerim, qui tantummodo Calyces generali qualicunque conceptu delineavi, studio frangens Classes naturales omnes, modo distinctiones clariores reperirem.* 5) Species *Calycis sunt 5:* Spatha, Gluma, Amentum, Involucrum, Calyptra, *omnibus notæ Botanicis, alibi (*Philos. Bot.*) tradendæ.* 6) Involucrum *est vel* remotum, *vel* proximum. *In hac methodo* proximum *solum assumimus, adeoque, solius umbellæ quæ ex receptaculo communi oritur; in umbella composita duplex est receptaculi ramificatio, adeoque duplex locus involucri, sive hoc tum adsit, sive absit.* 7) Floribundi *intra calycem ad ejus latera diffunditur receptaculum, e quo stamina & corolla (si quæ adsit) prodeunt.* 8) Coronatrices *calyces sunt, quo fructui seu germini insident, quorum calycem abire in fructum, dixit* Tournefortius. 9) *Cum flores* calyce (*non corolla*) carentes *& flores* corolla (*non calyce*) destitutos *distinguere non admisit natura, evidentissimo exemplo in Daphne, Parnaceo, &c. has distinximus hypothetice secundum durationem floris externi ad absolutam fœcundationem solummodo, vel ad absoluta demum semina, perfistentes.* 10) Calyptratos *omisimus ob paucitatem numeri.* XV. CAROLI LINNÆI, *Sueci, Medici*, Systema a sexu: staminibus & pistillis. 1) *Neglexerant Stamina & Pistilla antecedentes Systematici facile omnes: singularis eorum structura vero, & insigne officium, animum allicuit meum, ut in his inquirerem, quid condiderit natura.* 2) *Commendabant se munere, quo fungebantur; cum his solis omnis plantarum propagatio innitebatur; latebat in his tam mollis ipsa floris essentia.* Flos enim nil est *nisi* Actus generationis plantarum. *Generatio hac absolvitur solis staminum* Antheris, *pistillorumque* Stigmatibus: *adeoque sine his nullus fructus.* 3) *Classes vel ordines naturales admisit tot, quot ulla methodus alia, numerus tamen genio ubique fruitur suo; obstacula, quæ methodo contraria erant, collegi; candi-*

Pag. 441.

 dus

dus impertivi; Naturalem methodum nec hanc, nec aliam vocaverim ullam. 4) *Tanti est Staminum notitia in generibus determinandis, ut ea destitutus nullus certo & tuto genera designare queat, licet plane nihilo ante habita.* 5) Nomina systematica *metaphora proxima a sexu petii, ne definitiones loco nominum, uti vulgo receptum, obtruderem.* 6) Characteres generum *ab omnibus partibus fructificationis, secundum cujuscunque numerum, figuram, proportionem, & situm, collegi. Vide* Genera plantarum. 7) Genera *artificialia, vel extra fructificationem petita, ad sua naturalia, quantum observationes docuerunt, reduxi.* 8) Nomina *falsa, quantum vidi, exclusi, eorum licet non captarem gratiam, hisce qui innutriti erant. Vide* Critic. Bot. 9) Varietatum *myriades ad suas veras species referre incepi, cum nullius momenti sint, sed scandalum Botanices. Vide* Hort. Clyff. 10) Specierum *differentias inquirere, nominaque inde specifica plantis inscripta, nec ex memoria labili petita, condere incepi. Boni continuabunt, si quid bene in-*
Pag. 517. *choatum.* XVI. SEBAST. VAILLANTII, Demonstr. Pl. Hort. Paris. Methodus Compositorum. 1) *Magnum opus aggressus est* Seb. Vaillantius, *omnes examinando plantas quam accuratissime, examinatas referens ad genera certa.* 2) *Incepit opus, cujus partem, quam edidit, tanta absolvit doctrina, ut accuratiorem Systematicum non viderit orbis. Immensa enim copia specierum, (quam habere potuit Parisiis ex collectaneis* Tournefortii, Plumieri, Suriani, Fevillei,) *accuratum examen, & intima plantarum cognitio, reddidere incepta tam matura, ut Autoris præpropera fata satis nunquam dolere possit orbis literatus.* 3) *Optandum foret, ut Romana veste induta prodiret seorsim methodus omnibus Botanicis adeo necessaria hæc* Vaillantii *in Compositis, ut a pluribus teri possit incomparabile Opus.* 4) *Classis quartæ definitio difficile elicitur.* 5) *Genera multa habet nova, exoticas plantas, antea vagas, studiose collegit, varietates speciebus non raro subjunxit, genera tamen fere ni-*
525. *mium multiplicavit.* XVII. JULII PONTEDERÆ, *Prof. Bot. Patavini*, Methodus Compositorum. 1) *Flores compositos aliorum vocat Cl. Autor* Conglobatos, *quos in tres classes cum*

Tour-

Tournefortio (pag. 354 seq.) *dividit*, *sed flosculosis præmittit semiflosculosos, tanquam irregulares, minusque perfectos, & expungit minus aptum semiflosculi nomen conglobati* Radiatis capitulis. *In Ordinibus totus recedit. Semiflosculus enim Cl. Autori is est, qui aut stamina sine pistillis, seu steriles, aut pistilla sine staminibus, seu fertiles, producit.* 2) *Ordines faciliores tradit Autor, quam ullus unquam antea; nec pares darentur, nisi genera nonnulla obstarent naturalia. Dividit primo plantas Classis cujusve in eas, quæ fructum aut* infra florem, *aut* intra florem, *gerunt. Quæ infra florem gerunt fructum, in omnibus tribus classibus dividuntur ex triplici Receptaculo communi:* Thalamo *scilicet, α)* nudo, *β*) squamato, *γ*) papposo. *Singulæ harum eadem lege iterum trifariam subdividuntur secundum coronas seminum: in Semina scilicet α)* nuda, *β)* squamata, *γ*) papposa. 3) Xanthium & Ambrosia *ad filamentosos secundum flores fertiles, qui Autori majoris momenti sunt, amandantur; certe ad Compositos nec spectant secundum steriles.* Amaranthoides (*Gomphrena) ad infundibuliformes simplices rectius refertur.* 4) Cyanoidis *speciem III, 9, facit* Jaceam *C. B;* Jaceæ *speciem II, 8, facit* Serratulam *C. B;* Cyani *speciem III, 3, facit* Crupinam; Jaceas *reliquas T.* Carduum melitensem; Centaurium majus, *III, 10, licet charactere nullo a* Cyano *III, 10, differebat, ob usum frequentem nominis non expungendum existimabat.* Coma Aurea *II, 6, a* Conyza *II, 3, distinguitur, ad quam tamen refert* Absinthium corymbiferum annuum. Asteripholis *III, 8, est* Aster novæ Angliæ altissimus hirsutus, floribus omnium maximis. *T. ratio cur distinxit, patet collato* Astere III, *5, cum III, 8.* Seriphium *II, 1, ab* Absinthio *III, 9, & quidem* marino *removetur genere.*

XVIII. ROBERTI MORISONI, *Scoti, Profess. Botan. Oxon.* Methodus Umbellatarum. Pag. 533.

1) *Prima rudimenta, quæ in Methodo systematica tentavit* Rob. Morisonus, *in umbellatis deponebat plantis, quas secundum leges & vincula earum affinitatis proponere aggressus est.* 2) *Pulchre semina umbelliferarum juxta se invicem delineata exhibuit, eaque simul tanquam in speculo demonstravit, ut quivis plantas facile ex solo semine distingueret.*

gueret. 3) *Historiam dein plantarum umbellatarum dedit, characteres tentavit, excludere tamen debuisset umbellas improprie dictas, toto cœlo diversas.* 4) *Quoad leges systematicas, seu classis subdivisiones, recedit longe ab hodierna luce; nec Docto Autori imputandum, quæ seculi conditio ipsi negavit.* XIX.
Pag. 551. JOANNIS RAJI, *Angli, Theologi*, Methodus Graminum. 1) *Qui omnes Botanices partes perscrutatus est* Jo. Rajus, *etiam Graminum difficillimam classem enodare tentavit, tentavit & eventu, pro ratione sui seculi, non infelici.* 2) *Divisit Gramina cum veteribus in* Spicata & Paniculata; *ista dein secundum similitudinem spicæ cum vulgatissimis Cerealibus, hæc vero secundum locustas* Simplices & Compositas; *minimas vero glumarum partes non perscrutatus est.* 3) *Facilitavit sic multum hanc partem Botanices, Genera licet latius sumserit.* XX. JO-
559. ANNIS SCHEUCHZERI, *Helveti, Soc. Ac. Imp. & Prof. Tigurini*, Methodus Graminum. 1) *Stupenda industria, labore, & constantia, Graminum familiam, antea ab omni seculo difficillimam, eamque suo labore, facilem omnibus reddidit.* 2) *Species Graminum quater centum circiter ex omni orbis plaga cura summa conquisivit, omnesque has synonymis genuinis nominatis, quoad partes omnes, imo minimas, descripsit ita, ut incertus de specie dimitteretur nullus.* 3) *Distinxit has secundum fructificationis partes & situm quam accuratissime; ut divisas phalanges facilius esset separare, adque quæsitam speciem primo gradu pervenire.* 4) Folliculus *Autori est ista pars fructificationis, quæ a nobis titulo Corollæ describitur;* Gluma *vero ejus nobis Calyx graminis est;* & Locusta *tandem, quam nos florem integrum dicimus, sive Calyx tum sit uniflorus, sive multiflorus.* XXI. PETRI ANTONII MICHELI, *Itali,*
575. *Bot. Princ. Hetruriæ*, Methodus Graminum. *Brevem delineationem methodi Graminum in priori Parte Generum dedit* P. A. Michelii, *cujus integram explicationem sequentem promisit, quæ ita se habet.* 1) Locustæ compositæ; Flore a femine non separato. *Triticum, Zea, Agrostarium, Pseudo-Triticum, Lolium, Gramen, Festuca, Bromos, Arundo, Avena.* 2) Locustæ simplices; Flore a femine non separato. *Hordeum; Phœnix,*

Pha-

Phalaris, *Spartium*, *Oryza*, *Polydactylon*, *Ischæmum*, *Panicum*, *Milium*. 3) Locustæ simplices in eadem planta, aliæ solum floriferæ, aliæ floriferæ & seminiferæ. *Ægilops*, *Sorgum*, *Schænanthum*. 4) Locustæ simplices in eadem planta aliæ floriferæ, aliæ seminiferæ. *Ægilopoides*. 5) Locustæ compositæ in eadem planta, aliæ floriferæ, aliæ seminiferæ. *Sesamum*, *Sesamastrum*, *Lacryma job*, Coix, *Mays*, Zea. 6) Culmiferis affines Apetalæ. *Panicastrella*, Cenchrus, *Juncus*, Juncus, *Juncoides*, Juncus, *Calamus aromaticus*, Acorus, *Juncago*, Triglochin, *Cyperus*, Cyperus, *Melanoschœnus*, Schœnus, *Scirpo Cyperus*, Scirpus, *Scirpus*, Scirpus, *Scirpoides*, Scirpus, *Cyperella*, Schœnus, *Linagrostis*, Eriophorum, *Pseudo-Cyperus*, Cyperus, *Cyperoides*, Carex, *Carex*, Carex, *Zannichellia*, Zannichellia, *Buccaferrea*, *Ruppia*. XXII. CAR. LINNÆI Methodus graminum. *Secundum Stamina & Pistilla facili negotio a se invicem distinguuntur Gramina, hinc secundum nostras, a sexu petitas, leges sequenti modo dividi possunt.* 1) Diandria Digynia. *Anthoxanthum*. 2) Triandria Monogynia. *Schænus*, *Cyperus*, *Scirpus*, *Eriophorum*. 3) Triandria Digynia calycibus unifloris. *Cornucopiæ*, *Nardus*, *Saccharum*, *Phalaris*, *Phleum*, *Alopecurus*, *Panicum*, *Milium*, *Melica*, *Agrostis*, *Lagurus*. 4) Triandria Digynia calycibus multifloris. *Aira*, *Poa*, *Briza*, *Uniola*, *Cynosurus*, *Bromus*, *Festuca*, *Avena*, *Arundo*, *Lolium*, *Triticum*, *Secale*, *Hordeum*. 5) Hexandria Digynia. *Oryza*. 6) Hexandria Monogynia. *Juncus*. 7) Monœcia Triandria. *Zea*, *Coix*, *Carex*, *Sparganium*, *Typha*. 8) Polygamia Monœcia. *Holcus*, *Ægilops*, *Cenchrus*. XXIII. JO. JAC. DILLENII, *Germani*, *Profess. Botan. Oxon.* Methodus muscorum. 1) *Nova certe detexit regna Cl.* Dillenius, *dum solus, & uno eodemque tempore, tantum plantarum protraxit exercitum ex obscuro, in quo a seculis latuit, ut majorem certe nullus unquam.* 2) *Antea persuasi erant Botanici, plantas Europæ facile omnes dudum esse cognitas, cum tamen Cl. Autor plus quam ducentas, maximam partem plane incognitas, licet ubique vulgares, detegere potuerit.* 3) *Has omnes plantas minimas, seu* Muscos, *tam eleganter in*

Pag. 578.
579.

certas [illegible]*ffit phalanges, ut nullus, qui dein novam tentavit methodum, ullo modo cum Autore nostro certare possit.* 4) *Quæ antea de Muscis dedere* Bobartius & Rajus *in Historiis suis plantarum, cum nil nisi scopas dissolutas exhibuerint, paucioribus gratos se præstitere.* Vaillantii *quidem icones egregiæ sunt, methodus vero nullo modo comparanda.* 5) *Ad majorem longe* perfectionem, *sive genera ipsa, sive specierum numerum, sive* synonyma, *respicias, hanc Muscorum methodum deduxit Cl. Autor in* tertia editione Synopseos Rajanæ. 6) *Nil magis superest, quam ut publici juris faciat egregius Autor integram Muscorum Historiam,* figuris *adeo nitidis, in quibus singulæ quæque depinguntur species, ut pulchrius quid me vidisse vix meminerim, quam collectionem hanc, cujus inspiciendi copia in*
Pag. 591. *Museo* Dilleniano *nobis data quondam fuit.* XXIV. PETRI ANTONII MICHELI, *Hetrusc. Botan. Princ. Ducis Etruriæ,* Methodus Muscorum. Algarum *flores, vix ulli assequendi, delineavit egregie* Micheli, *ut nullus unquam inter Botanicos æquiparari possit; certe ultra oculos humanos suis microscopiis progressus est.* 1) Floribus campaniformibus a fructu remotis. *Marchantia*, Marchantia, *Hepatica*, Marchantia, *Targionia*, *Sphærocarpos*, *Lunularia*, Marchantia, *Marsilea*, Jungermannia, *Jungermannia*, Jungermannia, *Muscoides*, Jungermannia, *Blasia*, *Anthoceros*, Anthoceros. 2) Floribus apetalis nudis a fructu distinctis. *Lichen*, Lichen, *Lichen Agaricus*, *Lichenoides*, *Riccia*, Riccia, *Salvinia*, Marsilea, *Muscus*, Muscus. XXV.
594. JO. JAC. DILLENII, *Germani, Soc. Ac. N. C.* Methodus Fungorum. 1) *Primus, qui solidam Methodum in Fungis dedit*, Jo. Jac. Dillenius *est. Quicquid enim præstitere* Clusius, Sterbeck, & Rajus, *in systematicis vix ullius momenti erat.* 2) *Species plus quam 162 dedit in* Flora Gissensi, *quem numerum longe auxit in* Synopsi Angl. 3) *Fungos simul & ubique Muscis annexos conjunctim dedit Cl. Autor.* 4) *Genera, quantum fieri potuit, naturalia condidit, quæ dein male a quibusdam recentiorum in plures artificiales, ad nauseam usque, subdivisa sunt.*

Accesse-

Acceſſerunt locupletiſſimi Indices, qui Lectorem dirigunt, ut juxta omnes methodos, vel unam, quam præoptaverit, plantam quæſitam invenire poſſit.

Einleitung zur Schleßwig-Hollſteiniſchen Hiſtorie, ꝛc.
h. e.

INTRODUCTIO IN HISTORIAM SLESvico-Holſaticam, ab initio regiminis etiamnum florentis ſtirpis Oldenburgicæ ad Seculum usque XVIII prolata, Autore ADAMO HENRICO LACKMANNO. *Pars tertia, cui ſubjungitur Hiſtoria Ordinationis Eccleſiaſticæ regnorum Daniæ & Norvegiæ, atque Ducatuum Sleſvico-Holſaticorum.*

Hamburgi, apud viduam Felgineri, 1739, 8.
Alph. 2 plag. 2.

Poſtquam de laboris hujus, ad hiſtoriam patriam apprime facientis, prioribus *duabus Partibus* in his *Actis A. 1731 Menſ. Jul. pag. 327, & A. 1734 Menſ. Jan. pag. 38 ſeq.* pro more noſtro relatum eſt, nunc etiam de *Parte tertia*, quæ nuper demum acceſſit, breviter, ſed quod ſatis eſt, commemorabimus. De ipſo Autore, præſtantiſſimo *Lackmanno*, id ſtatim in limine monendum ducimus, hunc ex eo tempore, quo *priores* illas *Partes* edidit, tum, cum, poſito Rectoris Utinenſis munere, vitam privatam ageret, elucubratas, in publica iterum luce verſari, & ſplendidis muneribus fulgere; ſiquidem & in Academia Kilonienſi Hiſtoriam extra ordinem docendi provincia ei demandata, & a Duce Sleſvico-Holſatico hodienum regente in ſupremo ſenatu Eccleſiaſtico Aſſeſſoris ordinarii dignitas collata eſt; quam priſtinæ ſuæ ſortis mutationem cum ipſe Autor in Præfatione aliqua ex parte commemorat, id ſimul teſtatum facit, non fore, ut inde quis metuat, ne ſeveris illis hiſtoriæ legibus, quæ fidem ubique illibatam adhibendam, veritatemque nudam ſine omni fuco proferendam, requirunt, hinc aliquid decedat. Nobis vero hoc, quicquid ad præſen-

tem Autoris statum pertinet, prætereundum non fuit, ut Lectoribus nostris inde constare queat, tum unde id contigerit, ut laboris hujus, alacrius quondam cœpti, *Pars* hæc nova diutius quodammodo exspectanda fuerit, tum etiam unde sperandum sit, ut Autor, majori subinde præsidiorum copia instructus, Operi huic posthac feliciter persequendo par omnino sit futurus. Ipsa hæc *Pars III* eadem quidem, qua priores *duæ*, ab Autore methodo conscripta est; ut autem major hic, quam in illis, scribendorum copia fuit, ita hoc minus temporis intervallum Cl. Autori hac vice emetiri licuit: &, prolata historiarum serie ab A. 1626 usque ad 1630, vix quinquennium est, quod integrum hoc Volumen complectitur. Incidit hæc periodus in difficillima belli tricennalis tempora, ubi Danorum Rex, *Christianus IV*, & Gottorpiensium Dux, *Fridericus III* ille sapiens, terris Slesvico-Holsaticis cum summa principatus autoritate præfuerunt. Regem illum *Christianum IV* illis belli calamitatibus id temporis partem præcipuam implicitum fuisse, in vulgus notum est. Quicquid igitur ad ambiguam post infelix illud Regio-Lothariense prælium belli sortem, quam non modo ipsæ Slesvico-Holsaticæ, sed & finitimæ Saxoniæ inferioris, provinciæ expertæ sunt: quicquid hinc ad pacem Lubecensem, felicioribus auspiciis A. 1629 his terris redditam, pertinet, id omne, una cum aliis domesticis eventibus, Cl. Autori hic se obtulit commemorandum. Ut autem non modo ipsæ Slesvico-Holsatorum res per hoc intervallum diligentius, quam usquam alibi adhuc factum, explicatæ sunt; ita & vicinarum aliarum regionum fatis, quæ in partem communis illius calamitatis tum venerunt, egregia simul lux accensa est: qua in in re ita se gessit Autor, ut nihil adduceret, quod non vel ipsorum fontium, vel optimorum alias, & æqualium cummaxime, scriptorum, patrociniis munire potuerit; ex iisdem vero & aliorum lapsus, passim occurrentes, modeste notaret atque corrigeret. Præter generaliorem hanc tractationis ideam, specialiora ex libro rerum optimarum pleno decerpere haud vacat: nec licet ex concatenata annalium serie, quam Autor tenacius, atque interdum aliquo Lectoris tædio, sibi ser-

ſervandam duxit, quidquam Lectoribus noſtris ita exhibere, ut non potius ad ipſum librum evolvendum, & inde hauriendam tot ſingularium rerum copiam, eosdem ablegare debeamus: a quo labore nec tamen eximere licebit eos, qui in rebus domeſticis fructu carere nolunt operæ, in ipſorum gratiam potiſſimum impenſæ. Reſtat nobis præterea dicendum de hiſtoria Ordinationis Eccleſiaſticæ, quæ appendicis loco ſubjuncta eſt, & vel quartam Voluminis partem conficit; cujus aliquam notitiam ut hic exhibeamus, ex plurium uſu futurum exiſtimamus. Ut Commentationi huic peculiari Cl. Autor animum adjiceret, primum occaſionem ei præbuit memoria ſecularis, quam Oratione, in Academia Kilonienſi publice recitata, ſibi recolendam duxit, poſtquam A. 1737 ipſo die Luciæ, inde a vulgata prima Ordinatione Eccleſiaſtica in Dania, integra bina Secula exacta fuerunt. Enatam hinc ſibi tractationem noluit invidere aliorum uſibus, ſed hanc Latino, quo primum concepta fuit, ſermone magis magisque perpolitam, acceſſionibusque & obſervationibus neceſſariis auctam & inſtructam, ita prelo paravit, ut tum huic, quæ nunc primum prodit, *Parti III* Hiſtoriæ Sleſvico-Holſaticæ juncta eſſet, tum quoque in exemplis quibusdam ſeparatim excuſis proſtaret, quo & ab illis ſeorſim comparari poſſit, qui integro iſto Opere hiſtorico haud ægre carent, & Latine ab Autore, quam Germanice, ſcriptorum librorum lectione magis delectantur. Docemur autem in ipſa Commentatione de ordinatione Eccleſiaſtica, hanc, quæ omnium prima pro Daniæ Norvagiæque Regnorum atque Ducatuum Sleſvicenſis atque Holſatiæ uſibus vulgata eſt, lingua Latina omnino conſignatum eſſe, atque Hafnienſium typis excuſam, in forma chartæ octipertita A. 1537 prodiiſſe. Autorem illius primum atque ſolum, quod vulgo perſuaſum habetur, fuiſſe *Joannem Bugenhagium*, haud temere admittit Noſter, qui, primas jam ejusdem apud ipſos Danos ductas lineas, & ante *Bugenhagii* in Daniam adventum Wittebergam transmiſſas, luculentiſſimis teſtimoniis comprobat: quas vero idem in aptanda eadem, & in juſtam formam redigenda, cum

adjunctis ſibi e Danorum gente ſociis partes habuerit, minime reticet: atque de autoritate etiam publica, quam Ordinatio hæc mox ab illo tempore conſecuta ſit, ita diſſerit, ut, quibus hæc res ambigua adhuc viſa eſt, iis nullus dubitandi locus amplius relictus eſſe videatur. Proxima, quæ primævam illam editionem Latinam excepit, interpretatio ejusdem Danica fuit, eaque Rothſchildiæ typis itidem in forma octava exſcripta lucem vidit A. 1539, atque, ut prior illa præcipuorum Eccleſiaſticorum Doctorum ſubſcriptionibus roborata atque communita fuit, ita, iſtis quidem omiſſis, hæc nomina & ſuffragia fert præcipuorum Daniæ Procerum & virorum politicorum, in comitiis Othonienſibus, hoc anno celebratis, eidem adjecta. Quæ plura de Danicæ hujus editionis interprete, qui *Petrus Palladius*, Seelandiæ tum Epiſcopus, fuit, & de modo in vertendo ab eodem ſervato, commemoravit Noſter, hic quidem transmittimus, & tertiam nunc adducimus hujus Ordinationis editionem, eamque in idioma Germanicum ſecundum dialectum Saxoniæ inferioris transfuſam. Hæc, uſibus Eccleſiarum in Ducatibus Sleſvicenſi & Holſatico cummaxime deſtinata, in forma quadripertita Magdeburgi prodiit A. 1542, ac, licet primas in eadem transferenda *Bugenhagio* partes denegare haud ſuſtineat *Lackmannus* noſter, ex indiciis tamen haud levibus colligit, non modo *Herm. Taſtium*, ſed & alios forte quosdam cordatos Cimbricarum Eccleſiarum Doctores, ab eodem circa hoc negotium in conſilium adhibitos fuiſſe. Plura ſunt, quæ hinc de differentia inter ſingulas haſce verſiones, quam vel ipſe diverſorum regnorum & provinciarum ſtatus admittendam juſſit, itemque de valore & autoritate earundem iterum iterumque ſtabilita & confirmata, ex prolixa Conſtitutionum Regio-Ducalium ſerie ab Autore allata ſunt, de quibus omnibus referre hic nimis prolixum foret. Illud autem notaſſe ſufficit, quod illi ſanctioni primævæ in utroque Ducatu Sleſvicenſi & Holſatico ſua adhucdum conſtet autoritas, licet ex parte utriusque regiminis ingens novarum Conſtitutionum acceſſerit cumulus, quibus laboranti Eccleſiæ ſummi imperantes ſubinde proſpectum voluerunt. In ipſa autem Dania cum mutata ſuperiori

periori Seculo totius imperii forma & ipsam Ecclesiasticæ Ordinationis faciem mox mutatam esse, probe Nostro observatum est, ubi novum Rituale Ecclesiarum Daniæ & Norvegiæ, post promulgatum corpus Juris patrii, seorsim quoque A. 1685 in 4 vulgatum, in locum ejus successit, a *Petro Terpagero* ex Danico sermone etiam A. 1706 Latine redditum, quod, licet in præcipuis Capitibus priorum legum tenorem retinuerit, antiquæ tamen sanctioni isti omnem, quam olim habuerat, autoritatem penitus abrogavit. Cum denique in variarum editionum Ordinationis hujus Ecclesiasticæ enumeratione versetur Autor, avtographi illius Latini non nisi unicam illam, supra memoratam, Danicæ versionis vero numero plures, Germanicæ autem tres tantum, in universum prodiisse affirmat, &, quid inter singulas differat, ex sedula exemplorum collatione planum facit. Ut autem huc usque adducta tractationis principalis præcipua capita sunt, ita in argumenta cognata etiam, occasione ita ferente, liberiorem excursionem sibi indulsit Autor, adeo, ut de Confessionis Augustanæ receptione in Dania, de Academiæ Hafniensis instauratione, quæ id temporis, cum prima illa Ordinatio Ecclesiastica cuderetur, contigit, de *Bugenhagii* laboribus & diversis in Daniam susceptis itineribus, plurima occurrant, quorum omnium distincta ratio in aliorum scriptis impeditior huc usque reddita est: in quibus tamen & pluribus aliis operæ non pepercit Noster, ut singula, quantum daretur, ad liquidum perduceret, & non modo ab aliis, sed & a se ipso quondam, in his rebus admissos errores corrigeret & retractaret, atque adeo ubique & ingenui Historici, & Critici accurati, partes expleret.

MEMOIRES POUR SERVIR A L' HISTOIRE, &c.

h. e.

COMMENTARII, HISTORIÆ CELEBERrimorum in Republica literaria Virorum inservientes. Accedunt Catalogi librorum, a singulis editorum, de iisque judicia.

Pars

Tomus XXVIII & XXIX.

Lutetiæ Parif. apud Briaffonium, 1734, 8.

Tomus quisque habet plag. 18, & totidem plag. dim.

En hic vitam *Jacobi Gretferi*, mortui A. 1625, d. 29 Jan. quem, teftis eft *Bibliotheca Jefuitica*, tanta fuiffe modeftia & humilitate, ut, cum urbs illa, in qua natus eft, depictam cuperet habere ipfius imaginem, depingi recufaret, addens, ipfis afinum effe pingendum, fi *Gretferi* vellent habere effigiem. Nofter præcipue notat ejus acrimoniam ftili erga antagoniftas. Ac fane ea fatis fuperque cognofcitur vel e titulis librorum ejus erifticorum, quorum permagna eft multitudo. Quanquam enim fatendum, nec adverfarios ejus mollibus ufos effe verbis, operam tamen is navavit ftrenuam, longo ut eos antecederet intervallo. Vita hinc fequitur *Samuelis Marefii*, mortui A. 1673 d. 18 Maji; *Guilielmi Britonis*, Poetæ Seculi XIII præftantiffimi, ab alio *Guilielmo Britone* difcernendi, *Chronici* fcriptore, quod MStum in Bibliotheca Regis Galliæ reperitur; *Benedicti Ariæ Montani*, mortui A. 1598, Hifpanorum eruditiffimi, qui vino pariter & carne femper abftinuit; *Joannis Argenterii*, mortui A. 1572 d. 13 Maji; *Davidis Hæfchelii*, m. A. 1617 d. 20 Sept. *Antonii Rudolphi Cevallerii*, m. A. 1572; *Rodulphi Glabri*, Hiftorici Seculi XI; *Guilielmi de Nangis*, Hiftorici Seculi XII; *Antonii Riccoboni*, m. A. 1599; *Claudii Quilleti*, mortui A. 1661, menfe Octobri, cujus fub anagrammatico nomine *Calvidii Leti* A. 1655 editam *Callipædiam*, *feu de pulchræ prolis habendæ ratione Poema didacticum*, Nofter haud facit magni, cum & verfus fint admodum mediocres, & argumentum ipfum minus erudite perfecutus fit Autor, deditus etiam fuperftitioni de vi fiderum in humana corpora, deque obfervanda concubituris parentibus conftellatione; *Henrici Bullingeri*, mortui A. 1575 d. 17 Sept. *Theodori Agrippæ d'Aubigné*, five *Albinæi*, mortui A. 1630 d. 29 Apr. cujus *Hiftoria univerfalis ab A. 1550 usque ad A. 1601* publice combufta Lutetiæ eft ob nimiam fcribendi libertatem, quique & fatyrici illius libri conditor eft, qui infcribitur *Confeffion Catholique du Sieur de Sancy*; *Mat-*

Matthæi Bossi, mortui A. 1502; *Christiani Adrichomii*, m. A. 1585 d. 20 Junii; *Stephani Jodelli*, m. A. 1573; *Francisci Balduini*, m. A. 1573 d. 24 Octobris; *Francisci Bernardini Ferrarii*, qui A. 1638 successit Patavii *Balthasari Bonifacio* in præfectura Collegii Nobilium, sed post duos annos, relicta hac sparta, rediit in patriam civitatem, Mediolanum, ibique anno vitæ nonagesimo secundo diem obiit supremum A. 1669 d. 30 Januarii: cujusque omnia scripta (scripsit autem *Libros tres de antiquo Ecclesiasticarum Epistolarum genere*, totidem *Libros de ritu sacrarum concionum*, *septem Libros de veterum acclamationibus & plausu*,) Noster judicat esse eruditissima & plena elegantiæ; *Joannis Lelandi*, mortui A. 1552 d. 18 Aprilis; *Josiæ Simleri*, m. A. 1576 d. 2 Julii; *Thomæ Dempsteri*, m. A. 1625 d. 6 Sept. vigesimi quarti inter patris sui liberos: cui natalis suus dies adeo fatalis fuit, ut eo excesserit patria, Scotia, eo creatus sit Doctor Juris, eo factus sit Professor Academiæ Nemausensis, eo e causa quadam forensi magni momenti discesserit victor, eo denique Professor constitutus sit in Academia Pisana; *Caroli Bernardi*, Regis Galliæ Historiographi, m. A. 1640 d. 25 Junii; *Simonis Majoli*, m. A. 1597; *Felicis Hemmerlin*, Latine *Malleoli*, cujus mortis, in Seculum XV incidentis, annus latet; *Jacobi Sadoleti*, m. A. 1547 d. 18 Oct. *Francisci Petrarchæ*, m. A. 1374 d. 18 Julii, cujus vitam viginti quinque viri docti scripserunt, inter quos excellit *Muratorius*, qui optime compositam eam A. 1711 edidit. *Africa* Petrarchæ, sive *Libri novem de bello Punico*, qui olim maximo erant in pretio, contemnuntur a Nostro, qui Poema hoc longe abesse judicat a laude Poematis excellentis. Postrema est vita *Laurentii Surii*, Lubecæ nati Lutheranis parentibus, sed, cum Coloniam se contulisset ad colendum literarum studium, a *Petro Canisio*, studiorum suorum tum socio, perducti in castra Pontificis Romani: ubi cum annos natus viginti adscriptus esset Ordini sacro Carthusianorum, totum se dedit scribendis libris usque ad A. 1578, quo mortuus est, & quidem d. 23 Maji. Edidit namque *Opera Tauleri*, *Opera Rusbrochii*, quæ e Belgico sermone in Latinum convertit, *Michaelis Sidonii*, Episcopi Martisburgensis, *Conciones XV de Missa*, quas e Germanico

traduxit in Latinum, *Florentii Harlemensis*, Carthusiani, *Libros V Institutionis vitæ Christianæ*, quos e Belgicis Latinos fecit, *Joannis Gropperi* Opus *de Eucharistia*, quod, Germanice conscriptum, Latine reddidit, *Apologiam Friderici Staphyli de S. Scripturæ vero intellectu & in vulgare idioma translatione*, sermone Germanico conversam in Latinum, *Eisengreinii Sermonis, cur tam multi deficiant ad Lutheranismum*, & *Henrici Susonis*, clari Mystici, *Operum*, versionem Latinam, *Homilias Doctorum Ecclesiæ in Evangelia totius anni, ab Alcuino jussu Caroli M. collectas*, *Concilia omnia, in Tomos quatuor distributa:* pro quorum Dedicatione, *Philippo II*, Regi Hispaniæ, facta, quingentos accepit florenos; quanquam hæc editio valde contemnitur a *Salmonio* in suo *de Conciliis* Opere; *Vitas Sanctorum*, a *Lipomanno* conscriptas, *Tomis sex*, denique *Commentarium rerum in orbe gestarum ab anno 1500 usque ad annum 1566:* qui liber (ita Noster judicat,) incertas multas exhibet narrationes, totus spirat genium monachalem, plenus est meditationibus plane puerilibus, male dictis item in Protestantes tam inconditis, ut eos dicat doctrinas suas hausisse e libris *Muhammedis*, denique ita compositus, ut non minus Pontificiis, quam Protestantibus, sit contemtui.

Accedimus ad alterum horum *Tomorum*, in quo luculenter descripta est, adjecto librorum Catalogo, vita utriusque *Friderici Spanhemii*, quorum alter mortuus A. 1649 d. 30 Apr. alter A. 1701 d. 18 Maji; *Josephi la Brosse*, m. A. 1697 d. 29 Dec. cujus *Gazophylacium linguæ Persicæ* prodiit A. 1684; *Danielis Eremitæ*, mortui A. 1613, cujus *Opera*, a *Grævio* A. 1701 edita, valde placent Nostro ob stili puritatem, ob exemplorum multitudinem & selectum, ob genium satyricum; *Gothofredi Vallée*, propter atheismum combusti A. 1573 d. 9 Febr. qui unum duntaxat librum edidit, inscriptum *la beatitude des Chretiens*, non, ut vulgo putant ob locum quendam *Maldonati* male intellectum, *de arte nihil credendi:* quo tamen in libro, Noster docet, non tradi atheismum proprie dictum, sed Deismum, sive agnitionem Dei sine metu Dei suppliciique æterni; *Viti Ludovici Seckendorfii*, m. A. 1692 d. 18 Dec. *Petri le Givre*, medici, m. A. 1684 d. 5 Junii; *Lilii Gregorii Gyraldi*, m. A. 1552 mense

menſe Februario, qui ſibi ipſe hoc condidit Epitaphium, longe magis conveniens homini ethnico, quam Chriſtiano, quam Protonotario Apoſtolico:

D. M.

Quid, hoſpes, adſtas? Tymbion
Vides GYRALDI LILII,
Fortunæ utriusque paginam
Qui pertulit, ſed peſſimæ
Eſt uſus altera, nihil
Opis ferente Apolline.
Nil ſcire refert amplius
Tua aut ſua: in tuam rem abi.

Lilius Gregorius Gyraldus, Protonotarius Apoſtolicus, mortalitatis memor, annum agens 72. S. P. CUR.

Sequitur vita *Jo. Baptiſtæ Gyraldi*, mortui A. 1573 d. 30 Dec. *Franciſci Bianchini*, m. A. 1729 d. 2 Martii; *Jacobi Sylvii*, m. A. 1555 d. 13 Jan. cujus *Opera medica omnia* A. 1630 ſunt edita; *Joannis Georgii Triſſini*, m. A. 1550, cujus *Opera*, Italice conſcripta, *Scipio Maffæus* Veronæ edidit A. 1729; *Guarini Guarini*, qui, Veronæ A. 1370 natus, magiſtrum habuit clariſſimum tum temporis Grammaticum, *Joannem Ravennatem*, cujus e ſchola plerique prodierunt, qui in Italiam reduxerunt Muſas elegantiores. Tum ad Græcam linguam addiſcendam Conſtantinopolim petivit, ubi per quinque annos doctore uſus eſt *Emanuele Chryſolora.* Redux hinc in patriam primus fuit ex Italis doctor linguæ Græcæ, partim Venetiis, partim Ferrariæ, partim Veronæ, partim Florentiæ. Mortuus eſt A. 1460, qui nonageſimus erat vitæ ipſius annus, relicto doctiſſimo filio, *Baptiſta Guarino*, cujus, ſub exitum Seculi XV exſtincti, etiam hic recenſentur opuſcula. Vita nunc ſequitur *Franciſci Turriani*, m. A. 1584 d. 21 Nov. *Joannis Henrici Maji*, m. A. 1719 d. 3 Sept. *Jacobi Philippi Tomaſini*, m. A. 1654 menſe Decembri; *Joannis Baptiſtæ Molierii*, Comicorum Galliæ clariſſimi, mortui A. 1673 d. 17 Febr. cujus *Comœdiarum* optima ea eſt editio, quæ A. 1734 prodiit in publicum, ſex conſtans quadratæ-formæ Voluminibus; *Joannis Sturmii*, m. A. 1589 d. 3 Martii; *Ludovici Regii*, m. A. 1577 d. 2 Julii, cui magnam eloquentiæ

famam peperit *Vita Guil. Budæi*; *Jo. Vincentii Gravinæ*, m. A. 1718 d. 6 Jan. *Thomæ Ittigii*, m. A. 1710 d. 7 Aprilis; *Petri Crespeti*, m. A. 1594; *Nicolai Comitis*, m. A. 1689 d. 10 Febr. *Joannis Caramuelis Lobkowiz*, qui, Madriti natus A. 1606 parentibus nobilibus, matre Germana gentis *Lobkowiziæ*, ingenio præditus præcoci, primum in Academia Complutensi factus est Theologiæ Professor, hinc A. 1638 creatus Lovanii Doctor Theologiæ, tum Abbas, postea Episcopus titularis. Cum A. 1648 urbs Praga a Suecis obsideretur, is, non indignum ratus monacho, pro patria capere arma, præfici se passus est centuriæ Clericorum armatæ, eamque prospero successu hostibus opposuit. Bohemia in potestatem Cæsaris redacta, tantum ostendit ardorem in convertendis hæreticis, ut insigniretur titulo Episcopi Regiogrætsensis. Postea A. 1655 Papa *Alexander VII* eum creavit Episcopum duarum diœcesium regni Neapolitani, sed e quibus tenues proveniebant reditus. Ad ultimum A. 1673 Rex Hispaniæ eum fecit Episcopum Vigevanensem: qua in urbe vitam finiit A. 1682 d. 8 Sept. tumulo ejus his duntaxat verbis inscriptis: *Magnus Caramuel, Episcopus Vigevani*. E regione vero hujus tumuli pila quædam hæc verba habet: *En ubi lingua silet & calamus magni* JOANNIS CARAMUEL, *qui vel undecimo ætatis anno libros scribens, mox Monachus, Pontificibus carus ac Regibus, triginta hominum millia revocavit ab hæresi, obsessam ingenio & ense liberavit Pragam, linguas omnes edoctus & disciplinas, vitæ annis æquavit Volumina in 77, ita vegetus, ut nunquam otiatus, demum suis in operibus immortalis, nuntio Cometa, tum nato, cum obiit, dum in hac Cathedrali Episcopi æternum clari pro natæ Virginis festo vesperæ solvebantur, cœlo natus terras reliquit anno 1682.* Nostro judice *Caramuel* hic fuit homo amplissimæ, verum haud solidæ, eruditionis, pollens insigniter facultate imaginativa, disertus & meditabundus, sed judicii inops. Sequitur vita *Theodori Gazæ*, mortui A. 1478; *Petri Nicolii*, Jansenistæ polygraphi, m. A. 1695 d. 16 Nov. cujus scripta, partim *ἀνωνύμως*, partim *ψευδωνύμως*, emissa, singulari diligentia recenset Noster, docens etiam *pag. 298*, magnam partem *Artis cogitandi* eum habere

auto-

autorem; *Guil. Canteri*, m. A. 1575 d. 18 Maji; *Joannis Leusdenii*, m. A. 1699 d. 30 Sept. *Caroli Annibalis Fabroti*, m. A. 1659 d. 16 Januarii; *Simonis Goulartii*, m. A. 1628 d. 3 Febr. *Conradi Pellicani*, m. A. 1556 d. 5 Apr. *Melchioris Goldasti*, m. A. 1635 d. 11 Aug. *Marci Hieronymi Vida*, m. A. 1566 d. 2 Sept. anno ætatis nonagesimo sexto.

BIBLIOTECA VOLANTE, &c.
h. e.
BIBLIOTHECA VOLANS JOANNIS CINELLI CALVOLI, continuata a D. DIONYSIO ANDREA SANCASSANI. Editio secunda, in commodiorem formam redacta, variisque accessionibus & observationibus locupletata. Tomus I, dedicatus Marchioni Perillustri LUDOVICO RANGONI.

Venetiis, typis Joannis Baptistæ Albrizzii, 1734, 4.
Alph. 1 plag. 8.

Tomus hic volantis Bibliothecæ *primus* complectitur viros doctos, qui volumina ac scripta concinnarunt, ad alphabeti seriem recensitos. In præsens duo tantum prima elementa, *A* & *B*, in lucem prodierunt. Formula Dedicationis elogio in Marchionem *Rangonem* congesto est commemorabilis, cujus majores ad *Theodorum Rangonem* usque, A. 532 *Belisarii* centurionem secundarium, prorogantur ac revocantur. *Cinellius* Bibliothecam suam volantem in diversa armaria, seu repositoria, non uno in loco typis excusa, distribuerat, singulisque peculiares honorificas præmiserat Dedicationes, quæ hic separatim formis publicis descriptæ adjiciuntur, ac 15 plagulas, quater complicatas, conficiunt. *Sancassanius* addidit quoque *Cinelli*, Medici Florentini, vitam, nati d. 26 Febr. A. 1625 patre *Dominico Joannis Cinelli*, usi contubernio condiscipuli *Evangelistæ Torricellii*. Medicinam Pisis primo fuit professus. A. 1651 revertit in patriam. Museum ejus erat instar oraculi Delphici, ad quod literatorum numerus haud exiguus confluebat. *Magliabechium*,

chium, Palatinæ Magni Ducis Bibliothecæ præfectum, consuetudine sibi devinxerat. Ipse Florentiæ A. 1677, 8, *Bibliothecæ volantis Repositorium primum*, seu potius *della Biblioteca volante Scanzia prima*, haud ultra *pag. 96* excurrens, typis publicis describendum curavit. Eodem anno succedebat *Tomus II. Tertius* prodibat A. 1685; Neapoli *quartus* A. 1682, quem consecraverat *Josepho Valletta* & *Bernardino Ramazzini.* At in Dedicationis Epistola inerant nonnulla, quæ honoratiores habebant aliquos ægre. Ex eo fonte tantum mali
Pag. 109. fuit enatum, ut ipse *Cinellius* custodiæ fuerit datus, in qua doctissimum & distentum volumen *de Incarnatione* conscripsit. Ejus liberatus acerbitate, manum denuo admovit operi, sed variis conflictatus cum inimicitiis. Repositorium XVII & XVIII
136. ante mortem Autoris in lucem haud exiit. Obiit *Cinellius* A. 1706 d. 18 Apr. octogesimum primum ingressus annum. Scripta haud sane pauca elucubravit ipse, quorum multa reliquit
140. manuscripta, e. g. *Origine della Città di Borgo san sepolcro; Errori del Volgo Fiorentino intorno ad alcune Cantafavole erroneamente credute; Errori di chi assiste agl' infermi; I Gemelli; Orazione per Ss. Cosmo e Damiano, nella cui Compagnia queste due Orazioni recitate furono; I Titoli; tre Panegirici per S. Girolamo detti in una Compagnia del Santo, per San Filippo Neri; Orazione nell' Accademia de' Sargenti, per ill Santissimo Sagramento; Orazione recitata in una Compagnie di notte.* Omittimus Orationes & Epistolas alias, in abdito adhuc latentes, dummodo addiderimus ejus Opusculum, ex accessionibus ad Lexicon medicum *Stephani Blancardi* compositum, *Aggiunta al Lexicon medicum* &c. Si indicem librorum ejus percurrerimus, haud dubitandum esse videmus, *Cinellium* Oratorem, Poetam, & Medicum, fuisse insignem, Historicum & literatorem eximium, annumerandum vero literatis infelicioribus, qui calamo mordaci exitium sibimet conciliarunt. Bibliothecæ volantis finis in eo consistit, ut scriptorum, Italorum cumprimis, colligantur tituli cum anno locoque, quo typis publicis excusa prodierunt. Non est autem, quod quis hic judicia de scriptis, & elogia de scriptoribus, venetur. Nomen Autoris in fronte apparet ubique. Postpositum est prænomen unum & alterum. Subditur semicirculus.

circulus. Exponitur deinde ſcripti titulus, ſeu rubrum. Additur annus & locus impreſſionis. Ne tamen nullius frugi hic videamur, pauculas ex aridiori hortulo decerpemus roſas. Mantuæ in deambulationibus publicis Juriſconſultus Medico jungitur, unique præ altero per vices tribuitur locus princeps. *Antonius* Pag. 27.
Breſcianus Alferius A. 1707 Patavii Orationem in cathedrali Baſilica habuit, cui fuit inſcriptio: *Medica facultas Jurisprudentiæ palmam eripit.* *Leonis Allatii* ſcripta debite recenſita & ſi- 29 ſeq.
gillatim indicata fuiſſe, gaudemus ex jure, quantum ad libros fugitivos attinet, ex quibus hæc quippe Bibliotheca volans conſtat. Paſſim ea, quæ ad ſeſe vel amicos ſuos attinent, *Cinellius* intexit, eisque tædium lectoris minuit. Continuatoris augmenta ſignis a *Cinelliano* Opere ſunt diſcreta. Ad hos corymbos ſpectant duo ſcripta hiſtorica *Joannis Andreæ de Aſtezatis*, ante pau- 65.
cos annos edita. De *Stephano Baluzio* Tutelenſi præter morem nonnulla afferuntur ſingularia. *Cinellium* operam de- 90 ſeq.
diſſe enarrandis ſcriptoribus Venetorum, intelligimus ex *pag. 93.* In ſcriptis medicis Autor Danos quoque & Germanos ſubinde attingit, e. g. *Thomam Bartholinum pag. 110,* ejusque filium, *Caſparum, pag. 111.* De transplantatione morborum hæc fuit *Ci-* 112.
nellii ſententia: *Credat Judæus apella, non ego.* Ipſe laudat Aca- 120 ſeq.
demiam Naturæ curioſorum, eamque nonnullis lucubrationibus ſuis illuſtravit. *Antonium Magliabechium* vocat *literarum pro-* 184.
digium. *Antoniæ Burignoniæ* unicum ſcriptum, *Marci Zuerii Boxhornii* tria, *Erhardi Weigelii* Diſſertationes aliquot, *Roberti Boile* pleraque commemorat ſcripta. Multa, alibi vix obvia, hic in memoriam revocantur ſcripta minora; plura tamen, eaque ſatis cognita, omittuntur. Libris ejusmodi ea utilitas eſt propria, ut libri majores, quibus ſcripta Autorum continentur, inde poſſint nonnunquam augeri ſubſidiisque inſtrui. Noſtrum eſt, Continuatori publicas habere gratias, eumque exhortari, ut ſpatium, quod ingreſſus eſt, porro alacriter decurrat.

NOVA LITERARIA.

Francofurti ad Viadrum proxime prodibunt *Annales literarii Magnæ Ruſſiæ, Poloniæ, Lithuaniæ, Pruſſiæ, Livoniæ, & Curoniæ,* octava forma excuſi, in poſterum etiam, ſi bonos conatus fortuna ſecun-

fecundet, per partes continuandi. Recensentur in his, addito modesto judicio, omnia scripta literaria, maxima, minima, quæ per universos longe lateque patentium imperiorum fines, in quovis scientiarum genere, inde ab initio anni 1739 sunt vulgata; omnes Libri, Diaria eruditorum, Dissertationes, Orationes, Conciones sacræ, Programmata, quin & Carmina præstantiora, quæ vel in Imperiali Societate Scientiarum Petroburgensi, vel in Academiis perantiquis, Cracoviensi, Vilnensi, Regiomontana, Dœrpatensi, vel in Gymnasiis florentissimis, Dantiscano, Elbingensi, Rigensi, aliisve urbibus, Latina vel vernacula gentibus lingua, verbo, quæcunque in Typographiis horum Imperiorum sunt excusa. Adduntur præterea vitæ Virorum eruditione clarissimorum, quos fatis, quovis anno, intra vastorum Imperiorum terminos, fungi contigerit, subjuncto indice scriptorum, a singulis editorum; historiæ controversiarum, inter doctos forte oriturarum, nova in re literaria inventa, & observationes, & quicquid præterea notatu dignum, & ad eruditos pertinens, in provinciis ante nominatis acciderit. Singulari vero cura Latinæ puritati studetur, nec quidquam, quantum fieri poterit, eidem contrarium admittitur facile, præter locutiones cuivis scientiæ proprias, (*terminos* vulgo vocant,) quæ typorum etiam diversitate distinguuntur. Inprimis cavetur, ut omnia fine partium aut religionis studio recenseantur. Quin contra multa cura allaboratur, ut annotationibus Geographicis, Genealogicis, Historicis, & Criticis, interjectis lectoris commodo & curiositati consulatur. Singulis *Tomis*, in posterum prodituris, subjicientur, in majorem Lectorum utilitatem & delectationem, *Nova literaria, Suecica, & Danica*, quæ in reliquis Diariis eruditorum vel parcius enarrata, vel penitus omissa, desiderantur. Prodibit autem quovis trimestri *Annalium* horum *Tomus unus*, *16* vel *18 plagulis* constiturus, sub finem mensium *Januarii, Aprilis, Julii*, & *Octobris*. Ceterum, quo minus cognitæ eruditis gentibus Europæis reliquis sunt res literariæ memoratorum ante imperiorum & regnorum, eo acceptiorem operam fore suam sperat Editor, publici boni & temporis subsecivi bene collocandi studiosissimus. Sed & sperat idem, neminem fore, qui sumtus ab eodem haud exiguos, in opus erogandos, in eventu dubio prænumerandos arbitretur. Itaque ea, qua par est, humanitate rogat omnes literariæ Historiæ amatores, qui editionem horum *Annalium* promovere cupiunt, ut nomina sua apud Bibliopolas, Francofurtensem, *Joannem Godofredum Conradi*, Lipsiensem, *Jacobum Schusterum*, & Regiomontanum, *Joannem Godofredum Eccard*, profiteantur, quo ex numero subscriptorum constet, Editorem oleum & operam non perdere. Pretium annuum erit uncialis seu thalerus unus, cujus pars quarta, seu grossi seni nostrates, quovis trimestri, ubi *Tomus primus* & subsequentes in publico comparebunt, numerabitur.

(o)

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCCXXXIX.

GENEALOGIÆ DIPLOMATICÆ AUGUSTÆ gentis Habsburgicæ Volumen II, Codicem probationum exhibens; quo continentur Diplomata, Chartæ, aliaque antiquitatis monumenta. Pars I, ab A. C. DCCXLIV ad annum usque MCCLXIX, numero D; Pars II, ab A. MCCLXIX ad A. MCCCCLXXI, a numero DI usque DCCCCLIV. Accedunt Indices locupletissimi, qui rebus tum Habsburgicis, tum plurium illustrium Germaniæ familiarum genealogiis, deservient; accurante R. P. MARQUARDO HERGOTT, Ord. S. Bened. Congregationis S. Blasii in nigra Sylva, Capitulari & magno Cellerario, S. Cæs. Regiæque Catholicæ Maj. Consiliario & Historiographo, Ordinumque anterioris Austriæ per Brisgoviam ad Aulam Cæs. Deputato.

Viennæ Austriæ, ex typographia Leop. Jo. Kaliwoda, 1737, fol. maj. Alph. 10 plag. 4.

En *alterum tertium*que *Volumen* æterni Operis, cujus *prior Tomus* primam superioris anni paginam in *Actis* nostris illustraverat. Ita vero evenit nunc, quod, licet votis civitas literata sæpius expetiisset, sperari vix ac ne vix quidem poterat, ut idem Reverendissimus Autor, qui, Historiam Augustæ gentis Austriacæ adornaturus, industriam plane singularem, lectionem

indefessam, vigilatasque noctes quamplurimas, ostenderat, mox sit amplis veterum Chartarum Voluminibus Operi suo coronidem, nomini adderet perennitatem. Nos non tam Cel. Viro telam feliciter absolutam, quam orbi historiarum curioso cimelium, vix ulli comparandum, gratulamur. Etenim novum invenit vetustatis thesaurum, Cæsaris Augustissimi beneficio, atque solertia *Hergotti*, e pulvere ac tenebris protractum, de quo eo magis lætari par est, quod huc usque in scriniis Bibliothecarum, & Monasteriorum arcis, depositus, blattis tineisque gratas ministrare epulas sit visus. Uberrimam Diplomatum messem Rev. Autori Ecclesiæ suppeditarunt, in quibus Sangallensis, Einsiedelensis, Basileensis, atque Fabariensis, nomina præ reliquis inclaruere. Sed potissimum Bibliotheca Vindobonensis profuit, atque inter alios Codices librum *Udalrici Babenbergensis*, quo variæ Pontificum, Imperatorum, & Cardinalium, literæ ab anno inde 1125 continentur, a *P. Lambecio* in *Bibl. Vindobon. pag. 48 seq.* multis verbis collaudatum, subministravit. Tanta felicitate præclare usus est *Hergottus*, ita scilicet, ut & nova ederet quamplurima, & chartas, mancas huc usque, ex avtographis suppleret. Notas insuper Diplomatibus adjecit singulis, quæ veram produnt ex iis proficiendi rationem, atque præter res præclarissimas insignem antiquatarum vocum copiam illustrant. Bigam Diploma L exhibet, ad usum fori Germanici pertinentem, at plerisque

Pag. 28 tamen, ni toti fallimur, inauditam. Quis jus illud singulare, *Bette-*

not. 2. *bur* vocari solitum, vel fando percepit unquam? quod facultatem a rusticis tributa exigendi denotare, primus Autor docuit. Conf.

not. 3. *Klockii Consil. LXXVII n. 19.* Cui *Cepponis* occurrit mentio, quod nomen & instrumento ad constringendos reorum pedes adhibito, & loco reis publice proponendis dicato, competere, probatum evictumque *Hergottus* dedit. In notis ad Diploma LXVII,

Pag. 41. quo *Ludovicus Germanicus* A. 867 d. 16 Cal. Sept. hominibus *de Argengeuwe* plenam legem *Phaath*, qua usi fuerant majores, pro mansis IX cum mancipiis eorum concedit, contra *Tschudium* erudite notavit, *τὸ Phaath* non violentiam, sed

Pag. potestatem a censu sese redimendi, apud Alemannos significasse.

118 n. 5. In Dipl. CLXXVIII vox *incisura* occurrit, quam pro exactione

funi,

sumi, ex Charta *Manassis*, Guinensium Comitis, apud *Cangium* apparet. Sed obscurus præ reliquis locus est in Diplomate *Henrici V* monasterio Engelbergensi, A. 1125 d. 28 Dec. dato: *Liceat Abbati cum consilio fratrum ad utilitatem monasterii emere, vendere, mutuari, & loca monasterii longe disjuncta sine contradictione advocati defendenda alteri committere. Advocatus denique, patre monasterii petente, a Rege accipiat* bannum legitimum, *& bis in anno, si opus fuerit, quandocunque patri monasterii placuerit, invitatus ab illo veniat, & ibi placitum justum pro causis & necessitatibus matrimonii rite peragat. Nullum autem aliud servitium, jus, aut beneficium, sibi per hoc concedi recognoscat, nisi æternam mercedem, &* tertium bannum, *& consuetudinariam justitiam, in illis duorum placitorum diebus: in utroque duo modii* speltæ, *& unum* frischingum, *valentem siclum, & unum* siclum de vino, *& in his duobus nihil aliud speret nec pro justitia nec pro caritate.* Adsunt hic variæ voces, quæ uberiori explicatione indigebant, quarum nullam Rev. Autor intactam prætermisit. Sic per *bannum legitimum* potestatem, advocatis ecclesiarum concedi solitam, Regis nomine jus dicendi, pœnasve irrogandi: per *tertium bannum*, tertiam mulctæ, ab advocato dictatæ, partem: per *speltam* tritici genus; per *frischingum* animal, quod nondum ad justam magnitudinem excrevit: per *siclum de vino* cadum ejusdem potionis, intelligi, ex glossis *Rhabani* MStis & aliunde satis demonstravit. Nolumus jam in amplissimam rerum gestarum messem excurrere, quam præsens Diplomatum Volumen suppeditat, cum, illud conari, idem foret, ac integrum Opus velle describere. Ita lectu dignissimum est Diploma 159, propterea, quod insignem circa jus forestale Imperatorum curam declarat. Attentionem meretur Instrumentum de A. 1268, quo *Rudolphus*, Habsburgi, & *Meinhardus*, Tyrolis, Comites mutuos sibi amicitiæ perpetuæ sponsores constituunt. Memorabile est literarum commercium, inter *Gregorium X*, Pont. Rom. & *Rudolphum*, Regem Romanorum, in quo de mediis controversiam, circa Ducatum Sueviæ cum *Alphonso*, Castellæ & Legionis Rege, obortam, sopiendi disceptatur. Jungi merentur *Urbani VIII* literæ apud *Leibnitium* in *Prodr.*

Num. CCI pag. 144.

145 not. 4 seq.

Num. D.

DXLV.

Cod. J. G. n. 14. Publici Juris cultoribus commendanda Chartæ 557 lectio, quippe accuratam juris de non evocando notionem datura. Neque tamen, ut est in rebus humanis perfectum nihil, omnes nævos evadere Rev. *Hergottus* potuit, quorum nos in præsenti aliquos, non tam intempestivo emendandi pruritu ducti, quam eo potius fine, indicabimus, ut nostrum Autori in Opere versando studium comprobemus. Omnis tractatio ad binas classes commode referri poterit, cum partim in ipsis *Imperatorum titulis*, partim in *subscriptionibus* Chartarum, notanda quædam deprehendamus. Turpis est scribarum oscitantia, quæ nominibus Principum non pepercit, atque numeros, ipsorum nominibus adjectos, frivole corrupit. Ita in Dipl. 193 diversa Codicum est lectio, dum *Henrico* in aliis nota *quarti, quinti* in aliis, adscribitur. In Dipl. 212 *Lotharius alter, quintus* vocatur, cui vitio nullam, nisi ex Seculi tenebris, excusationem peti posse, statuit Rev. Ecclesiæ Gotvicensis Abbas. Inprimis vero circa nomen *Conradi*, qui *Lothario* successit, chartæ variant. Nunc enim plane numerum omittunt, ut in Dipl. 220, nunc *alterum*, nunc *tertium*, appellant, ceu ex Dipl. 212 & seq. apparet: unde & hoc simul discimus, falli omnes ad unum, excitatos a *Struvio*, scriptores, dum A. 1136 vel insequenti vita functum narrant *Lotharium*. Aliud sane prodit usitata a *Conrado* computandi ratio, quippe qui in Diplomate excitato, quod A. 1039 scriptum est, annum regni primum numerat. Ad alteram pergimus errorum classem, *subscriptionum* vitia paucis indicaturi. Atque hic tam amplam voci *subscriptionis* notionem subjungimus, ut & *temporis notam*, & *nomina Cancellariorum*, complectatur. Ita nonnunquam factum est, ut in annis *imperii* atque *ordinationis Principum*, a quorum liberalitate Diplomata fuere profecta, itemque in *Indictionibus*, vitium admitteretur calculi. In Diplomate *Ottonis III* (*n. 153*) pro anno imperii *altero tertius* scribi debebat, qua in re multoties erratum, *Mabillonius Annal. Bened. T. IV n. 66* observavit. In Diplomatibus 159 & 160 *primi* indictionis anni loco *tertius* collocandus, utpote qui in A. C. 1004 incidit. In Diplomate 165 *Henrici II* Imperatoris annus regni 18 loco 17 reponendus; quemadmodum & in Dipl. 168 epocha regni a *Conrado II*

Num. CCXVIII pag. 164.

do II adminiſtrati emendanda, atque pro anno *tertio quartus* collocandus, cum is cum A. C. 1027 conveniat. Singularis computandi ratio, *Carolingis Ottonibus*que incognita, circa Seculi XI medium cœpit frequentari, ubi *Henricus III* annos *ordinationis* perſequitur, regni autem epocham ab eo, quo ſolus regnavit, tempore orditur. Sed circa hanc quoque annorum rationem in Chartis apud Rev. Autorem aliquoties peccatum eſt. Ita in Diplomate de A. 1045 (*n. 176 & ſeq.*) 16 pro 17, de A. 1050 (*n. 181*) 21 pro 22, & mox (*n. 187*) 23 pro 22, reperiuntur poſiti, id quod oculatiſſimum Eccleſiæ Gotvicenſis Præſulem præteriiſſe, non ſatis demirari poſſumus. Eadem facit obſervatio, ut Chartam *Henrici III* de A. 1050 (*n. 182*) ex avtographorum numero proſcribentes, ad vitioſa originalis a *Tſchudio* tractati apographa amandemus. Epochas regni, imperii, atque ordinationis, penitus neglexit ſcriba, ſimulque graviſſimum Indictionis errorem, a Rev. *Hergotto* jam enodatum, admiſit. Præterea ſub finem ſcribere non erubuit, Diploma *in præſentia Henrici Co-Imperatoris* datum, cum tamen, *Henricum IV* anno demum 1054 ordinatum, ex fide dignis rerum geſtarum monumentis conſtet: atque nullum ſupereſt dubium, verba hæc, *Tſchudio* omiſſa, manui impoſtoris hiſtoriarum ignari eſſe tribuenda. Plura nævi in Indictionibus commiſſi ſpecimina in Diplomatibus 191, 192, 195, & 197, occurrunt. Circa *Cancellarios* unicum deprehendimus errorem. Scilicet in Diplomate *Henrici III* de A. 1050, quo Eccleſiæ Beronenſi prædium in Melſicon permiſit, *Waltherii* Cancellarii fit mentio, atque is vice *Bardonis*, Archipræſulis Moguntini, recognoviſſe dicitur. Quodſi Cancellariorum Germaniæ ſub *Henrico III* ſyllogen, a *Gotfrido Gotvicenſi* adornatam, evolvas, altum de *Waltherio* ſilentium. Quare *Wintherii* nomen in laudato Diplomate arbitramur ſubſtituendum, quippe quod in plurimis Chartis apud *Leuckfeldum* atque *Heineccium* occurrit. Contra vero eximium hunc uſum præſtat diplomatica Rev. *Hergotti* collectio, ut circa rem propoſitam & *Gotvicenſi Chronico*, & *Mallinkrotianæ de Archicancellariis* tractationi, addere non pauca queamus. Ex Diplomate *Henrici IV* de A. 1070 (*n. 184*) appa-

Num. CLXXXI.

apparet, *Gotvicensem Lib. II Cap. 9 §. 15* humani quid passum, dum, in anni demum sequentis Diplomatibus *Adelberonis* recognitionem occurrere, arbitratur. *Philippum* Cancellarium, imperante *Henrico V*, vice *Adelberti*, Archiepiscopi Moguntini, recognoscentem, ignorat *Mallincrotius*. Hunc *Gotvicensis* supplevit, sed ita, ut post A. C. 1111 nullum amplius Diploma ab eo subscriptum memoret, cum apud Rev. Autorem unum de A. 1123 (*n. 197*), bina de A. 1125 (*n. 198* & *201*), reperiantur.

THOMÆ BOSTON, ECCLESIÆ ATRICENsis apud Scotos Pastoris, Tractatus Stigmatologicus Hebræo-Biblicus, quo accentuum Hebræorum doctrina traditur, variusque eorum in explananda S. Scriptura usus exponitur. Cum Præfatione Viri Reverendi & Clarissimi, DAVIDIS MILLII.

Amstelodami, apud J. Wetstenium & G. Smith, 1738, 4. Alph. 1 plag. 6½.

Qui de doctrina accentuum Ebræis familiarium commentantur, respiciunt potissimum ad duo momenta. Primo quidem de autoritate accentuum exponenda sunt solliciti; deinceps vero vim ac potestatem eorum tum theoretice, tum practice, docent atque ostendunt. Juvat perspexisse, quid Cel. Editor, quid ipse *Bostonus*, de hoc senserint argumento. Prior, in Præfatione præmissa, de eis, qui accentus Biblicos vehementer contemnunt & oppugnant, ita judicat, ut eos putet abuti fere præcipiti judicio, præpostero versionis alicujus Biblicæ amore, vel partium studio abripi, aut peccare inscitia accentuum & linguæ sanctæ. Addit hæc deinde: *Accentuum accuratior notitia comparari non potest sine molestia & labore; quemadmodum nec aditus patet ad penetralia linguæ sanctæ, nisi sudantibus & algentibus: quem cum reformident, aut tempore, illa ad studia opportuno, suscipere detrectaverint, declamant in accentus, & scientiam illam vituperant, quæsitis fere & tenuibus argumentis, ne sine ratione fecisse censeantur.* Qui accentuationem oderunt, vel minoris faciunt, id inprimis urgent, *nullam lin-*

linguam, quamdiu nationi sit vernacula, habere accentus. Respondet Cel. Prologus, Græcam linguam tum, cum maxime viguerit, accentus habuisse, quo nomine provocat ad *Jo. Rudolphi Wetstenii* contra *Henninium* Dissertationem epistolicam *de Accentibus Græcorum.* Idem de lingua Augustei ævi Latina fatetur ipse, argumenti vice usus vetustissimis *Cenotaphiorum Pisanorum* tabulis, ac suffragio Cardinalis *Norisii*, in calce præclari Operis contra *Vossium* de *arte Grammatica* aliosque commentati. Doctissimos Viros, qui pro summa accentuum autoritate militant, *Buxtorfios*, *Ouselios*, *Boblios*, *Læscheros*, *Dachselios*, aliosque, maximi facit, eorumque argumenta validiora judicat quibuscunque secus sentientium opinionibus. Inprimis laudat Magnif. *Val. Ern. Læscheri* librum *de causis linguæ Hebrææ*, utpote in quo objectiones adversariorum sint confutatæ. Addit & hoc, accuratam accentuum considerationem plurimis locis obscuris lucem afferre satis luculentam. Lingua omnino Ebræa stilo constat conciso, sensuque abrupto, ac eapropter parenthesi crebra, crebriori autem ellipsi, gaudet. Accentibus parentheses & ellipses indicantur, insigni quodam sane beneficio. Judæi fatentur, accentus esse perantiquos, ipsique adventum Redemtoris ardentius optant eo etiam fine, ut, eo duce, veram accentuum notitiam consequantur, uti e *R. Calonymi* libro שער טעמי המקרא apparet in fine. Subdit Autor Præfationis: *nec propterea tamen divinam prorsus originem & autoritatem accentibus asserere audeo. Id qui affirmaverit, in plurimas & inexplicabiles difficultates, meo quidem judicio, se conjecerit. Nec characteres divinæ originis & θεοπνευστίας luculentos adhuc videre in accentibus potui, quorum munus est dividere & conjungere, emphasin, affectum, ellipsin, indicare, & similia, quæ facultas perspicaci & exercitatissimo, quales vetustissimi Hebræi sine dubio fuere, inesse posse videtur, quam opus sit, ut ad summum illud θεοπνευστίας miraculum illico recurras.* Reverendus *Boston*, in Scotia quondam Pastor Atricensis, libellum hunc adornavit, quo doctrinam de accentibus Hebræorum perspicue & accurate persecutus est. Idem peculiari scripto per 23 *Geneseos* Capita idem docere conatus fuit, qui

qui in MSto Anglicano ponitur, cui titulus: ***An Essay on the first twenty three Chaptres of the Book of Genesis in a twofold Version of the Original Text.*** Tractatio, quæ præ manibus est, in ***Partes duas*** est distributa. ***Parte prima*** differitur de punctis Ebraicis in genere, de accentuum figuris & appellationibus, de triplici accentuum usu, de Stigmatologiæ necessitate ac existentia. ***Sectione prima*** exponit Autor de Accentuum usu, in obtinendis ideis, quibus constat sensus grammaticus. ***Sectione secunda*** commentatur de Accentuum usu in obtinenda notione conjunctionis & disjunctionis idearum. Exequitur porro
Pag. 49. tractationem suam, ac disputat de accentuationis origine ac autoritate divina, de generali accentuum divisione in distinctivos & conjunctivos, de diversis accentuationis generibus, de accentuum habitudine mutua, de accentuum consecutione generatim, de potestate distinctivorum in genere. Additur deinde ***Sectio prima*** de potestate distinctivorum, an sit semper eadem, an vero varia. ***Sectio altera*** exponit de potestate distinctivorum ejusdem classis, an par sit, an vero impar. Subjungitur Caput de officio conjunctivorum, ac inquiritur, an perpetuum
85. sit, an invariatum, nec ne. ***Parte secunda*** differit de ***Silluko***, Domino absoluto, de officio ***Silluki***, de sede ***Silluki***, de potestate ***Silluki***, ac de observatis ad ***Sillukum***. Deinde exponit Do-
185. minos primarios, majores, inferiores, ministros. Tum agit de accentibus extraordinariis, & ***Schalscheleth*** metrico. Tandem
193. ***Capite*** ultimo differit de Parentheseon, Interjectionum, & Interrogationum Ebræo-Biblicarum, notis, de Parenthesi Ebræo-
153. Biblica. Addita sunt etiam schemata & tabulæ, quibus Autor consecutionis accentuum catenam illustravit, atque peculiaris ***Sectio***, qua illam enodavit. Pro interpunctionum & continuationum moris notandis singularia excogitavit adhibuitque signa,
1. quibus recensendis hic possumus supersedere. Puncta Ebraica divisit in ***verbalia***, quorsum refert ***Dagesch***, ***Mappik***, & ***Makkaph***: in ***monitoria***, quorum unum vel plura simul reperiuntur impressa superne vocibus quindecim in Codice Ebræo: ac ***accentualia***, seu accentus. Accentum unum, nempe ***Metheg***, pro mere euphonico habet; reliquos vero pro syntacticis, quos dili-

diligentiſſime percenſet. Notitia accentuationis, ejusque uſu, Judæi carent. Chriſtiani ſuperiore demum Seculo eam reſumſere, vel potius duntaxat tentavere. Autorem amicus, literatu- Pag. 5.
ra Ebraica inſignis, docuit, amiſſam a Judæis eſſe illam notitiam ſub aut paulo poſt adventum Servatoris noſtri, ſecundum Judæorum computationem, exſtinctam prorſus ſub tempus Maſoretharum Tiberienſium. Uſum Grammatici ſtatuunt accentuum triplicem, muſicum, tonicum, ſtigmalogicum, ſeu poſitum in diſtinctione ſententiarum per certa membra clauſulasque certas. Uſum muſicum ſtatuit in canticis, pſalmis, & carminibus, *Joannes Buxtorfius*, pater; filius vero agnovit modo rhetoricum, quocum fecit *Wasmuthus*. *Auguſtus Pfeifferus*, licet 6.
accentus pro notis muſicis non habuerit, putavit tamen, accentuationi metricæ ineſſe *μουσικόν τι*. At cur canticis, quæ in *Eſaia*, *Habacuco*, libris *Samuelis*, ac *Moſis*, occurrunt, nulla adjecta fuit metrica accentuatio? Cur, obſecramus, tituli pſalmorum *Davidicorum* eadem ratione, ac pſalmi ipſi, accentibus fuerunt metricis ornati? Numquid & tituli ipſi fuerunt decantati? Qua- 7.
re fatendum, non dari uſum accentuum directe & formaliter muſicum. Id vero *Pfeiffero* Noſter largitur, ineſſe aliquid muſici canticis, in ſacro V. T. Codice ubique exſtantibus. Certe pro vario effectu, variaque vocum vel conjunctione, vel disjunctione, cantus fuit moderandus. In medio verſus vox erat ſufflaminanda; ſi verſus eſſet longior, denuo pauſa erat poſt verba nonnulla, ſenſu haud invito, adhibenda. In fine verſus vox erat ſenſim demittenda, & pauſæ ſubmittenda. Hoc eſt fundamentum accentuationis metricæ. Modulabantur Judæi in Oriente pro more reliquarum ibi gentium quoque proſam, ſed minus adſtricte, minori contentione, non eisdem ſervatis morarum vicibus. Modulatio ad ſenſum erat accommodanda, ideoque inſiſtebat certis legibus de vocibus vel conjungendis, vel disjungendis. Eis, qui ſenſum accurate callebant, accentibus haud erat opus. Sed in gratiam tironum hi fuerunt additi; quam ob cauſam præcentor Judaicus ex veteri ritu in ſynagoga, tanquam magiſter ſenſus haud expers, nec accentus, nec puncta vocalia, in Codice, quo utitur, tenet. Unde porro pateſcit, ac-

centus esse testimonia virorum doctorum atque piorum de sensu sacri Codicis rite assequendo, qualem ipsi Autores habuerunt pro optimo & genuino. Nec minus illud verum est, varietatem satis gravem ex defectibus describentium, in dies crescentibus, in accentus irrepsisse, cui vix mederi licet. Quis vero inficiabitur, sensum sacri Codicis posse ab eis quoque satis feliciter erui, qui doctrina accentuum carent? Expedit tamen, eam nosse, ut explorare liceat, an sensum veteris orthodoxæ Ecclesiæ Judaicæ in exponendis dictis sacris teneamus. Id vero dolendum, nos nescire, an consensu universorum, quorum intererat, accentus fuerint textui adjuncti. Jubet nos propemodum de eo dubitare vetustus ille ritus præcentoris, quo is ab exemplo accentibus instructo sese abstinet. Unica tamen accentuandi ratio duntaxat exstitit, certe tantum recepta est. Quis enim per tot Secula produxit Codices, accentuum signis diversis notatos? Sed hæc obiter. Redeundum nobis ad Autorem. Ipse dilucide ostendit, accentus haud universos esse tonicos, nec usum, accentibus præfixum, primarium esse toni-
Pag. 9 seq. cum. Restat itaque, usum primarium eorum esse stigmatologicum, ex quo deinde usus secundarius, nempe tonicus & modulatorius, derivari debet. Stigmatologicus summa sese commendat utilitate, eo quod amphibologiis & incertis sensibus,
16 seq. alioquin nascituris, medetur. Exemplis id illustrat Autor. *Jobi X, 8*, illud ita vertit: *manus tuæ gravi dolore affecerunt me; atqui fecerunt me.* Fuerunt illæ *una circumcirca; atqui*
18. *absorbuisti me.* Ita certe suadet accentuatio. Dictum illud *Es. XVI, 1*, ab interpretibus varie elatum, secundum accentus ita est vertendum: *Mittite agnum dominationis terræ ex Petra* (urbe), *desertum versus* sita: *ad montem filiæ Sionis.* Per eam urbem *Bochartus* intelligit caput Moabitidis, Crach-Moab, seu Rabbath-Moab, Areopolin. Dictum *Eccles. VIII, 5*, pro contextu & accentibus sic est proferendum: *Custodit* (Rex) *præceptum: non noscet rem malam?* i. e. nonne mala puniet? Hoc autem posito interpretationis fundamento, perspectu est facillimum, septuaginta Interpretes nimia ubertate esse usos, caruisse etiam exemplo punctato ac accentuato, certe illud haud adhibuisse.

buisse. Dictum obscurum *Ez. VI, 9*, sic vertendum: *Et recordabuntur elapsi vestri me, inter gentes nempe, quorsum captivi ducti fuerunt*, me, inquam, *qui fractus fuerim.* Dictum *Ez. XVI, 7*, sic vertendum: *Quantum ad incrementum attinet, instar germinis in campo copiose procrescentis reddidi te.* Indicatur modus augescendi, a sola providentia Dei pendens, citra opem & culturam hominum, quæ ad germina horti producenda aliquid confert. Dictum *Ps. LXVIII, 5*, sic cape: *Cantate Deo. Psallite nomen ejus, aggerate ei viam, qui equitat in solitudinibus, In Iah* consistit *nomen ejus. Ac exultate coram eo.* Conf. *Es. XL, 3*. Ostenditur utrobique, Filium Dei honoribus esse in terris excipiendum. Psaltes disserit de Christo exaltato, tanquam victore triumphante, per totum terrarum orbem sterilem ac infrugiferum albo Evangelii equo vecto. Conf. *Apoc. VI, 2, Ps. XLV, 5*. Illam Christi in Jehovah ejusque gremio quietem Servator ipse sic edisserit *Jo. XIV, 11: Ego in Patre sum, & Pater in me est.* Laudandi argumentum ponderis infiniti! Locum varie obscuratum *Es. XLIX, 3*, nitori suo restituit, ita vertens: *Tu* (Messia) *es servus meus. Tu es Israel* (repræsentativus): *is, in quo me condecorabo.* Conf. *2 Cor. IV, 6.* Accentus porro designant actionem dicentis, gestum, affectum, admirationem, vocem interruptam, resumtionem & quasi allisionem spiritus. Variis id exemplis illustrat Autor. Eadem verba: *Sit nomen Jehovæ benedictum, Ps. CXIII, 2, Job. I, 21*, diverse accentuatur pro diverso dicentis affectu. Psaltæ exultantis verba quasi torrens feruntur rapide; *Jobi*, cujus animus in rebus mœstis erat sedatus, tardius, licet leniter, fluunt. Verba, *Gen. III, 22*, Autor ad normam accentuum ita vertit: *Ecce hominem! qui fuit, sicut unus ex nobis* (sanus & sanctus, *Gen. I, 27,*) *ad cognoscendum bonum & malum* satis aptus. At hac cognitione & felicitate haud contentus proh dolor! decidit. Subest ellipsis vocis אֲשֶׁר *qui*, ut *Thren. III, 1, Ps. LII, 9.* Pausa enim inest voci הָאָדָם. Utinam genuina & ad hasce leges accentuum composita superesset modulatio in eis, qui Codicem legunt Ebræum! Accentus iidem ostendunt, quænam voces actu construantur, quænam sint distrahendæ,

Pag. 22. 25. 26. 27. 29 seq.

Pag. 33. dæ, minusque conjungendæ. Notum est dictum *Habacuci* pal-
marium ex *II*, 4, וְצַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה. Sensus est: *Justus*
34. *coram Deo ex justitia imputata, per fidem recepta, certo est victu-*
rus vitam, scilicet *sanctitatis ac sanitatis*, *quæ ex ipso momen-*
to, quo infunditur, qua talis in animo fidelis, nunquam peritura
est, verum æternum duratura. Conf. *Jo. VI*, 29, 1 *Jo. III*, 23,
35 seq. *Actor. XVI*, 31, *Jo. XVII*, 3. Egregie idem exponit locum
Ez. XVI, 6. Locum vero 1 *Sam. IV*, 8, ita vertendum judicat:
Hi illi sunt *Dii illi*, *qui percusserunt Ægyptum*, *omni plaga*;
40. *in deserto* scilicet Israelitis adfuerunt. Eadem ratione vertit
dictum 2 *Sam. XVII*, 29, ita: *Cum dicerent: populus ille est, fa-*
melicus & lassus & sitibundus, *in hoc deserto*, ubi ipsis nulla
vasorum cibariorumque copia, quam ideo Shobi aliique ad Da-
videm attulerunt, *v.* 27, 28. Sic partes periodorum minus
principales per vim accentuationis distinguuntur. Sed & pri-
42. mariæ sic distinguuntur. En exemplum! Autor locum vexa-
tum, *Gen. XX*, 16, ita transfert: *Saræ vero dixit* Rex *Abimelech*:
ecce dedi mille siclos argenteos fratri tuo, (*ecce is tibi est operi-*
mentum oculorum apud omnes, *qui tecum* futuri sunt,) *atque*
44. *hæc omnia*, & *ipsam dilucide monstratam*. Subest parenthesis
hoc modo: *Ecce illum maritum tuum* (quem dixisti fratrem
tuum) *operimentum oculorum*, *oculorum* scilicet *omnium*, *quibus*
tecum esse unquam contingere possit. Cetera ita cohærent:
Ecce dedi fratri tuo mille argenteos, & *præterea illac omnia*
(greges, armenta, servos, ancillas, ipsamque *Saram*, ei jam red-
ditam, indicat,) *ac præsertim fœminam*, *solo nomine sororis*
Abrahami prius cognitam, *atque eo nominis involucro occulta-*
tam, *nunc vero dilucidatam & patefactam*, *utpote dilucide &*
divinitus quidem monstratam, *esse ipsius uxorem*. Nam נֹכַח
ex יכח est *dilucide monstrare id, quod occultum, perplexum, &*
46. *controversum est*. Locum perdifficilem, *Gen. XV*, 13, obvium,
enodat ex accentuatione, quæ parenthesin subesse significat,
hunc in modum: *Certo scito*, *peregrinos fore posteros tuos in*
terra aliena (*atque servire facient eos & affligent eos*,) *quadrin-*
gentis annis. Afflictio illa, a nonnullis metuenda, non est ad-
stringenda ad annos quadringentos. Eadem ratione locus dif-
ficilis

ficilis *Exod. XII, 40*, promtissime extricatur: *Et quod attinet ad*
sedem Israelitarum, (qui commorati fuerunt in Ægypto,) ea
fuit 430 annorum. Indicatur universus peregrinationum com-
plexus. Præterea ex accentuum observatione apti reddimur ad Pag. 47.
periodos debite distinguendas. Quare dictum *Ez. XVI, 20, 21*,
ita reddendum: *Præterea accepisti filios tuos & filias tuas, quos*
procreaveras mihi: atque immolasti eos illis ad comedendum:
minima hæc est *ex scortationibus tuis. Nam mactasti etiam*
filios meos (primogenitos puto): *& dedisti eos, dum transdu-*
xisti illos, illis. הַמְעַט similiter occurrit *Devt. VII, 7.* Primo-
geniti Deo erant proprii, atque solenniter coram Deo erant
transducendi, *Exod. XIII, 12.* Addit Autor aliud specimen ex
Esth. V, 7, 8, docetque ex accentibus, *Estheram* ipsa Regis verba 48.
mirabundam repetere, nihil vero petere, petitionem potius suam
in crastinum differre, hunc in modum: *Postulatum meum! pe-*
titio mea! An inveni gratiam in oculis Regis? Ac porro aliud
ex *Devt. XX, 19*, ita vertens: *Cum obsederis - - non perdes*
arborem ejus (civitatis) - - *atque eam non succides. Sed,*
o homo, succides *arborem campi* (i. e. arbores foris enatas, infru-
ctiferas). Ita dictum *Eccles. VIII, 2*, ob accentus jubet verti:
Quantum ad me attinet meumque consilium, *præceptum Regis*
observa; &, quantum ad supremum, observa locutionem jura-
menti Dei. Vox עַל est epitheton Dei Optimi Maximi, *Hos.*
XI, 7, 2 Sam. XXIII, 1. Quare illud כְּעַל *Es. LXIII, 7*, vertit 50.
secundum Supremum. Tandem vero subdit, accentuationem
Codicis Ebræi esse ejusdem cum verbis ipsis divinæ originis
& autoritatis. Sententia hæc omnino omnium est tutissima.
Dolendum vero, testimoniis confici haud posse, accentus ab
initio textui fuisse adjunctos. Autor ita ratiocinatur: *Si accen-* 51.
tuatio sit inventum humanum, sensus, quem illius ope fundit
textus, est modo humanus; ad summum non est nisi sententia
humana de verbo divino, quæ fidei divinæ fundamentum esse
nequit. Causæ hujus cardinem in figuris accentuum invenien-
dis nequaquam pono; verum in accentibus, ut sensus modera-
toribus, textui apponendis. Id si hominibus spiritu divino non
afflatis assignandum sit, sensus eorum vi conflatus ac præfinitus

nihilo divinior est sententia Commentatorum. Accentuum vi profecto mutantur vocales, & accentus sunt ejusdem antiquitatis, ac textus ipse. Alia autem denuo recurrit quæstio, an eadem signa, quibus accentus ac vocales nostra ætate in Codice sacro Ebræo exprimuntur, ab initio & semper exstiterint. In Talmudico quidem Codice fit mentio *mercedis pausæ accentuum* שְׂכַר פְּסוּק טְעָמִים (Tract. *Medarim fol. 37*) & טַעֲמֵי תוֹרָה *accentuum legis*, qui dextra ostenduntur (Tract. *Brachoth fol. 62*). Sed quæstio identidem recurrit, an accentus illi fuerint scripti; an ea figura fuerint spectabiles, quæ nunc est in usu. Non
Pag. 53 seq. vacat repetere argumenta, quæ *Cappellistis* opposuit Autor, siquidem ea jam apud alios leguntur. Miramur tamen, ipsum existimare, descriptionem exemplaris accuratam, singulis accentibus punctisque vocalibus præditam, esse perdifficilem, ni
57. moraliter impossibilem. Quod enim si est verum, vix constabit amplius de unico Ebræi Codicis exemplo, rite descripto. Autor accentus Ebræo-Biblicos discernit in ordinarios atque in
59. extraordinarios. Extraordinarii sunt *karne phara*, *mercach pula*, & *Schalcheleth*, in prosa. Reliqui omnes ordinarii: *Reges* distinguunt; *ministri* voces connectendas ob sensum continuandum indicant. Desideramus adhuc versionem Vet. Testamenti ad amussim accentuum textus archetypi factam. Inde accentuationem distribuit Autor in planam simplicemque, quæ est grammatica & logica: ac in artificiosam, quæ præterea ad affectus exprimendos, & dictioni vitam conciliandam, accessit, priori haud repugnans. Accentuationis rhetoricæ usus sunt quinque, nempe constructio remota, status verborum absolutus, repetitio vocis seu vocum, ellipsis, ac emphasis. Ad
62. constructionem remotam refert dictum *Gen. III, 8*, quod sic vertendum censet: *Et cum audissent vocem Domini Dei, deambulantem in paradiso.* Intelligit Filium Dei, siquidem מִתְהַלֵּךְ de personis duntaxat adhibetur. Nec non illud *Exod. XXV, 12*, quod sic vertit: *Et fundes ei annulos quatuor aureos: indesque eos super quatuor angulos ejus; & fundes ei duos annulos: & inde 5 super latus ejus*, nempe *latus primum: & fundes duos*, nempe *annulos: & inde 5 super latus ejus*, puta *latus*

latus secundum. Sic annuli aurei octo elucent, quorum qua- Pag. 63.
tuor, singuli singulis, angulis affigendi, insuperque bini singu-
lis lateribus. Horum sane nulli videbuntur supervacanei, si
rationem habueris gravitatis tabularum lapidearum & operculi
propitiatorii aurei, cum Cherubinis aureis. Ad statum ver-
borum absolutum denotandum adhibentur accentus itidem,
e. g. *Gen. I, 2,* וְהָאָרֶץ הָיְתָה תֹהוּ', *&c, quantum ad terram at-
tinet, ea erat inanitas.* Dictum *Ps. XI, 3,* ob eandem ra-
tionem sic vertit: *Cum fundamenta ipsa destruentur, quid fue-
rit operatus justus?* Repetitio indicatur in illo dicto *Ezech. XV,
2: Quid esset arbor vitis præ omni arbore? Quid esset palmes,* 64.
qui inter arbores silvæ existit! Quid ex eo palmite, de silva
natali delato, posset confici? Comparatur ibi populus Judaicus
viti, verum non sterili, sed agresti, quæ גֶּפֶן שָׂדֶה, *vitis cam-
pi,* dicitur *2 Reg. IV, 39.* Ellipsis latet e. g. in vocibus illis
Amos VI, 6, ubi accentus distinctivus est in fine nominis plura-
lis, in statu constructo positi: הַשֹּׁתִים בְּמִזְרְקֵי יַיִן, *bibentes
in crateribus vini vinum.* Ita *Gen. III, 22,* verba הֵן הָאָדָם
vertenda sunt: *ecce hominem illum!* Inter hæc sedulo est in-
culcandum, usui accentuum grammatico & logico ubique pri-
mas esse deferendas, nec ab eo, nisi urgente necessitate, esse
recedendum. Nostrum non est, ex *Bostono* plura delibare.
De diligentia Autoris, utilitate libri, ac exemplorum, illustran-
tium regulas, copia, ex eis, quæ jam allata sunt, nemo non
esse potest satis superque convictus. Ad parentheses refert ver- 194 seq.
ba illa וּשְׁמוּאֵל שֹׁכֵב, *1 Sam. III, 3.* Nam *Samuel* in templo
obdormivit. Nec non illa *Ps. XLIX, 9: Est enim cara
redemtio vitæ eorum, immo cessat in seculum.* Parentheses ve-
ro signantur per distinctivos, ac clauduntur digniori, quam is
fuit, cujus interventu fuerunt inchoati. Quare, præeunte mi-
nimo, clauduntur minore: præeunte minore, clauduntur ma-
jore: præeunte majore originario, clauduntur aucto: præeun-
te majore, clauduntur primario: præeunte primario, claudun-
tur absoluto. Quamvis parenthesis quoque rite satis per pares
distinctivos constituatur, per pares majores, per pares prima-
rios, denique per duos absolutos. Addit Autor hanc quoque
observa-

obſervationem: *Parentheſin, cui præit Dominus ſuperior, alio ſuperiore ex inferiori claſſe, ſed neutiquam domino inferiore, claudi fas eſt.* Ex qua fimbria facile de texto reliquo licet
Pag. 218. judicare. Ad extremum ſuffragatur Autor *Salomoni Glaſſio*, qui in *Philol. ſac. Lib. IV Tr. I Obſ. I* perhibet, octodecim exſtare loca, in quibus ה interrogativum deſit. Loca, a *Glaſſio* oſtenſa, vindicat *Boſtonus* ſigillatim, eisque ineſſe ſcribit interrogatio-
220. nem. Tandem vero ita tractationem concludit: *Nullus dubito, quin in Teſtamento Veteri bis longe plures dentur quæſtiones, ab Interpretibus, Criticis, & Commentatoribus, absque ulla idonea autoritate confictæ. Ceterum bas, quarum dedimus vindicias, nobiliſſimas eſſe arbitror, unde de reliquarum ratione conſtare poſſit.*

JO. LAMII, PUBLICI ECCLESIASTICÆ Hiſtoriæ Profeſſoris, & Riccardianæ Bibliothecæ Præfecti, de recta Chriſtianorum in eo, quod Myſterium Divinæ Trinitatis attinet, ſententia Libri VI.

Florentiæ, ex typographia Reg. Celſ. apud Tartinium & Franchium, 1733, 4.

Alph. 2 plag. 2½.

Studium hiſtoricum, ſi quidem recta judicandi virtute juvetur, maxima omnino utilitate ſeſe commendat, & hiſtoria inprimis ſacræ civitatis ejusmodi eſt, ut a nullo divinæ ſapientiæ interprete, in campis Theologicis erudite verſaturo, negligi aut abjici debeat. Hanc nos rem novo ſuo, eoque eximio, erudivit exemplo Clariſſimus *Lamius*, utpote qui veram orbis Chriſtiani de ſacroſancta Trinitate doctrinam, ex ultimis hiſtoriarum monumentis illuſtratam, cum erudita communicavit civitate. Qui, duce *F. Socino*, male de hoc ſentiunt dogmate, illi tres ineunt adſcitam ſuam opinionem corroborandi vias ac rationes. Sunt, qui obſcure illud in ſacris Literis ſignificari ajunt. Alii, non unam Orthodoxos de eo foviſſe ſententiam, contendunt. Nec denique deſunt, qui, e profana hominum, qui Deos coluerunt, philoſophia ejusmodi decretum emanaſſe, & ſibi

& sibi & aliis persuadere conantur. Atque huic potissimum sacrilegæ audaciæ obviam ivit *Lamius* in hac ipsa, cujus indicem recitavimus, Commentatione. Spartam ille suam omni, qua fas est, accuratione ornaturus, ab ipso mundi exordio ducit argumenta, eandemque ultimis temporibus fidem, apud sanctissimos Judæorum Patriarchas, obtinuisse demonstrat. Ab his deinceps ad recentiores procedit ætates, &, Servatoris amicos cum illis minime dissentire, nec unquam dissensisse, extra omnem ponit dubitationem. Totum scriptum *sex* inclusum est *Libris*, & horum quilibet singularia quædam complectitur *Capita*. Haud videmur nobis ab re facturi, si, quæ hic uberius pertractantur, in compendio exhibeamus, & studiosos harum rerum Lectores ad ipsum illum Tractatum ordine perlegendum invitemus.

Liber I sex supra decem continet *Capita*. In *Cap. I* laudes Pag. 1.
Ægypti summatim celebrantur. Huc *Abrahamus* profectus est, 2-9.
isque Astronomiæ ac literarum expers haud fuit secundum *Cap.*
II & III. *Abrahamus*, & ejus posteri, non procul ab Ægypto 10 seq.
habitavere, & hic varia, *Josephi* ætate, studia viguerunt, quæ
Cap. IV recensentur. *Caput V* Israelitarum, qui in Ægyptum 12-23.
migravere, numerum & incrementum, religionem item ac
placita, commemorat, ac de doctrina Chaldaica quædam. *Caput*
VI ostendit Ægyptiorum & Israelitarum consuetudinem, & il- 24 seq
lorum ea tempestate religionem; *Cap. VII* Græcorum & Ægy-
ptiorum literaturam, & horum posteriorum doctrinam; *Cap.* 25-28.
VIII quarundam Ægyptiacarum opinionum & dogmatum cum 28-37.
Ebraicis consensionem. Notitia Judaicarum legum & instituto- 38.
rum ad Ægyptios pervenisse, docet *Cap. IX*. Hi incredibili jam 39-45.
olim erga disciplinas amore, & Bibliothecas instituendi studio, te-
nebantur: cum his etiam Judæis intercedebant commercia, quod
Cap. X ostenditur. Certa est decem tribuum dispersio; nemo Re- 45-49.
gum Judæ cum Ægyptiis bella & fœdera in dubium vocat; unde
& Judæorum in Ægyptum fugam nemo unus negat, docente
id Autore *Cap. XI*. Exstant *Cap. XII* testimonia scriptorum, qui- 50.
bus manifestum redditur, Judaicas Scripturas apud Judæos exsti-
tisse, & *Cap. XIII* probatur, easdem ab aliis quoque gentibus sacras 51 seq.
habitas.

habitas. In tribus postremis *Capitibus* nomina excitantur eorum, qui olim in Ægyptum, antiquissimam sapientiæ sedem, con-
Pag. 52-61. cesserunt, scientiam inde suam adaucturi, ut *Cap. XIV Orpheus, Musæus, Melampus, Dædalus, Homerus, Lycurgus, Solon,*
61-75. *Thales*; *Cap. XV Pythagoras, Pherecydes, Thales Milesius*, ac
75-80. *Democritus*, qui & Chaldæos convenerunt; *Cap. XVI Heraclitus, Euripides, Eudoxus* Cnidius, & *Enopides* Chius.

Liber II quatuor supra decem Capita in se continet. *Plato* in Ægyptum profectus est, nec tamen *Euripides* ejus itineris comes
81-85. fuit (*Cap. I*), nec *Eudoxus* illuc cum ipso concessit (*Cap. II*), *Plato* tredecim ipsos annos ibidem cum sacerdotibus versatus, eorum
85-96. studia (*Cap. III*) ac literas Ægyptias (*Cap. IV*) didicit. Hoc tem-
96-101. pore multi Judæi Ægyptum incolebant (*Cap. V*). Quanquam istud quidem, invita veritate, traditur, *Platonem Jeremiæ* vati æqualem fuisse; hoc tamen omni vacare dubio videtur, eum
101-108. cum Judæis in Ægypto congressum (*Cap. VI, VII*). Ipsos profanos olim scriptores Judæos celebrasse, ostenditur *Cap. VIII*,
108-117. & *IX* vindicatur. Non est vero absimile, *Platonem* aliquam Ebraicarum Scripturarum notitiam habuisse (*Cap. X*), quam
117-125. quidem facilius haurire potuit, si tum Græca jam conversio quædam exstitit earum (*Cap. XI*). Idem ipse præ se fert, multa Græ-
125-129. cos a *Barbaris* accepisse (*Cap. XII*). Quo nomine non unum *Græcorum* genus, sed plures, *Ægyptios*, *Babylonios*, *Thraces*, *Assyrios*, & alios, inprimis autem *Ebræos*, indicari, contra *Jo.*
130-133. *Clericum Cap. XIII* docetur. *Caput XIV* lectu vel eo nomine
133-138. dignum a nobis censetur, quod loca, in quibus *Judæos* ipse *Plato* commemoravit, examinantur. His Cl. *Lamius* præfultis, ad rem propositam convertit se propius in *Libro III*, qui *decem Capita* suo concludit ambitu. In *Cap. I* scriptores no-
139-141. minantur, qui *Platonem* Judaicarum Scripturarum vel dogmatum cognitione imbutum, memoriæ ac literis prodiderunt.
141-152. *Cap. II* Platonicæ ac Judaicæ doctrinæ similitudo declaratur, quam *Clericus* etiam concedit, sed & pervertit & conturbavit.
153-159. Contra hunc ipsum doctissimum Virum *Cap. III* & *IV* demonstratur, ex hujus rerum universitatis contemplatione ad τῶν τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων, sive sacrosanctæ Trinitatis, ac τοῦ

λόγου

λόγου cognitionem, perveniri haud posse. Ergo *Plato* de De- Pag.
miurgica Trinitate doctrinam sigillatim aliis Judæis debet (*Cap.* 159-162.
V, *VI*,). Hi vero Judæi divinæ Trinitatis notitiam habuerunt;
id quod *Cap. VII* & *VIII* probatur, & *Cap. IX Clerici* objectio
diluitur. Cui eidem etiam *Cap. X* insulsæ cujusdam conjectu- 162-180.
ræ ac divinationis dies dicitur, quod, in Trinitatis Demiurgicæ 180-183.
cognitionem falsa ratiocinatione venisse *Platonem*, censuit.

In *Libro IV octo Capita* exstant, quorum *I*, *Platonem*, ac cete- 184-190.
ros Philosophos, doctrinam περὶ τοῦ λόγου ab Ebræis accepisse,
vero reddit simile. In *Cap. II* inquiritur, cur id, quod Ebræi 190-193.
sapientiam dixerunt, λόγος a Græcorum sapientibus appelletur.
Sed & Judæos vocem λόγος, ad divinam aliquam hypostasin de- 193-203.
signandam, adhibuisse, *Cap. III*, *IV*, & *V*, extra omnem ponitur
controversiam. *Cap. VI* ostenditur, Scriptorem *Libri Sapientiæ* 204-208.
Cap. XVIII in his verbis, καὶ οὐρανοῦ μὲν ἥπτετο· βεβήκει δὲ ἐπὶ
γῆς, nec *Homerum*, nec alium quendam Græcorum Poetam,
imitatum. *Cap. VII* & *VIII* contenditur, *Sap. XVIII* locutionem 208-215.
παντοδύναμος λόγος, *omnipotens sermo* Latine omnino con-
vertendam esse. In *Platone* vero λόγος *ratio* commodissi-
me redditur, nec tamen vis ejus inferetur sententiæ, si quis etiam
sermo hanc vocem apud Philosophum interpretetur, præsertim
cum *Sapientiæ* Autor τὸν λόγον cum *sapientia* confudisse vi-
deatur. Nec *Philoni* inusitatum, *sapientiam* modo τὸν Θεοῦ
λόγον, modo τὸν θεῖον λόγον, appellare. Nec desunt loca, ubi
hic nomen λόγος, cum ut *rationem*, tum ut *sermonem* signi-
ficet, usurpavit. *Liber V viginti*, atque adeo plurimis, absolvi- 216-224.
tur *Capitibus*. Et *Cap.* quidem *I* atque *II* divinitas τοῦ λόγου,
hoc est, Christi, ex disertis sacrarum Literarum testimoniis de-
monstratur. *Cap. III* tuetur Latinam nominis λόγος, in Evan- 225-228.
gelii *Joannis* principio occurrentis, versionem per *sermo*, seu
verbum, autoritate *Ignatii* Epist. I *ad Magnesianos §. 8*, *Ori-*
genis, *Tertulliani*, *Novatiani*, *Cæcilii Cypriani*, *Athanasii*, & 228-233.
aliorum. *Cap. IV* Patres Apostolici in auxilium vocantur, atque
planum fit, eos de Christi divinitate recte sensisse. Hactenus
demonstratum est, & *Platonis* & *Philonis* λόγον ex *Mosis* ora-
culis ac Judæorum traditionibus derivandum esse. Nunc ab

 omni

omni veritatis ſpecie abhorrere declaratur, *S. Joannem* ex *Phi-*
lonis, *Platonis*, ut *Clericus* vult, imitatoris, libris λόγον ſuum
Pag. hauſiſſe. *Prima* ratio ex Græcarum doctrinarum & Philoſo-
233-257. phiæ apud Judæos inſolentia, & rara admodum cognitione,
(*Cap. V, VI, VII, VIII, IX,*) *altera* ex ipſius S. *Joannis* ruditate,
258-263. ac *Platonicarum* commentationum imperitia (*Cap. X*), nec non
ex communi Apoſtolorum a profanis doctrinis averſione &
horrore (*Cap. XI & XII*), *tertia* ex ætate, qua Evangelia ſcripta
263-285. perhibentur (*Cap. XIII, XIV, XV, & XVI*), & *ultima* denique par-
286-302. tim ex cauſa, quæ *Joannem* ad ſcribendum impulit, ipſoque modo,
quo illum Evangelium ſuum exorſum eſſe tradere ſolent, ducitur
(*Cap. XVII, XVIII, XIX, & XX,*). Quemadmodum vero in hacte-
nus diſputatis Clariſſimus *Lamius Jo. Clerico* omni ſeſe objecit
occaſione; ita in *Libro VI*, eoque poſtremo, qui *duodecim Capiti-*
bus conſtat, eam ſigillatim Doctiſſimi Viri infirmavit opinio-
nem, qua cenſuit, profanos Philoſophos ſententiam de anima
mundana ex ſacris oraculis, vel Ebræorum traditione, male in-
303 ſeq. tellectis, haurire minime potuiſſe. *Cap. I* indicit propoſitum.
304-307. Habuerunt antiqui olim Judæi *Spiritus S.* notitiam (*Cap. II*).
307-310. Opinio de mundana anima ex *Moſis* narratione, male explicata,
dum *Spiritum* S. *Gen. I, 3*, de *vento* quidam intellexerunt, orta
311-317. eſſe potuit (*Cap. III*). Ventum eſſe animam, multi veterum
exiſtimarunt (*Cap. IV*), eidemque virtutem gignendi & fœcun-
317-324. dandi attribuerunt (*Cap. V*). Alia via *Cap. VI* aperitur, qua
ethnici in animæ cujusdam generalis ſuſpicionem, verbis *Moſis*
325-327 aliter acceptis, venire potuerint. *Cap. VII* anquirit, an opinio
de mundo animato per ſe ipſa divinis ſit Literis contraria. Quæ
reliqua ſunt, *Capita* tantum non omnia ad *Platonis* hiſtoriam
328-331. propius ſpectant. *Caput* enim *VIII* oſtendit, *Platonem* non
omnia literis mandaſſe, ejus item ſcripta quædam intercidiſſe:
qua occaſione loca nonnulla *Clementis Alexandrini* exponun-
332-338. tur (*Cap. IX*). *Cap. X* lectorem vetat dubitare, *Platonem*,
& alios Græcos ſcriptores, multa ab aliis furto abſtuliſſe,
338 ſeq. nec id falſos eſſe. *Cap. XI* de *Platonicorum* Dialogorum inter-
340 ſeq. locutoribus exponit. *Caput* tandem *XII*, idemque ultimum, iis
patrocinari videtur, qui, adumbrata illa ſacroſanctæ Trinitatis
imagi-

imagine, in *Platonicis* monumentis obvia, Christianæ veritati divinam providentiam quodammodo prolusisse arbitrantur. Accedit Appendix, in qua nonnulla hactenus dicta illustrantur, & rerum Index notabilium.

Ceterum non est hoc dissimulandum, Doctissimum *Lamium* nil intentatum reliquisse, quo institutæ ac susceptæ rei omni ex parte satisfaceret. *Clerici* insicetam esse conjecturam, nemo unus negat, qui sapit. Nomen τȣ̃ λόγȣ, Servatori tributum, a viris divinitus eruditis ortum esse, omnes, qui veri aliqua valent perspicientia, non inviti largiuntur. Hoc autem in dubium vocari forsitan possit, an ea, quæ olim *Plato* de tribus rerum naturalium principiis scivit, ex Judaica traditione derivari debeant. Nam & *subjecta* propositionum, quæ in ejus scriptis & illis inveniuntur, aliter vocantur ac concipiuntur, & *prædicata*, ipsis apposita, in eam, quam puriores olim Judæi admiserunt, & Christiani hodieque admittunt, vix & ne vix quidem conveniunt & quadrant Trinitatem. Is certe cum illis, qui olim ab ipso erant, obscure, àmbigue, atque eum in modum, locutus est, ut ex illo Mysterio vix aliqua similis dicendi ratio, hoc est, umbra quædam, supersit. Hoc vero caret dubio, juniores *Platonicos*, qui post Servatorem natum vixerunt, & de quibus Cel. *Lamius* ipse *pag. 272 seq.* erudita lectuque valde digna in medium attulit, obscura & ambigua *Platonis* dicta Christianis scitis adaptasse. His inprimis solenne erat, a Christi amicis verba, dogmata, mores, ac ritus, furari. De his itaque valent, quæ *pag. 332 seq.* dicuntur. Atque huic eidem recentiori *Platonicorum* sectæ *Philo* etiam, Judæus Alexandrinus, qui post C. N. (*pag. 263 seq.*) vixit, favisse videtur. Hoc modo credendum esset, *Philonem* non ex *Platone*, sed ex amicis Domini, non vero hos ex illo, Trinitatis arcessivisse Mysterium. Nemo est, quin suapte sponte perspiciat, his sumtis principiis, bonam, cui orandæ *Lamius* vacavit, causam egregie juvari. Qui & in eo laudandus est, quod in hac sacra investigenda historia temporum rationem habendam existimaverit. Ex his perspicuum fit, non male tempus Virum collocasse doctum, quod

 hunc

hunc librum composuit, cum in Galliis A. 1730 ac sequenti versaretur.

JOANNIS GUILIELMI HOFFMANNI, D. & Histor. Prof. in Acad. Witteb. Publ. Ordin. Observationum Juris Germanici Libri duo.

Francofurti & Lipsiæ, sumtibus hæredum Lanckisianorum, 1738, 8. Alph. 1.

Dapes ex veterum Germanorum Jurisprudentia quæsitas apponit Cel. *Hoffmannus*, eo delicatiores, quod ante eum pauciores præstantiam illarum degustarunt. Ipse de se quam modestissime sentit, ludendoque magis, quam seria cogitando, enatos hos Observationum libellos scribit, cum, quod otiosi facere solent, de amoribus suis cogitaret. Ibi vero raucum Salicæ legis carmen crepare, & Francica proponere ænigmata, & in opacam vocum barbararum sylvam descendere, jucundum habuit, neque horrorem illum, qui suæ ætatis caligine reverentiam sibi quandam conciliat, reformidavit. Maximam Opusculi partem derivationibus verborum legitimorum, & detegendis Germanicæ linguæ originibus, absolvi voluit, cum hanc deprehenderet potissimam ignorantiæ in legibus Germanorum rationem, quod ne verba quidem JCti caperent. Patrocinium Operi suo binis præcipue argumentis quærit, quorum alterum ex titulo humanioribus Belgii JCtis familiari, alterum ex fervido patriæ amore, repetit. Rectius enim illos facere arbitratur, qui domi nata apud exteros vendunt, quam qui aliunde accita, ingenti pretio coemenda, ad patrios lares deferunt. En ipsam Observationum tabulam. *Lib. I Cap. I* de Glossis Malbergicis, variisque earum interpretationibus, disserit, justis illos decorans encomiis, qui in id incubuere sedulo, ut novi quidquam ad Germanicam linguam, & hoc potissimum vetustatis monumentum, conferrent; qua in re palmam, eamque lemniscatam, *Jo. Georg. Wachtero*, Germaniæ *Varroni*, tribuit, secundumque ab eo locum *Jo. Georg. Eccardo* assignat, cujus tamen in emendando audaciam subinde, & mox hoc ipso *Capite*, reprehendit.

(Margin: Præfat. — beside "ciores præstantiam…"; Pag. 4. — beside "mentum, conferrent…")

Nam

Nam, cum adſcriptam in Gloſſis ad *Salicæ Legis Tit. VII §. 6: Si quis furaverit anſerem aut anatem domeſticam* &c. vocem *Sundleno* in *Ganta vel Ento* commutandam cenſuiſſet, Cel. *Hofmannus* veterem lectionem defendit, cum *Sundleno* vel *Sundlero* natatorem, adeoque & anſerem & anatem, commode ſignificet. *Cap. 2* ad *Legis Sal. Tit. X §. 2* commentatur, &, quomodo legendum ſit *Stalacha*, explicat. *Cap. 3* de voce *Chrenecruda* ex *Leg. Sal. Tit. V §. 2*, & *Tit. LXI §. 2*, diſſerit. *Cap. 4* vocem *Affectu* in *Tit. XXII §. 1* vindicat, derivat, ſimileſque conjecturas de vocabulo *Idulgus* proponit. *Cap. 5 Leg. Sal. Tit. II §. 18 ſeq.* aliter, atque vulgo fieri ſolet, explicat, ſimulque, quid ſit *Babene*, contra *Eccardum* diſquirit. *Cap. 6*, quid ſit *Friolaſia* & *Theurora* in *Tit. XV §. 1, 2, 3*, divinat. *Cap. 7* de *Changichaldo* ex *Leg. Sal. Tit. XIV §. 10* agit. *Cap. 8 Bumedam* definit pecuniam ab hominibus propriis domino fundi, in eorum matrimonia conſenſuro, ſolvi ſolitam: indeque locum egregium ex pervetuſtis *Lotharii* Aug. tabulis apud *Rethmeyerum Chron. Brunſu. pag. 297 ſeq.* illuſtrat. Derivatione vocis nihil incertius. Etenim Cel. *Eſtor* pro *Brutmeda, brautmiethe* poſitum exiſtimat. Doctiſſ. *Wachterus* a *bu*, domus, & *mede* deducendum ſtatuit. Neutrum Cel. *Hofmanno* probatur, quippe qui vel ex *bu vacca* natam vocem, propterea quod cenſus ille vaccis abſolveretur, ex Scoticis apud *Skenæum* legibus concludit, vel *buggan*, emere, & *mæde*, virgo, originem nomini dediſſe, redemtionemque ſponſæ indicari, arbitratur. *Cap. 9* de jurejurando viduæ, quo quantitatem *Morgengaba* a marito ſibi datæ probat, *Naſtaid* ab Alemannis vocari ſolito, diſputat, illudque nomen *Neſtel-Eyd* denotare, & ad ritum, mulieribus ſervatum, quo crines in nodum collectos, digitis adjectis, in pectus ſiniſtrum protrahebant, cenſet reſpici. *Cap. 10* ad *Leg. Sal. Tit. XXXIII §. 1*, & vocem *Quintus*, nonnulla notat. *Cap. 11* varia de injuriis, præſertim *von Schelten aus der Chriſtenheit und Chriſtlichen Scheltworten*, profert. *Cap. 12* quaſdam clamandi formulas, in antiquis Juribus Germanicis obvias, & ipſo judiciorum uſu frequentatas, ut *Jodute*, *Wapen*, *Wræck*, &c. repræſentat. In *Libri II Cap. 1* totus eſt in illuſtrandis Gloſſis ad *Salicam Legem* Malbergicis,

Pag. 11.
85 ſeq.
94.

gicis, velut *Chalip Subdupio tit. XLIV §. 3, Nuchala ib. §. 14, Authumia Tit. XIV §. 1. Cap. 2* vocem *Focichalta* in *Leg. Sal. Tit. II §. 7* vindicat, & a *Foch*, quod ex *foden*, nutrire, est, æque ac *fud*, matrix, descendit, atque a *Chalt*, pretium nunc mulctam annotante, derivat, mulctam furis definiens, qui scrofam abstulit cum fœtibus. Atque opus omnino hic erat vindiciis, cum in alia *Eccardus* abiisset omnia, *Folcichalta* reponens, & pretium populi seu gregis suum innui existimans: quæ quidem sententia vel inde exiguam habet veritatis speciem, quod de quadrupedibus rarissime, de suibus nunquam, vox Theodisca *Volck* adhibeatur. *Cap. 3* iterum aliquot Glossas Malbergicas, quæ *Salica Lege Tit. XXXII* continentur, digitorumque mutilationes significant, ut *Alatham briorodero §. 4, repphano §. 6, elechano §. 7*, expendit. *Cap. 4* de vulneribus membrorum corporis nobiliorum ex *Salica Lege* disputat, &, cur in Glossis Malbergicis *Tit. XXVII §. 12* oculi excussio *Liclamina, §. 13* nasi amputatio *Frasitto, §. 15* linguæ exscissio *Alchaltua, §. 16* dentis evulsio, *clanina*, & denique *§. 17* & *18* obscœnarum partium exsectio *Wiradardi* & *Alacharde*, dicatur, inquirit. Lectu præ reliquis digna sunt *Cap. 5* & *6*, quæ de vulnerum æstimatione & gentium Germanicarum circa hanc indagationem sollicitudine, tractant. In *Salica Lege vulnera* a *debilitatibus* discernuntur, ita, ut per illa Germani plagas leviores, nil nisi cicatricem relinquentes, aut officuli minutioris jacturam afferentes, per has membrum ruptum, fractum, vel penitus ablatum, judicarint. Pleræque gentes ad longitudinem profunditatemque vulneris respexerunt, eaque in re solliciti inprimis fuere Frisiones, prout ex lege ipsorum *Tit. XXII* apparet, cui sanctio *Ælfredi* Regis in legibus Anglo-Saxonicis apud *Wilkins pag. 44* jungi meretur. *Cap. 7*, quid denotet *Silave* in *Leg. Sal. Tit. LVIII §. 4*, & *Rabanal in Tit. XLIV. §. 10*, conjicit, sicuti *Cap. 8*, quid *Theophano Tit. VI §. 3*, quid *Chunnovano ibid. §. 4*, quid *Huichte Tit. XLI §. 5*, quid *Chanco ibid. §. 1*, quid *Stalasthe §. 16*, quid *Abazym pedero*, significent, exponit. *Cap. 9* Glossam Malbergicam *Mosedo*, passim in Legis Salicæ Capitibus obviam, illustrat, simulque, quid *Opdopus Tit. XXVII §. 1, 3*, & *Ferthebero*, sibi velint,

lint, dispicit. *Cap.* 10 de Glossis Malbergicis *Schuisara Chrogine Tit. XXVIII §. 2*, & *Widresa Thalo Tit. XLVIII §. 1*, item de *Stringere*, *Chamni*, & *Manechardc*, *Tit. XVIII*, varias proponit conjecturas. *Cap.* 11, unde nomen *Zeuge* trahat originem, & quo referenda sit vox *delatura*, toties in *Salica Lege* occurrens, disquirit. Sic & *Cap.* 12 conjecturas de vocibus *Alethardis Tit. IX §. 3*, *Chanaswido Tit. VII §. 5*, & *Solampina ibid. §. 7*, proponit. Plura non addimus, satis persuasum nobis habentes, quemvis nobiscum in hoc fore consentientem, Cel. *Hofmannum* æquis passibus ad propagandam Fratris desideratissimi gloriam grassari, nec nisi magna & egregia ab ingenio ejus posse exspectari.

A TREATISE ON THE FORCE AND ENERGY of crude Mercury, &c.

h. e.

TRACTATUS DE VIRTUTE ET ENERGIA Mercurii crudi, demonstrans utilitatem & innocentiam ejus, quoad usum internum, variis experimentis, & historiis casuum acuti chronicique morborum generis; Autore THOMA HARRIS, Chirurgo.

Londini, impensis E Symon, 1734, 8.

Plag. 8.

Mercurii crudi æque ac præparatorum inde factorum usus, suspectus plerisque hactenus visus per Britannos, eruditissimorum quorumcunque inter illos virorum suffragio ita invaluit, ut nihil in ore plerisque sit frequentius Hydrargyro. Persuadere tamen huc usque non potuerunt exteris, ut simili fiducia ponderoso metallo, decima parte ponderis specifici pondus sanguinis superante, adeoque ad motus leges inepto, & in cavernis ossium facile quiescente, uti susciperent. Interea rationibus haud carent, qui Mercurium collaudant. Aperientium omnium medicamentorum dicitur præstantissimum. Plantis aperitivis omnibus, ipsis thermis aquisque chalybeatis, dicitur carere posse, qui Mercurio uti norit. In fronte libelli habetur:

Quod non ſanat medicamentum, Ferrum
Sanat, quod Ferrum non ſanat, Ignis
Sanat, quod Ignis non ſanat, Mercurius ſanat,
Quod non ſanat Mercurius, inſanabile eſt.

Refelluntur dubia, quæ Hydrargyri uſum ſuſpectum reddere poſſent. Corroſivus ille in corpore humano fieri nequit, calor vitalis producendæ ſublimationi impar eſt, nec eidem adeo facile ſalia corporis adhærent. Ob formæ innocentem habitum, cum rotundæ ſint omnes minimæ ejus moleculæ, nec tundere, nec pungere, nec lacerare, valet, ſed ſolo ſuo pondere ſpecifico in præſtructa viſcera & vaſa eorundem capillaria agit. Nec metus ſubeſſe dicitur, ne ſuperari a pulſu ſanguinis haud poſſit, cum Mercurius in ſanguine exſtinguatur. Experimenta illius rei facta fuerunt; liquor gaſtricus canis ſemivivi Mercurium in magma, ſimile illi, quod cum ſaliva fit, permutavit; bilis ſanguisque Mercurium abſorpſerunt; cum ſalibus volatilibus itidem amice conſpiraſſe deprehenſus fuit. De uſu Mercurii externo, deque via ejus per venas, prout Autori videtur, lymphaticas, breviter, de interno autem utendi modo prolixius, agitur. Recenſentur morbi, quibus ſaluti fuit, & adducuntur uberrima rerum teſtimonia. Accedunt Fratris literæ, docentes, inteſtinorum mutuum ingreſſum, ileon ſeu volvulum dictum, epoto Mercurio ſanari. Additur, acidum ventriculi alio remedio efficacius corrigi non poſſe. Obſtructa etiam tubulorum lacteorum oſcula hoc ipſo aperiuntur, dum exſtinctus chylo hydrargyrus ſubintrare annititur, nec ulla proinde ſalivatio metuenda eſt, ob vaſorum, quibus decurrit, ampliſſimum habitum. Præterea laudatur decoctum hydrargyri, ſimplici aqua factum, quod calculoſis prodeſt. Cognovit enim Autor, injecto per arteriam emulgentem Mercurio, ipſos ureteres hinc repletos fuiſſe: ſtrumas, quæ malum regium, *the Kings Eil*, Britannis dicuntur, eo quod Rex attactu ſtrumoſos ſanet, Mercurius reſerat, omnesque corporis humani ſcirrhos reſolvit. Rhevmaticos Arthriticorum dolores crudi Mercurii uſu perſanatos fuiſſe, in exemplis habet. Abundent ſuo ingenio exteri. Neminem de humano corio ludere decet, ne experimenta per mortes fiant, vel occidiſſe videamur, quos ſervare non poſſumus.

AFFE-

AFFECTUM IN LIBRIS ET PRAXI RArissimum, ab HERMANNO BOERHAAVE in nosocomio Lugduno-Batavo sanatum, descripsit CHRISTIANUS ANDREAS KOCH, Med. D. Brunsuicensis.

Lugduni Batavorum, apud Philippum Bonck, 1738, 4 maj. Plag. 4.

Quandoquidem multum omnino rei medicæ intereſt, morbos graviores, eosque feliciter perſanatos, in faſtos referri, bene de illa meretur Cl. *Kochius*, quod ſimilem affectum accurate deſcribendum, & pro ſua virili parte illuſtrandum, ſuſcepit. Summa narrationis huc redit: Fœmina quædam, ſatis bene alias valens, graviditatis tempore in vehementiſſimam incidit iſchuriam, qua Chirurgi arte demum ſublata, urina fœtida, ſanguinolenta, & quaſi corrupta, ac intra breve temporis intervallum tam copioſa, reddita fuit, ut pondus quatuordecim librarum minimum adæquarit. Poſtridie ejus diei, cum abortus quinquemeſtris inſecutus eſſet, remanſit dyſuria, in ipſoque fœminali tumor laxus, mollis, veſicalis, vaginam opplens, fuit detectus. Aliquando etiam in urethra in conſpectum prodiit corpus molle, laxum, rugoſum, veſicale, aſperum, lapillis quaſi conſperſum, & membranatim per flexuras, laciniæ inſtar, digeſtum, quo ſine magnis fœminæ moleſtiis ex urinæ meatu protracto, tumor tamen ille in uteri vagina haud ſubſedit, maxima e contrario urinæ incontinentia acceſſit, hacque ceſſante, dyſuria quædam rediit, effecitque, ut lotium ſub ſummis ſemper micturiendi tenesmis, difficillime, magnoque dolore circa ultimum mictionis nixum recrudeſcente, excerneretur. Quo tempore noſocomium adiit ita affecta mulier, in qua febricula etiam, pulſus debilis febrilis, totumque corpus projectum, ac ſi lecto fuiſſet affixum, urinaque flammea, ſanguinolenta, fœtida, in qua ſedimentum viſcoſum, craſſum, albicans, purulentum, cruoris & ſaniei particeps, copioſe ſubſidebat, obſervabantur. Omnem hanc morbi hiſtoriam, & quæ multo adhuc uberius perſequitur, in ratiocinio ſuo Cl. Autor poſthæc enucleat, & quælibet ad ſuas cauſas revocat, medendique

que rationem extremo loco ſubnectit. Ex ipſius itaque ſententia iſchuria potiſſimum graviditati debetur, ſub qua urina veſicam eroſit, diſtendit, irritavit, & deterſo muco inflammavit, fibras deſtruxit, & vaſa ſanguifera aperuit, ut cruor exſtillans cum lotio commiſceretur. Ut vero facile intelligitur, qua ratione abortus hinc contigerit; ita ex mente Celeberrimi *Bærhaavii*, nuper maximo artis ſalutaris damno demortui, ex paralytico per gradus, inflammatorio, ſuppuratorio, & ulceroſo ſtatu, qui poſt iſchuriam interjecto ſpatio veſicæ obvenit, nervea veſicæ membrana excoriata, atque ſub laciniæ ſuperius commemoratæ forma extracta fuit, quam interiorem veſicæ pelliculam hac ratione exuviarum inſtar, in puerpera quadam perfecte poſthæc ſanata, & feliciter adhuc pariente, abraſam eſſe, quondam jam *Ruyſchius* in Adverſariis Anatomicis animadvertit. Ex eadem veſicæ excoriatione ingens urinæ incontinentia ortum habuit, dyſuria autem diuturna & pertinax ex *Bærhaavii* ſententia ita nata eſſe videtur, quod forte veſica lotio ſuppreſſo mire expanſa, ingenti illa tam urinam emittendi, quam parturiendi, preſſione, vaginam adeo dilatavit, ut ſub ore matricis, ubi minor reſiſtendi vis eſt, ſacculus ſub herniæ veſicalis ſpecie fuerit formatus, qui tumorem illum laxum veſicalem in vagina conſtituit. In quo ſubſiſtens urina quoniam preſſioni non amplius fuit expoſita, veſicæ actio in lotium non tam egit, illudque expulit, quam potius, ſacculum illum dilatando, mictionem difficiliorem reddidit. Urinæ ſedimentum glutinoſum, cruoris, ſaniei, puriſque ichoroſi, particeps, ulcus veſicæ ſerpens, cum magna humorum coctorum, ſemicoctorum, & crudorum, in hac parte colluvie indicavit, febriculam vero cum veſicæ inflammatio, tam pus ichoroſum, per venas abſorptum, aluit. In curando hoc morbo atroci dubiique eventus *Bærhaavius* primum eo reſpexit, ut veſicæ exulceratio ſanaretur. Quo conſilio remedium catharcticum validiſſimum in uſum vocavit, ut tentaret, an forte materia glutinoſa vitrea, in veſica hærens, incidi, reſolvi, eliminari, ſimulque diatheſis ulceroſa corrigi, queat. Fuit id Mercurius præcipitatus albus, cujus grana duo, cum radice Jalappæ, Scammon. & Sacchar.

char. mixta, triginta & plures alvi dejectiones excitarunt, cum quibus ingens semper aquæ copia ex vesica prodiit, haud secus, ac si ptyalismi species inferiora invasisset. Virium prostratarum causa postea per tres hebdomades septimo quovis die unicum tantum ejus granum, cum aliis mixtum, vesperique haustus anodynus datus fuit. Deinceps de pristino vesicæ robore restituendo laboravit. Propterea mulier ipsius jussu & omni semihora lotium reddidit, & diebus a purgatione liberis quavis hora unciam unam decocti blande detergentis, acrimoniam temperantis & traumatici, ex rad. Bardan. Eryngii, Glycyrrhizæ, Nitroque puro, parati, ebibit, ut ita ad vesicam, tanquam corruptorum humorum sentinam, blandi semper humores advehe-rentur. Tertio providit, ne tumor, vaginam opplens, amplius prolaberetur, sed potius sensim magis magisque repelleretur. Hinc mulieri autor suasorque fuit, ut spongiam siccam, huic negotio accommodatam, in pudenda immitteret, tam felici successu, ut post aliquot menses tumor minueretur, &, cum antea pugni minoris magnitudinem superasset, jam mole sua vix nucem juglandem exæquaret. Omnibus his mixtura quædam, putredini resistens, ex aqua Fœniculi, Opio, Spir. Salis dulc. & Rob Sambuci addita fuit, hocque modo ægrota, mutatis tamen iis; quæ pro morbi statu & symptomatum præsentia mutanda erant, tredecim hebdomadum spatio ita convaluit, ut prioribus ex symptomatibus vix unicum, & tantum reliquiæ superessent quædam, sicque ipsa nosocomio dimitteretur.

INVESTIGATIO ANALYTICA THEOREMATIS BERNOULLIANI, pro Rectificatione Curvarum, quod absque Analysi & Demonstratione legitur in hisce Actis A. 1697 Mens. Octobr. pag. 463. Autore JO. THEOPHILO WALZIO, A. M.

I. Sub finem Seculi superioris Vir summus, *Jo. Bernoullius*, cujus opera incredibiles ad Geometriam reconditiorem factæ sunt accessiones, Theorema exhibuit universale, rectificationi Curvarum inserviens, cujus ope ad datam Curvam irrectificabi-

ficabilem alia inveniri poteſt, quæ cum propoſita ſummam conſtituat vel differentiam abſolute rectificabilem. Ita autem paucis habet: „ Si, poſitis Curvæ datæ Coordinatis x & y, fiat „alia Curva, cujus coordinatæ ſint $\frac{x\,dy^3}{dx^3}$ & $\frac{3x\,dy^2}{2dx^2} - \frac{1}{2} \int. \frac{dy^2}{dx}$, „erunt ambæ Curvæ ſimul ſumtæ abſolute rectificabiles, & conſtituent rectam, quæ ſe habebit ad abſciſſam Curvæ datæ x, ut „Cubus Tangentis ad Cubum Subtangentis in eadem Curva data.„

II. Analyſin Theorematis excellentis ſupprimere tum temporis placuit Viro Celeberrimo, cum calculum depoſceret paulo profuſiorem. Fuere fortaſſis aliæ adhuc rationes, illa præcipue, quod non niſi Geometris primi ordinis, nequaquam vero tyronibus, ſcripſerit. Quicquid vero hujus ſit, ego quidem, lecto Theoremate, id maxime in votis habui, ut in analyſi ejus inquirenda mihi liceret proficere. Quæ vero eam in rem meditatus fui, nunquam in lucem emittere animus fuit, niſi in *Actis A. 1737 Menſ. Febr. pag. 82* vidiſſem, ipſum Virum Cel. exhibuiſſe Analyſin Quadraturæ cujusdam Curvæ exponentialis, quam ſuperiore itidem Seculo jam dederat, eo ſane animo, ut iis, qui Geometriæ ſtudent, facilior ad ea aditus pateat, quæ alias non niſi ingenti laboris & temporis diſpendio percipiuntur. Quæ cum ita ſint, non ægre laturum ſpero Virum Cel. quod calculum, quem ad inveſtigandum Theorema inii, ea, qua poſſum, perſpicuitate hic proponam.

III. Sit æquatio differentialis Curvæ cujuscunque, cujus Coordinatæ ſunt x & y, talis, $dy = p\,dx$, ubi p eſt functio qualiscunque ipſius x. Elementum Curvæ erit $= dx \sqrt{(1+p^2)}$. Ejus integrale (per methodum integrandi *Bernoullianam* in *Actis Erud. A. 1694 pag. 437*) $= x\sqrt{(1+p^2)} - \int. \frac{x\,p\,dp}{\sqrt{(1+p^2)}}$. Igitur, ſi adjiciatur $\int. \frac{x\,p\,dp}{\sqrt{(1+p^2)}}$, ſumma foret Quantitas finita & algebraica, ſcilicet $= x\sqrt{(1+p^2)}$. Res igitur eo rediret, ut conſtrueretur Curva, cujus elementum ſit $= \frac{x\,p\,dp}{\sqrt{(1+p^2)}}$, quod dicatur du, igitur $du = \frac{x\,p\,dp}{\sqrt{(1+p^2)}}$ & du

& $du^2 = \frac{x^2p^2dp^2}{1+p^2}$; hoc itaque Quadratum deberet dividi in duo alia, cujus latera vel ſint integrabilia, vel ſaltem ad conſtructionem redigenda. At vero inveniuntur hæc latera $= \frac{xpdp}{\surd(2-2\surd-p^2)}$ & $\frac{xpdp}{\surd(2+2\surd-p^2)}$, adeoque Curva, cujus coordinatæ forent $\int.\frac{xpdp}{\surd(2-2\surd-p^2)}$ & $\int.\frac{xpdp}{\surd(2+2\surd-p^2)}$, conſtructu ſemper eſt impoſſibilis. Quamobrem hac ratione ſcopo potiri non datur.

IV. Quæ cum ita ſint, de eo diſpicio, ut efformare poſſim quantitatem finitam univerſaliſſimam, cujus differentiale includat aliquem terminum, qui ſimpliciter ſit $= \surd(dx^2+dy^2)$ vel $(dx^2+dy^2)^{\frac{1}{2}}$. Cumque finita quantitas terminis infiniteſimalibus exprimi poſſit, formo ex poteſtate quadam ipſius $(dx^2+dy^2)^{\frac{1}{2}}$ & unius ex coordinatarum elementis hanc quantitatem finitam, $G = \frac{A(dx^2+dy^2)^{\frac{n}{2}}}{dx^n}$, dividoque potius per dx^n, quam per dy^n, quia $dy^n = p^n dx^n$, nullaque adeo mutatio foret, niſi quod loco A ſcribendum eſſet $\frac{A}{q^n}$. Differentiando hanc quantitatem, ponendo dx conſtans, erit $dG = \frac{dA(dx^2+dy^2)^{\frac{n}{2}} + nA(dx^2+dy^2)^{\frac{n-2}{2}}dyddy}{dx^n}$. Quodſi loco $(dx^2+dy^2)^{\frac{n}{2}}$ ſcribatur $(dx^2+dy^2)^{\frac{1}{2}}.(dx^2+dy^2)^{\frac{n-1}{2}}$, & dx^2+dy^2 actu elevetur ad dignitatem $\frac{n-1}{2}$, erit $dG =$ $[dA(dx^2+dy^2)^{\frac{1}{2}}(dx^{n-1}+\frac{n-1}{2}dx^{n-3}dy^2 + \&c.) + nA(dx^2+dy^2)^{\frac{n-2}{2}}dyddy] : dx^n$. Ex quo perſpicuum eſt, Terminum hunc $\frac{dAdx^{n-1}(dx^2+dy^2)^{\frac{1}{2}}}{dx^n}$ ſimpliciter exhibiturum $dx^2+dy^2)^{\frac{1}{2}}$, ſi ſit $\frac{dAdx^{n-1}}{dx^n} = 1$, unde $A = x$, ergo

quanti-

quantitas $G = \frac{x(dx^2+dy^2)^{\frac{n}{2}}}{dx^n}$. Quicquid igitur pro n substituatur, in differentiatione semper proveniet terminus $(dx^2 + dy^2)^{\frac{1}{2}}$.

V. Huic itaque Quantitati G æquari pono summam ex arcu Curvæ propositæ, qui respondet coordinatis x & y, & ex arcu Curvæ adjiciendæ, quam, in eo sum, ut inveniam. Ubi statim patet, coordinatarum quamlibet exprimi debere per fractionem, cujus denominator sit $= dx^n$. Una coordinatarum igitur sit $= \frac{z\,dy^2}{dx^n} = r$, ut modo, quam fieri potest, simplicissimo exprimatur. Altera sit $= \frac{u}{dx^n} = t$; ubi jam per calculum determinandæ sunt z, n, & u. Est vero per conditionem Probl. $\surd(dt^2+dr^2) + \surd(dx^2+dy)^2 = dG$, unde $dt = \surd(dG^2 - dr^2 - 2dG\surd(dx^2+dy^2) + dx^2+dy^2)$, & $du = dt\,dx^n = dx^n \surd(dG^2 - dr^2 - 2\,dG\surd(dx^2 + dy^2) + dx^2 + dy^2)$.

VI. Est vero $dG^2\,dx^{2n} = dx^2(dx^2+dy^2)^n + 2nx\,dx(dx^2 + dy^2)^{n-1}\,dy\,ddy + n^2x^2(dx^2+dy^2)^{n-2}\,dy^2\,ddy^2$, id est, si termini evolvantur, $= dy^{2n}\,dx^2 + n\,dy^{2n-2}\,dx^4 + \frac{n.\overline{n-1}\,dy^{2n-4}}{2}\,dx^6 +$ &c. $+ 2nx\,dx\,dy\,ddy\,[dy^{2n-2} + (n-1)\,dy^{2n-4}\,dx^2 +$ &c.$] + n^2x^2dy^2\,ddy^2\,(dy^{2n-4} + (n-2)\,dy^{2n-6}\,dx^2 +$ &c.$)$. Porro est quoque $dr = \frac{dz\,dy^n + nz\,dy^{n-1}\,ddy}{dx^n}$, adeoque $dr^2dx^{2n} = dz^2dy^{2n} + 2nz\,dz\,dy^{2n-1}\,ddy + n^2z^2dy^{2n-2}\,ddy^2$. Quamobrem erit $(dG^2 - dr^2)\,dx^{2n} = dy^{2n}\,dx^2 + n\,dy^{2n-2}\,dx^4 +$ &c. $+ 2nx\,dx\,dy\,ddy\,[dy^{2n-2} + (n-1)\,dy^{2n-4}\,dx^2 +$ &c.$] + n^2x^2dy^2\,ddy^2\,[dy^{2n-4} + (n-2)\,dy^{2n-6}\,dx^2 +$ &c.$] - dz^2\,dy^{2n} - 2nz\,dz\,dy^{2n-1}\,ddy - n^2z^2\,dy^{2n-2}\,ddy^2$. Comparando jam inter se terminos $dy^{2n}\,dx^2$ & $dy^{2n}\,dz^2$, item

$2nz\,dz$

$2nzdzdy^{2n-1}ddy$ & $2nxdxdy^{2n-1}ddy$, nec non $n^2z^2dy^{2n-2}ddy^2$ & $n^2x^2dy^{2n-2}ddy^2$, manifestum est, Terminorum numerum minui, adeoque expressiones jam maxime simplices fore respectu z, si sit $z = x$, adeoque $\frac{zdy^n}{dx^n} = \frac{xdy^n}{dx^n}$. Erit igitur $(dG^2 - dr^2)\, dx^{2n} = n\, dy^{2n-2} dx^4 + \frac{(n.n-1)}{2} dy^{2n-4} dx^6 +$ &c: $+ 2nxdxdy\, ddy\, [(n-1) dy^{2n-4} dx^2 + \frac{(n-1.\, n-2)}{2} dy^{2n-6} dx^4 +$ &c.] $+ n^2x^2dx^2dy^2ddy^2\, [(n-2)\, dy^{2n-6} dx^2 + \frac{(n-2.\, n-3)}{2} dy^{2n-8} dx^4 +$ &c.]

VII. Ex potestatum vero genesi patet, esse $n\, dy^{2n-2} dx^4 + (n.\, n-1)\, dx^{2n-4} dx^6 +$ &c. $= n\, dx^2 (dx^2 (dx^2 + dy^2)^{n-1}$; pariter, $(n-1)\, dy^{2n-4} dx^2 + (n-1.\, n-2)\, dy^{2n-6} dx^4 +$ &c. esse $= (n-1)\, dx^2 (dx^2 + dy^2)^{n-2}$; nec non, $(n-2)\, dy^{2n-6} dx^2 + (n-2.\, n-3)\, dy^{2n-8} dx^4 + \frac{(n-2.\, n-3.\, n-4)}{2} dy^{2n-10} dx^6$ esse $= (n-2)\, dx^2\, (dx^2 + dy^2)^{n-3}$. Quamobrem non difficulter perspicitur, posse sic scribi: $(dG^2 - dr^2)\, dx^n = dx^2\, [n dx^2 (dx^2 + dy^2)^{n-1} - \frac{1}{2}(n.\, n-1)\, dx^4 dy^{2n-4} -$ &c.] $+ 2nxdx^3dyddy\, [(n-1)\, (dx^2 + dy^2)^{n-2} - \frac{1}{2}(n-1.\, n-2)\, dy^{2n-6} dx^2 -$ &c.] $+ n^2x^2 dx^2 dy^2 ddy^2\, [(n-2)\, (dx^2 + dy^2)^{n-3} - \frac{1}{2}(n-2.\, n-3)\, dx^2 dy^{2n-6} -$ &c.] Quare, cum sit $2dGdx^{2n}\Upsilon\, (dx^2 + dy^2) = 2dx^{n+1} (dx^2 + dy^2)^{\frac{n+1}{2}} + 2nxdx^n dyddy (dx^2 dy^2)^{\frac{n-1}{2}}$, & $(dx^2 + dy^2) dx^{2n} = dx^{2n+2} + dy^2\, dx^{2n}$, erit tandem $dx^{2n}\, (dG^2 - dr^2 - 2dG\Upsilon\, (dx^2 + dy^2) + dx^2 + dy^2) = dx^2\, [ndx^2 (dx^2 + dy^2)^{n-1} - \frac{1}{2}(n.\, n-1)\, dx^4 dy^{2n-4} - \frac{1}{3}(n.\, n-1.\, n-2)\, dx^6 dy^{2n-6} -$ &c.] $- 2dx^{n+1} (dx^2 + dy^2)^{\frac{n+1}{2}} + dx^{2n+2} + dy^2 dx^{2n}$

 $+2nx$

$+2nxdx^3dyddy\,[(n-1)\,(dx^2+dy^2)^{n-2}-\frac{1}{2}(n-1.\,n-2)\,dy^{2n-6}\,dx^2-\frac{1}{3}(n-1.\,n-2.\,n-3)\,dy^{2n-8}\,dx^4-\&c.]$

$-2nxdx^n dyddy\,(dx^2+dy^2)^{\frac{n-1}{2}}$

$+n^2x^2dx^2dy^2ddy^2\,[(n-2)\,(dy^2+dx^2)^{n-3}-\frac{1}{2}(n-2.\,n-3)\,dy^{2n-6}dx^2-\&c.]$ --- cujus Radix quadrata est $=du=dtdx^n$.

VIII. Supereſt jam determinandus valor exponentis n, ut expreſſio hæc, quam fieri poteſt, ſimpliciſſima evadat. Quemcunque numerum pro n ſubſtituere volueris, ſemper habebis valores coordinatarum curvæ quæſitæ, tales, ut proveniat $\sqrt{(dr^2+dt^2)}+\sqrt{(dx^2+dy^2)}=dG$, ut ex ipſo, quem hactenus inſtituimus, proceſſu ſatis eſt manifeſtum. Erit tamen inter omnes valores poſſibiles aliquis, quo hæc quantitas, vinculo radicali incluſa, ad maximam ſimplicitatem redigitur. Quem ut invenire liceat, conſiderandum eſt, ut expreſſio maxima gaudeat ſimplicitate, id agendum eſſe, ut termini complicatiſſimi ſe mutuo, quantum fieri poteſt, deſtruant. Complicatiſſimi procul dubio ii ſunt, quos ingreditur aliqua poteſtas ipſius dx^2+dy^2. Comparando igitur, vel potius identificando, $dx^{n+1}(dx^2+dy^2)^{\frac{n+1}{2}}$ & $dx^4(dx^2+dy^2)^{n-1}$, ſtatim invenio $n=3$. Pariter, identificando, neglectis coefficientibus, $dx^3dyddy\,(dx^2+dy^2)^{n-2}$ & $dx^n dyddy\,(dx^2+dy^2)^{\frac{n-1}{2}}$, patet, n iterum eſſe $=3$. Nec minus perſpicitur, poſito $n=3$, terminum $(dy^2+dx^2)^{n-3}$ in unitatem, & reliquos poſt ipſum in nihilum plane abire. Nulla vero alia ſubſtitutione talem ſimplicitatem obtineri poſſe, ſatis eſt clarum, modo levis adhibeatur attentio, nec operoſiori explicatione indigere videtur.

IX. Invento jam hoc valore exponentis n, nihil amplius agendum eſt, quam ut legitime ſubſtituatur; quo facto, invenietur $dx^6\,(dG^2-dr^2-2dG\sqrt{(dx^2+dy^2)}+dx^2+dy^2)$

$$=dx^4(dx^2+dy^2)^2+6xdx^3(dx^2+dy^2)dyddy+9x^2dx^2dy^2ddy^2),$$
$$-2dx^6dy^2-6xdx^5dyddy$$
$$-dx^8$$

hoc

hoc eſt, terminis evolutis,
$= dx^4 dy^4 + 6x dx^3 dy^3 ddy + 9x^2 dx^2 dy^2 ddy^2$, quod eſt quadratum perfectum, cujus radix $= dx^2 dy^2 + 3x dx dy ddy$. Eſt igitur $dt dx^n = dt dx^3 = dx^2 dy^2 + 3x dx dy ddy$. Adeoque dt, ſive Elementum alterius ex coordinatis curvæ quæſitæ $= \frac{dy^2}{dx} + \frac{3x dy ddy}{dx^2}$, & $t = \int. \frac{dy^2}{dx} + 3\int. \frac{x dy ddy}{dx^2}$. Ponatur $3 \int. \frac{x dy ddy}{dx^2} = \frac{3x dy^2}{2dx^2} + R$. Differentiando jam, & dx, ut hactenus, conſtans ponendo, erit $\frac{3x dy ddy}{dx^2} = \frac{3x dy ddy}{dx^2} + \frac{3dy^2}{2dx} + dR$. Igitur erit $\frac{3dy^2}{2dx} = -dR$, vel $-\frac{3dy^2}{2dx} = dR$, unde $R = C - \frac{3}{2}\int. \frac{dy^2}{dx}$, ubi C quantitatem conſtantem deſignat. Quamobrem eſt $t = \frac{3x dy^2}{2dx^2} + C - \frac{3}{2}\int. \frac{dy^2}{dx} + \int. \frac{dy^2}{dx} = \frac{3x dy^2}{2dx^2} - \frac{1}{2}\int. \frac{dy^2}{dx} + C$, vel ſine conſtante $= \frac{3x dy^2}{2dx^2} - \frac{1}{2}\int. \frac{dy^2}{dx}$. Inventæ igitur ſunt coordinatæ curvæ adjiciendæ, ſcilicet, $r = \frac{x dy^3}{dx^3}$, & $t = \frac{3}{2} \frac{x dy^2}{dx^2} - \frac{1}{2}\int. \frac{dy^2}{dx}$.

Quantitas autem G eſt $= \frac{x(dx^2 + dy^2)^{\frac{3}{2}}}{dx^3}$, huicque æqualis eſt ſumma ex arcu Curvæ propoſitæ & ex arcu Curvæ modo inventæ. Eſt vero $dx^3 : (dx^2 + dy^2)^{\frac{3}{2}} = x : G$, & cubus Elem. abſciſſæ (dx^3) ad Cub. Elem. Curvæ $(dx^2 + dy^2)^{\frac{3}{2}}$ ut Cubus Subtangentis ad Cubum Tangentis: Ergo Cub. Subtang. Cub. Tang. $= x : G$, vel invertendo, $G : x =$ Cub. Tang. : Cub. Subtangentis. *Q. E. I.*

 X. Quo-

X. Quoties igitur cunque $\int . \frac{dy^2}{dx}$ integrari poterit, toties Curva adjicienda erit algebraica, prout Vir Celeb. loco citato notavit. Interim tamen, quicunque numerus pro n ponatur, Curva quæsita construi saltem poterit, quoniam $dy = pdx$. E. g. Quodsi $n = 2$, erit $r = \frac{xdy^2}{dx^2}$ & $dt = (\surd(2dx^6 + 3dy^2dx^4 - 2dx^3(dx^2+dy^2)^{\frac{3}{2}} + 4xdx^3dyddy - 4xdx^2(dx^2+dy^2)^{\frac{1}{2}}dyddy)) : dx^2$, quæ construi poterit, loco dy ponendo pdx. Interim excipiendus videtur casus, qui videri posset simplicissimus, quando $n = 1$, tunc enim series $n^2x^2dx^2dy^2ddy^2\,[(n-2)(dx^2+dy^2)^{n-3} - \frac{1}{2}(n-2.n-3)dy^{2n-6}dx^2 - \&c.]$ nunquam abrumpitur.

XI. Atque sic quidem exposui calculum, quo in investigando hoc Theoremate usus fui, prolixum potius, quam arduum; quem si inprimis Viro Celeberrimo, cujus merita impense colo, non prorsus displicere intellexero, erit, de quo multum mihi gratuler. Annus effluxit, ex quo analysin hanc primum institui; quam in publicum nunquam emisissem, nisi ratio §. II allegata me eo adduxisset.

THE USEFULNESS OF THE STAGE TO RELIgion and to Government, &c.

h. e.

USUS THEATRI SCENICI IN ECCLESIA & Republica, seu commoda varia, quæ ex Dramate, a prima inde ejus institutione ad hoc usque tempus, ad omnes gentes redundarunt. Editio altera.

Londini, apud Cooperum, 1738, 8.

Plag. 4.

Haud adeo magnæ molis libellus, quippe sexaginta tantum paginis absolutus, vix equidem ea præstiturus, prima specie, videtur, quæ satis amplo, quem fronte gerit, titulo promittit. Nisi tamen omnino fallimur, satis recte, quanquam non

non minus breviter ac ſuccincte, munere ſe ſuo exſolvit Autor. Anonymus is eſſe peroptavit; forte, quo liberius, quæ ſentiret, liceret edicere. Quæ tamen ita dixit, ut, quid & hic

ſit verum, quid turpe, quid utile, quid non,
Rectius & melius

cenſuiſſe judicandus ſit, quam plerique cenſuerunt, qui noſtra ætate de re ſcenica memoriæ aliquid prodiderunt. Namque & in his, quæ durius quodammodo ab ipſo pronuntiata ſunt, ita ſe geſſit, ut ex veri æquique amore proveniſſe ea videantur. Secunda hæc eſt, uti titulus præ ſe fert, libelli editio, cujus vero priorem nos adhuc quidem ignoramus, nemini fortaſſe magis cognitam. Sine dubio tamen, ut aliquam fingeret, ſuæ Autori fuerunt cauſæ; quas inquirere, jam noſtrum non eſt, licet invenire cuvis facile. Præfationis, libro præmiſſæ, hæc fere ſententia eſt: Lapſum rei ſcenicæ vulgo, nec injuria, adſcribi præpoſtero ludicrorum ſpectaculorum amori. Non parum tamen ejus mali ad imprudentiam & iniquitatem eorum referendum eſſe, quorum cura & autoritate apud cives ſuos theatra adminiſtrentur: quippe qui omnes Dramaticorum Poetarum operas contemtim rejiciant, quas ampliſſimo ſibi lucro fore, Autores ipſarum certiſſimo pignore contendere non poſſint. Inde repelli ſcribendi conatum, & ardorem ſcriptorum exſtingui. Unicum fabularum autoribus illud eſſe refugium, quod eas prelo ſubjicere adhuc licuerit. Ipſius autem tractationis *tria* velut *Capita* ſunt. *Primum* illud eſt, quod de uſu a theatris ad religionem dimanante exponit. Ubi breviter deducit Autor, quemadmodum religionem naturalem eo ſcena juvet, quod præſupponat atque ſtabiliat omnes ejus articulos; eſſe ſcilicet Deum providentiamque, immortales eſſe noſtros animos, futura præmia ac pœnas, ideoque officiis Deum, ſocios naturæ, nos denique ipſos reſpicientibus ſatisfaciendum. Concedit deinde, expoſitionem quidem myſteriorum divinitus patefactorum non convenire tragicis comicisque ludis: quo tam modo & ad iſta his præparetur animus virtutis commendatione, docet; exemplis rem declarat, liberumque eſſe vult iis, qui pro ſcena ſcribunt, omnium ætatum, opum, dignitatum, perſtringere vitia,

atque explodere. Ac, ne quis ſe, qui pro re ſcenica ſtet, indiſcriminatim defendere putet ipſos quoque lapſus & vulgaria vitia ſive ſcribentium, ſive in ſcenam prodeuntium, ſolenniter ac ſedulo monet, non niſi puritati ſpectaculorum (*the Stage in its Purity*) ſeſe patrocinari. Eaque fini, falſo ſcripturæ genere, hiſtrionum, pantomimorum, ſcurrarum, petauriſtarum, catadromorum, imo & eorum ludorum, quos Itali, ipſo etiam vocabulo ceteris linguis nauſeato, *Opere* nuncupant, ineptas nugas traducit: argumenta vero, quibus aliquid præſidii ludicrarum ejusmodi artium patronis ineſſe videatur, ſtrenue refellit; quamque parum adhuc ſcriptores ac mimi Anglici bonæ ſcenæ legibus ſatisfecerint, ſuccincta Londinenſis theatri hiſtoria ſubjecta declarat. *Secundi Capitis*, quo id ſibi ſumſit Autor, ut, ſcenam generatim hominibus utilem eſſe, & ad ipſorum felicitatem conducere, oſtendat, hæc fere ſumma eſt: Felicitatem hominis in delectatione ipſius ſitam eſſe. Delectationem ab affectionibus animi proficiſci; ea tamen lege, ut nec repugnante voluntate, nec ratione contradicente, motus illi oriantur. Inde, quo quisque νομιμωτέρυς habeat animi motus, eo magis eum delectari. Quo quis minus ejusmodi affectuum regimini & temperamento adſuetus ſit, ut Angli, hoc illi magis eam & commotionem & manſuefactionem utilem eſſe. Hanc ipſam ſcenæ legitime inſtructæ eſſe negotium. Inde vero apparere, quantum juvent boni ludi mortalium felicitatem. Neque eſſe, quod, doceri vitia fabulis, quisquam putet. Illa enim ipſa vitia, quorum introductorum aut defenſorum rea habeatur ſcena, tantum abeſſe, ut ipſius fœtus judicari poſſint, ut, præterquam, quod ibi quoque ſæpiſſime vigeant, ubi nullum unquam datum ſit ſpectaculum, eadem potius quaqua ratione in ſcena derideantur, in contemtum adducantur, ſpectatorum exponantur odio. *Tertium Caput* agit de utilitate reipublicæ e dramatibus capienda. Et Principum & civium vitia ſpectaculis corrigi, Autor aſſerit. Oſtendi enim fabulis triſtes proventus mollitiei, inconſtantiæ, imprudentiæ ducum. *Æſchylum*, *Sophoclem*, *Scipionem*, *Lælium*, *Lucullum*, *Pompejum*, *Mæcenatem*, *Julium*, *Auguſtum*, omnes ſcenæ amatores, maximam partem

partem & ſcriptores, ſimul ſummos in republica viros fuiſſe. Apud Gallos vero Purpuratum Patrem *Richelieu* complures feciſſe fabulas: nec dedignatam *Eliſabetham*, Anglorum Reginam, quæ *Euripidis* aliquod Drama ex Græco converteret. Deinde Theſſalorum tyrannum, hominem crudeliſſimum, ſpectaculo, quo *Euripidis Hecuba* agebatur, ante finem fabulæ excedentem, (ne ſcilicet nimium moveretur *Polyxenæ* malis,) vix ac ne vix quidem a lachrymis temperaſſe. Idem enim a Tragœdia ſperandum eſſe, quod Arcadas a Muſica impetraſſe conſtet. Ceterum a theatro dejectæ ſuperbiæ exemplis ambitionem refrenari, rebelles contineri in officio animos, inculcari juſtitiam. Hiſtoria teſte conſtare, easdem respublicas quam maxime floruiſſe, ubi maxime theatra floruerint. Græcorum gentem a *Theſeo* ad *Theſpin* DCC annos rudem contemtamque, mox a *Theſpi* ad *Sophoclem* tragicis ludis, ſolos C annos cultam, claram armis, artibus, eloquentia, factam, Orienti terrorem incuſſiſſe. Nec Romanos ſive tutos a vicinis, ſive etiam terrarum dominos, exſtitiſſe, niſi a tempore *Livii Andronici*. Gallos tum fuiſſe potentiſſimos, cum plurimus Dramati apud eos fuerit honor. Anglos vero, cives ſuos, nunquam rectius cognitum habuiſſe, quid reipublicæ libertatique ſuæ conducat, quam ex quo culta apud eos fuerint theatra. Appendicis loco adjecta eſt libello Epiſtola, ad Anglos ſpeciatim pertinens, in qua ipſius Autor, ingenium & mores civium ſuorum reſpectu ſcenæ correcturus, nævos ipſorum, epidemici ac peſtilentialis morbi nomine, non lepido minus, quam acuto & ſalſo, dictionis genere perſtringit. Nos, ſi quid amplius hoc in libello præſtari debuit, atque præſtitum eſt, id fere unum optaſſemus, ut quædam argumenta quodammodo diductiora daret, & nomina quædam, primis tantum notata ſtigmatibus, ſed vel ſic Anglis ſuis nota, (e. c. *L—d Ch—n*, *Lord Chamberlain*,) plene exprimeret, in gratiam eorum, quibus, ſufficienti Londinenſium rerum cognitione non inſtructis, iſti literarum defectus aliquam in legendo creant moleſtiam.

QUA-

QUATUOR PRIMA CAPITA GENESEOS, Turcice & Latine, ex gemino Pentateuchi Mosaici MSto Codice Turcico eruit, Latine vertit, Notulasque adsperſit, NICOLAUS GUILIELMUS SCHROEDERUS, J. J. Filius, Marpurgenſis, Haſſus.

Lipſiæ, 1739, 4.

Plag. 6½.

Editor hujus Opuſculi, Juvenis admodum eruditus, Profeſſoris Linguarum Orientalium Marburgenſis celeberrimi filius, laudem omnino meretur, quod verſionis Turcicæ Codicis ſacri Specimen hoc imprimendum ſuis ſumtibus curare voluit. Eſt quidem illud exiguum integræ Bibliorum S. translationis ἀποσπασμάτιον, ſed ob raritatem atque præſtantiam omni æſtimatione dignum. Quippe in eo textum ex duobus Manuſcriptis, Amſtelædamum Conſtantinopoli allatis, pretioque haud levi ſane coemtis, exhibuit. Verſionis hujus Autor eſt *Albertus Bobovius*, patrio idiomate, quia natione Polonus fuit, *Bobovski* appellatus, qui a Tataris in adoleſcentia captus, & Turcis dein venditus, viginti fere annis in palatio Imperatoris, quod *Sarai*, ſeu Italice *Seraglio*, vocant, educatus fuit. Multarum vero linguarum, Hebrææ, Græcæ, Latinæ, Arabicæ, Perſicæ, præter Polonicam vernaculam & Turcicam, peritia, ac conjunctis cum ea variis diſciplinis & artibus, probe imbutus atque excultus cum eſſet, a *Mohammede* IV Imperatore ſplendidum Interpretis primarii munus, ac titulum *Ali Beghii*, obtinuit. Attamen, agnito religionis Mohammedicæ errore, ad Chriſtianam revertit, &, Conſtantinopoli relicta, in Angliam abire voluit, ſed in laudabili hoc conſilio mors præveniens ipſum impedivit. Præter hanc verſionem Codicis ſacri, Grammaticam quoque, & Lexicon linguæ Turcicæ, & librum de Turcarum Liturgia, a Cl. *Hydio* editum, conſcripſit, Catechiſmum inſuper Eccleſiæ Anglicanæ, & Januam Linguarum auream, in dialectum Turcicam transtulit. Interpretis venuſti & accurati laudem ei non immerito tribuit Editor, qui in verſione Latina

Latina illum κατὰ πόδα ſecutus eſt, &, ſervato plerumque verborum ordine, in gratiam tyronum, ſingularum vocum veram ſignificationem expreſſit, variantes lectiones ex binis Codicibus, quos poſſidet, punctato & non punctato, notavit, atque obſervationes quasdam, textum illuſtrantes, ex Scriptoribus Arabicis, Perſicis, & Turcicis, adjecit. In fine Præfationis totum Pentateuchum, Compendium Juris Mohammedici ſacri & civilis, *Abu Schagjai Ahmedis Haſanidis*, Ispahanenſis, Arabice ſcriptum, & quædam Æthiopica, edenda promittit.

SYNTAGMA HISTORICO-PHILOLOGIcum de re militari veterum, præcipue Romanorum, accurante JO. CHRIST. KIESENWETTERO, Gymnaſii Vinar. Rectore.

Erfurti, ſumtibus Caroli Friderici Jungnicolii, 1736, 8.
Alph. 2 plag. 5.

Nullum profecto argumentum, ex rituum antiquorum hiſtoria depromtum, majori difficultate laborat, nullaque res perluſtrantibus ſcripta veterum magis remoram injicit, quam veſtium Romanarum facies, & cerimoniæ in bello adhiberi ſolitæ. Illa diſquiſitio infinitis fere minutiis nititur, quarum incurioſa fuit gens Romana, ſupra fidem alias in conſignandis rebus ſuis ſedula: hæc, quamvis ab eruditis neglecta non ſit, tantum tamen abeſt, ut clara ſatis luce coruſcet, ut ſpinoſa adhuc, & nævis polluta, maximam partem videatur. Cauſa illorum defectuum vel in tractatione, qua iſti rerum antiquarum ſcrutatores adhuc uſi ſunt, vel in quibusdam aliis eruditorum vitiis, quærenda eſt, qui ſæpiſſime fumum vendere, & obſcurare magis res veteres, quam illuſtrare, ſolent. Non enim in extricandis ejusmodi rebus arduis compilare aliorum ſcrinia ſufficit, nec, quicquid veterum ſcripta ſubminiſtrant, in noſtras elucubrationes transferre ſatis eſt, ſed argumenti gravitas poſcit, ut temporis rationem habeamus, ne, quæ libera re publica evenerunt, commiſceamus cum ritibus, collapſa jam & Imperatorum legibus obſequente Roma uſitatis. Ita egregie tenelli juvenes

ſæpenumero falluntur, qui, dum disjectas ubivis, & nullo adductas ordine, doctrinas memoriæ mandant, neſcio quos errores, difficillime poſtea eradicandos, animo imbibunt. Non pœnitebit Lectorem pauca hæc legiſſe prius, quam ipſe ad libellum a nobis indicandum accedat. Ex his enim ſatis abundeque conſtabit, ſitne Cl. Autoris labor ea laude mactandus, qua operam literis elegantioribus impenſam alias afficere lubentiſſime ſolemus. Multa quidem collegit Syntagmatis hujus conditor, ad intelligentiam veterum Scriptorum facientia, ſed nulla ordinis, ſine quo fruſtra talis labor inſumitur, ratione habita. Optaremus igitur, ut *Nieuportii* veſtigia preſſiſſet, & perpetua narratione rem militarem veterum delineaſſet, ipſa vero ſcriptorum veterum loca textui ſubjecta dilucidius expoſuiſſet. Nam, quid emolumenti illæ alphabetico ordine digeſtæ res legentibus ſint allaturæ, nos non perſpicimus. Nauſeat jam tales ſcriptiunculas ætas noſtra, & aſpernatur merito Commentationes Lexicorum more evulgatas, utpote quæ ob deficientem nexum juvenes ad alias atque alias res avocant penſitandas, & diligentiſſimo etiam lectori faſtidium movere ſolent. Si igitur Cl. Autor, commodis Gymnaſii Vinarienſis inſerviturus, rem militarem Romanorum illuſtrare in animo habuit, præclare ſuam collocaturus erat operam, ſi, adhibitis temporum notis, militiæ Romanæ conditionem ſub Regibus primo exponeret, deinde ad liberam progreſſus rempublicam, oſtenderet rationem dilectuum, exercituum, cohortium, legionum, turmarum, caſtrorum, ſignorumque, varietatem, quibus cives ſuos præmiis pellexerint Romani ad fortitudinem bellicam, quo imperio uſi fuerint duces, quibus ritibus, quanta humanitate, ſenatus in æde Bellonæ reduces ex bello victores exceperit, & quæ ſunt aliæ hujus generis utiles pariter ac jucundæ diſquiſitiones. Denique potuiſſet delabi ad diſciplinam militarem, ab Imperatoribus introductam, cujus certe facies adeo immutata fuit, ut procedente tempore ne umbram quidem priſtini ſplendoris, priſtinæque gloriæ, ſervaret. Interim tamen, cum Cl. Editor, recte ita ſuo ſe defunctum eſſe officio, arbitratus ſit, perluſtrabimus jam

pau-

paucis ejus corrasas undique de re militari observationes, ut Lectores sagaciores de Opere ipso judicium ferre incorruptum & a partium studio alienum possint. Ordine alphabetico, uti jam diximus, satis a se dilucidatas putat varias rei militaris notiones, apposita nempe integrorum locorum, ex *Polybio*, *Vegetio*, *Cæsare*, *Dione Cassio*, *Herodoto*, *Herodiano*, descriptorum, congerie. Sed exponendo nonnunquam fecit, ut nihil fere exponat. Non enim rei naturam & conditionem descripsit, sed contentus classicis illis testibus, vocabulo eodem aut eadem formula utentibus, interpretationem suam plane omisit. Quodsi eadem cura omnes elaborasset titulos, qua priorem, ubi *pag.* 1 de *Ablectis* loquitur. *Polybius* de re militari Rom. *Cap.* 4 *§.* 4, nihil equidem haberemus, quod monere possemus, sed, si quid ex ipsius verbis, suspectis sane, divinare licet, paucissima inspexisse antiquorum Scriptorum loca nobis videtur. Nam in Præfamine, *se textum*, ait, *Græcum* Polybii *ex eruditissimo* Pœschelii *de re militari Romanorum Commentario*, *paucis abhinc annis in lucem edito*, *quoad Capita & Paragraphos similiter atque uno modo in hoc Syntagma transtulisse*. Hinc mirum non est, cur tam frigide & perfunctorie res suas pertractet. Sic *pag.* 47 conjiciat Oedipus, si potest, conditionem *Armamentarii* apud veteres ex testimoniis *Curtii*, *Livii*, *Ciceronis*. Nihil enim ibi occurrit, quam nuda vox, cujus passim mentionem injecerunt Scriptores. Ast, quæ forma sit hujus ædificii, quo loco exstructum fuerit, quibus cura armamentarii demandata fuerit, sciunt juvenes cum ignarissimis, ideoque vel nullum inde commodum capient, vel portentosas hac de re opiniones somniare incipient. *Pag.* 48 descripturus *Armaturam*, apponit verba *Vegetii*, ita dicentis: *Illo exercitii genere*, *quod armaturam vocant*, *& a campidoctoribus traditur*, *imbuendus est tiro*; & paulo post: *Armaturæ* sunt *duplices*, *quæ binas consequuntur annonas*, *simplares*, *quæ singulas*. Quid, quæsumus, conducunt hæc ex *Vegetio* translata? Nihil profecto ad rem illustrandam faciunt. Nam dicta *Vegetii* tam diu eadem obscuritate laborant, qua vocabulum *Armaturæ*, quam diu

ſenſus genuinus non eruitur, nec ipſa res graphica quadam deſcriptione vivisque, ut ajunt, coloribus depingitur. Poſſemus facile longiores eſſe, &, quæ animum legentis offenderunt, fuſe enarrare, ſed diſſimulamus reliqua, certiſſime perſuaſum nobis habentes, Autorem non inique laturum qualemcunque cenſuram noſtram, quæ eo unice tendit, ut noſtri homines aliquando majori ſcriptiones ſuas ſolertia elucubrare incipiant, nec adeo exterorum ludibrio ſe exponant, qui noſtros plerumque labores, etiam non merentes, nauci habere ſolent. Prodidit ſe quidem Cl. Autoris in hoc Opere diffuſa lectio, ſed plus laudis ab omnibus tuliſſet, ſi ordinem hac tractatione dignum adhibuiſſet, nec ea deficerent, quæ literis elegantioribus robur & incrementum, juventuti autem uberrimos afferre fructus poſſunt.

ELOGIUM JOANNIS HENRICI LEDERLINI, Philologi Argentoratenſium clariſſimi.

Inter nobiliſſimos & cives & doctores ſuos numeravit haud ita pridem Academia Argentoratenſis *Joannem Henricum Lederlinum*, cariſſimum iis omnibus, quibus elegantiores literæ in pretio habentur, Virum, domi foriſque clariſſimum, idque dudum multiplici linguarum, Hebraicæ inprimis atque Græcæ, cognitione conſecutum, ut nemini majori jure inter Philologos ætatis noſtræ principes locus ſit tributus. Cujus, ante paucos menſes ad meliorem vitam evocati, ſanctam omni tempore memoriam habebimus, &, ut ſeri poſteri virtutem ejus & doctrinam admirentur, earum rerum, quæ pertinent ad laudes tanti Viri, commemoratione vel breviſſima efficiemus. Patriam, ut diximus, Argentoratum habuit, præſtantiſſimorum ingeniorum matrem & altricem, patre hic *Joanne Georgio*, ſartore & cive hujus urbis, matre *Suſanna Reinigia*, natus. Præter conſilium parentum, qui ſuæ eum arti deſtinaverant, factum eſt, ut, auſpiciis *Joannis Leonhardi Frœreiſenii*, Viri Conſularis & Tredecimviri, qui feliciſſimam pueri indolem

dolem penitius inſpexerat, nobilioribus Muſarum ſacris initiaretur, & in Gymnaſio patrio, poſtea etiam in Collegio Wilhelmitano, ſtudiorum ſuorum tirocinia poneret. Septennio hic exacto, A. 1690 Muſas Academicas ſalutavit, eodemque anno primam Philoſophiæ lauream obtinuit. Ab eo tempore totum ſe dedit ſtudiis ſublimioribus, inſtitutione uſus celeberrimorum virorum, in Logica *Wagneri*, in Matheſi *Reichelti*, in Phyſica *Sebizii*, in Eloquentia *Artopœi*, & in doctrina morali *Zentgravii*, quo etiam conflictum moderante A. 1692 Diſſertationis *de Jure affectuum Partem alteram* e cathedra defendit, hoc quaſi ſpecimine futuris Magiſtri honoribus, eodem anno 1692 ipſi collatis, præludens. Præ ceteris autem in ſcholis *Joach. Kühnii*, linguas Orientales magno cum applauſu tunc docentis, & *Jo. Caſp. Khunii*, in arte oratoria vix parem ſui habentis, plurimum profecit. Conſtitutum ipſi fuerat tunc temporis, Theologiæ nomen dare, hocque animo in diſciplinam *Iſaaci Fauſtii*, Theologi egregii, ſe dederat, jamque ex ſuggeſtu ſacro publice verba faciendi facultatem impetraverat; ſed, mutato poſtea conſilio, ſtudiis ſe philologicis addixit, & in agro hoc colendo ſtrenue per omnem vitam deſudavit. Primum induſtriæ præclaræ præmium tulit A. 1695, quo Gymnaſii ſuperioris nominatus eſt Vicarius, & anno ſequenti, *Joannis Bœcleri*, inſignis famæ Medici, qui filii ſui *Joannis* educationem ei commendaverat, autoritate, ſcholas philologicas aperiendi ei venia conceſſa eſt. Idem *Bœclerus* ei autor fuit, ut, eruditionis exornandæ cauſa, iter in regiones exteras ſuſciperet. Abiit igitur primum A. 1700 Francofurtum ad Illuſtrem *Obrechtum*, huic operam ſuam accommodaturus in adornanda nova Operum *Jamblichi* editione. Sed, cum huic inſtituto familia typographorum remoras injiceret, iter ſuum proſecutus eſt in Belgium, ubi jucundam cum *Brouckhuſio*, *Triglandio*, *Jac. Gronovio*, *Perizonio*, *Schalbruchio*, *Jo. Meiero*, *Scherpezelio*, *Francio*, *Hochſtratano*, *Clerico*, *Limborchio*, *Brantio*, *Jac. de Wilde*, inprimis vero *Jo. Georg. Grævio*, cui ob id, quod magni *Kühnii* officinam redoleret, inprimis gratus fuit, amicitiam contraxit.

 Ejus-

Ejusdem suasu *Grævii*, *Onomasticon Pollucis* cum *Kühnianis* aliorumque Notis edendi, nobile in Belgio consilium suscepit. Cui rei ut aptiorem se efficeret, & Philologi aliquando nomen cum laude sustineret, Amstelædami in Hebraicis *Surenhuysio*, in Rabbinicis, Chaldaicis, & Syriacis, doctissimo Rabbino, *Jacobo Meza*, inter Judæos Doctore Medicinæ, usus est præceptore. Id diligenter agenti, urbis patriæ Senatus Pædagogi in Collegio Wilhelmitano, nec ita multo post Canonici Thomani, munus obtulit. Quæ ille fortunæ suæ primordia minime negligenda ratus, maturavit, quantum potuit, iter suum, Amstelædamo A. 1702 Bruxellas, atque inde Lutetiam Parisiorum, digressus, cujus urbis viris doctissimis salutatis, inspectaque præ ceteris Regis Christianissimi Bibliotheca, ad patrios penates sospes A. 1703 reversus est. Vix ingressus Argentoratum, publicus Hebrææ Græcæque Linguæ Professor nominatus est, ejusque muneris eleganti *de mutuis Hebrææ Græcæque linguæ subsidiis* Oratione auspicium fecit. Nec unquam pœnituit senatum Academicum, *Lederlinum* sibi socium adscivisse; quandoquidem nihil eorum, quæ pertinerent ad ornandam hanc provinciam, prætermisit unquam, & ex doctissimis ejus in omnis generis Scriptores veteres, tam profanos, quam sacros, prælectionibus plurimum ad auditores emolumenti redundavit. Id vero magnam ei cumprimis laudem peperit, quod arte critica, qua, omnium judicio, præ multis aliis excelluit, non usus est ad id, ut sacri Codicis autoritatem ex Scriptoribus profanis, tanquam ex arce quadam, oppugnaret, sed ad id potius, ut majori eam robore confirmaret, & adversus quascunque pessimorum hominum machinationes tutam & incolumem præstaret. Quod ut felicius succederet, Rabbinorum etiam, Chaldæorum, & Syrorum, scripta, paucis cognita, evolvit, & obscurum horum sensum suis interdum discipulis aperuit. In tanta linguarum cognitione una ipsi deesse videbatur Arabica, quam cum studiis suis prorsus necessariam existimaret, domi suæ aluit juvenem, non hujus minus linguæ, quam Orientalium fere omnium, callentissimum, *Carolum Dadichi*, Antiochiæ natum, & patria & secta

cta Græcum, cujus privata institutione adeo profecit brevi tempore, ut, illo duce, Alcoranum integrum Latine redderet, singulasque hujus voces cum analysi grammatica excerperet, nec ita multo post proprio studio Codicem illum optimæ notæ Arabicum, Bibliothecæ Argentoratensis cimelium, quo quatuor religionis *Eslam* fundamenta explicata sunt ab *Ahmade*, filio *Mohammadis*, filii *Saidi Gaznanensis*, in sermonem Latinum converteret. Sed non adeo his literis affixus hæsit, ut graviores curas prorsus animo deponeret. Sunt enim in omnium manibus præstantissima industriæ & doctrinæ ejus monumenta, non uni aut alteri, sed iis omnibus, qui philologicis pascuntur dapibus, in magno pretio habenda. Insignes ei gratiæ debentur de opera præclara, edendis partim, partim exornandis & insigniter locupletandis, aliorum scriptis insumta, quam nemini obscuram esse sinunt *Pollucis Onomasticon*, Amstelædami A. 1706 fol. *Biblia Germanica*, ibidem A. 1704, sumtibus *Henr. Wetstenii*, 8, *Ilias Homeri usque ad π. cum nova versione*, ibidem, A. 1707, 16, *Vigerii de præcipuis Græcæ dictionis idiotismis libellus*, Argent. 1708, 8, *Brissonii de regio Persarum principatu liber*, ibid. 1710, 8, & *Æliani varia historia*, ibid. 1713, 8, editæ. Quam vero manu scriptam reliquit novam *Progymnasmatum Theonis* versionem Latinam, interest rei literariæ, aliquando publicari. Scripsit præterea & publice defendit Academicas nonnullas Dissertationes, quarum nulla est, cujus non sive argumentum, sive genus scribendi, mirifice placere possit. Harum præcipuæ sunt: *de Clypeo Achillis, ex Homeri Il. Σ. v. 478 seq.; Miscellæ Observationes in Græcos Scriptores;* item *ad loca nonnulla Actorum Apostolicorum; de πανοπλίᾳ τοῦ Θεοῦ, ad Ephes. VI, 13 seq.; in Psalmum CXIII,* atque *in Psalmum CXIV; de Græcorum & Hebræorum εὐφημίᾳ, in Genes. IV, 1; de* Νηστείᾳ, *ad Actor. XXVII, 9; de dono linguarum, ad Actor. II, 4 seq.; de Templis argenteis Dianæ Ephesiæ, ad Actor. XIX, 24; de Galeis veterum; de Sale infatuato, ad Matth. V, 13; de Filia Jephthæ, ex voto patris nec immolanda, nec immolata; & in verba Caini Genes. IV, 13.* Plures dedisset, nisi maximam temporis partem abstulissent ei munera

nera publica, & numero multa, & satis gravia, quibus ad extremam usque senectutem magna cum laude functus est. Academicam rempublicam ter supremus Rector gubernavit; duodecies Decani in Philosophorum ordine honores gessit. Præterea A. 1707 Collegiorum Wilhelmitani & Marciani Visitaturæ præfuit; A. 1725 utriusque Gymnasii Gymnasiarcha, & A. 1732 Capituli Thomani Decanus, dictus est. Singula hæc munera incredibili dexteritate administravit, omnibusque aliis solertia, fide, & prudentia, præluxit. In matrimonium duxit A. 1703 *Mariam Barbaram, Friderici Wiegeri*, JCti Argentoratensis, filiam, quæ filios ei duos peperit, *Joannem Henricum*, & *Joannem Fridericum*, utrumque præmature defunctum, filiasque tres, quarum una tantum, *Maria Salome*, adolevit, nupta *Jo. Frid. Scherero*, Ecclesiastæ Palæopetrino. Conjuge hac ad cœlestes domos evocata, novam sibi vitæ sociam adscivit A. 1712 *Annam Margaretham, Jo. Saltzmanni*, Medici incomparabilis, filiam, viduam nunc mœstissimam, matrem filiarum quinque & unius filii, ex quibus una superest filia, *Maria Cleophe*, Viro amplissimo, *Bened. Henr. Marbachio*, Capituli Thomani Quæstori, superiore anno in matrimonium data. Hæc vita *Lederlini*, Viri probi & honesti, religiosi, temperantis, omnibus obvii, ad officia promti, publica & privata fuit, quam ut longius pertraheret, partim salus Academiæ & literarum postulabant, partim virtus ejus & doctrina minime vulgaris merebatur. Sed ita in fatis fuit, ut, præfinitum sibi vitæ cursum emensus, superioris anni die 3 Septembris, ætatis anno sexto & sexagesimo, Oberbrunnæ, nobilissimo ex acidulis oppidulo, quo valetudinis causa se receperat, humanis rebus valediceret *Lederlinus*, superstitem in sera secula habiturus doctrinæ & virtutis famam, & in animis eorum, qui tam præclaris meritis suum didicerunt pretium statuere, immortalem sui memoriam conservaturus.

Cum hoc *Mense* prelo nostro exit *Tomi tertii Supplementorum ad Nova* hæc *Acta Sectio decima*.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXXXIX.

DE ANTIQUIS ECCLESIÆ RITIBUS LIBRI, ex variis insigniorum Ecclesiarum Pontificalibus, Sacramentariis, Missalibus, Breviariis, Ritualibus, seu Manualibus, Ordinariis, seu Consuetudinariis, tum MStis, tum editis, ex diversis Conciliorum Decretis, Episcoporum Statutis, aliisque probatis Autoribus permultis, collecti atque exornati a R. P. Domno EDMUNDO MARTENE, Presbytero & Monacho Benedictino e Congregatione Sancti Mauri. Editio secunda, ab eodem Autore tertiam ultra partem aucta, & novis Indicibus exornata.

Tomi III.

Antverpiæ, typis Jo. Baptistæ de la Bry, 1736 & 1737, fol. Tom. I Alph. 6 plag. 2, cum 5 Tabb. æn. Tom. II Alph. 6 plag. 9, Tom. III Alph. 6 plag. 9.

Antiquitatibus Ecclesiasticis optime quondam consuluit Clarissimus *Martenius*, cum universos Ecclesiæ ritus accurate pleneque describere, omniaque illa una facie exhibere, quæ in editis Ritualibus, libris Pontificalibus, & aliis ejusmodi monumentis, solent exhiberi, instituit. Jam olim, cum prima hujus Operis editio Rothomagi A. 1700, 4, prodiret, commendavimus eam eruditis, & potiora ejus momenta adduximus in *Actis A. 1701 Mens. April. pag. 156.* Nunc alia forma, & magis auctum

emendatumque, hoc Rev. *Martenii* Opus orbi erudito traditur, quod ut fieret, propterea videbatur esse necessarium, quod prima editio non nisi gravi pretio comparari posset. Ipsi *Martenio* id contigit, quod sculptori aut pictori solet, qui statuam vel effigiem, quam sub manibus habet, nunquam satis expolire, novisque lineis exornare, cessat. Eodem modo Cl. *Martenius* hoc Opus additionibus & autoritatibus multis, privato plurium annorum studio collectis, augere studuit, atque illustrare. Alios etiam Codices nactus, ex quibus novæ divitiæ ad rituum sacrorum cognitionem & ornamentum expromi poterant, suos thesauros iisdem locupletavit, & tertia fere parte auxit. Inde igitur factum est, ut hæc nova editio multis modis priorem & copia & utilitate superet. Hujus editor, qui suum nomen eruditis ignotum esse voluit, inscripsit hoc Opus Ill. & Rev. Præsuli *Alberico Simonettæ*, Papæ *Clementis XII* Prælato domestico. Ipsius etiam Autoris Dedicationes & Præfationes, quæ priori in editione legebantur, adjecit, singulis *Tomis* Indicem addidit, curavitque, ut omnia emendate & nitide typis exprimerentur.

Tomus I hujus editionis solum, nec totum, *primum Librum* continet, & ritus pertractat in Sacramentorum administratione usitatos, quotquot a Pontificiis vulgo solent numerari. *Caput I* ritus Baptismi recenset, &, quo tempore, quibus in locis, quorum ministerio, Baptismus fuerit peractus, tradit. Huic *Capiti* accessit *Articulus 12*, in quo varii ad faciendum Scrutinium ordi-
Pag. 110. nes referuntur, ex MSto Wertinensis monasterii, porro *Scrutinii*
118. in Ecclesia Leodiensi hactenus celebrati. Postea *Artic. 17*
169. *Magni*, Senonensis Archiepiscopi, libellus legitur de mysterio Baptismi, jussu *Caroli M.* editus, ex MSto *Coisliano*. *Articulo 18*, in quo varii ad Baptismum conferendum ordines referuntur,
202. accessit Ordo 14, ex MSto Codice Gladbacensis monasterii in diœcesi Coloniensi. *Cap. II* de ritibus, ad confirmationis Sacramentum spectantibus; *Cap. III* de Eucharistia, ut est sacrificium in genere, agit. *Cap. IV* singulares sacræ Liturgiæ ritus
464. commemorat. Addita est huic *Capiti* expositio brevis antiquæ Liturgiæ Gallicanæ, Autore, uti conjicitur, *Sancto Germano*, Epi-
541. scopo Parisiensi, aut aliquo ejus discipulo; item Missa, ex MSto

monaste-

monasterii *S. Theodorici* prope Rhemos, ex MSto Codice Stabulensis monasterii, qui videtur olim fuisse Ecclesiæ Vindunen- Pag. 582. 594.
sis, porro ex MSto Codice annorum circiter 700 monasterii S.
Gregorii in Valle Gregoriana Diœcesis Basileensis, ex Missali
Tullensi annorum circiter 300, ex MSto monasterii S. *Gregorii* 649. 653.
in Valle Gregoriana Diœcesis Basileensis. Tandem his omni- 679.
bus accedit de officio Diaconi Cardinalis, festivis diebus Papæ
celebranti ministrantis, libellus. *Cap. V* ritus, ad eucharistiam
extra sacrificium spectantes, *Cap. VI* ritus, ad Sacramentum
pœnitentiæ pertinentes, & *Cap. VIII* ritus, ad Sacramentum ex-
tremæ unctionis referendi, edisseruntur. Huic *Capiti*, ubi va-
rii ad ungendos infirmos ordines referuntur, accedunt nonnulla
ex *Theodulfi*, Aurelianensis Episcopi, secundo Capitulari, or-
do 7 ex MSto Bibliothecæ Regiæ, & ordo 13 ex MSto Pontifi- 845.
cali Narbonensi.

Tomus secundus in iisdem antiquitatibus Ecclesiæ veteris
pergit. Agit enim *Cap. VIII* de ritibus, ad Sacramentum or- 1.
dinis spectantibus, & *Cap. IX* de ritibus, ad Sacramentum Matri- 335.
monii pertinentibus. *Liber secundus*, de antiquis Ecclesiæ ri- 405.
tibus, exponit de benedictionibus, ubi *Cap. I* de benedictione seu
ordinatione Abbatum & Abbatissarum, *Cap. II* de benedictio- 451.
ne Monachorum, disseritur. Adjectus est huic *Capiti* ordo 2
ex MSto Pontificali S. *Dunstani*, Cantuariensis Archiepiscopi, 455.
quod exstat in Bibliotheca Regia, & ordo 6, ex MSto Codice 461.
monasterii S. *Petri*, Vivi-Senonensis. *Caput III* de benedi- 496.
ctione reclusorum, *Cap. IV* de benedictione Canonicorum re-
gularium, tradit. Accessit ordo 3 & 4, de modo & ordine 504.
professionis Præmonstratensium. *Caput V* de benedictione seu 508.
receptione Canonicorum secularium, *VI* de consecratione 517.
seu benedictione solenni Virginum, *VII* de viduarum & Dia- 558.
conissarum benedictione, disserit, ubi simul ordo 3 ex MSto
Pontificali Metropolitanæ Ecclesiæ Apamiensis in Syria exhibe-
tur. *Cap. VIII* puerorum seu puellarum benedictionem, & reli- 560.
giosum habitum, ex devotione suscipientium, describit. *Ca*- 562. 594.
put IX solennem Imperatorum benedictionem sistit, *X* vero
benedictionem Regum. Huic denuo accedit ex monasterii S. 601.

Theodorici prope Rhemos ordo 3, & præterea antiqui ritus,
Pag. 638. observati in impositione coronæ Regi Hierosolymitano facta, ex
MSto Illustrissimi *Chauvelin*, regiorum Sigillorum custodis;
652. ritus benedicendi & coronandi Reges Hungariæ, qui obtinuit,
dum *Albertus V*, Dux Austriæ, Rex Hungariæ coronaretur, ex
Tomo VI Anecdotorum Bernardi Pezii; & tandem Instrumen-
657. tum publicum de inauguratione *Caroli*, Regis Navarræ, A. 1390
662. celebrata, ex MSto Codice Colbertino. *Caput XI* benedictio-
666. nem Principum & Ducum exponit. Accedit officium ad Du-
cem Normannorum constituendum, ex collectione *Andreæ du*
854. *Chesne*. *Cap. XII* de benedictione novi militis; *XIII* de be-
nedictione & dedicatione Ecclesiarum, agit, ubi ordo 4 adje-
709. ctus est ad benedicendam basilicam ex pontificali S. *Dunstani*,
Archiepiscopi Cantuariensis, & ordo 8, ex veteri Pontificali
733. Narbonensi. *Caput XIV* exponit, quæ fuerit veterum disci-
789. plina circa idolorum templa, synagogas Judæorum, & hæreti-
793. corum Ecclesias. *Cap. XV* de reconciliatione Ecclesiæ vio-
797. latæ disserit. Accedit reconciliandi basilicam vetustus ritus,
ex veteri ordine Romano Vallis cellæ. *Cap. XVI* de benedi-
802. ctione altaris, *XVII* de benedictione altaris portatilis, porro
810. 819. de altarium confractione *Cap. XVIII*, de benedictione ciborii
Cap. XIX, de benedictione cimiterii *Cap. XX*, de benedi-
ctione seu baptismo signorum *Cap. XXI*, de benedictione
turris *Cap. XXII*, de variis aliis benedictionibus *Cap. XXIII*,
844. differitur; in quo ultimo *Capite* accedit benedictio retium ad
capiendos pisces, & benedictio furnelli seu lapidis coctorii.
Succedit *Liber tertius*, qui de ritibus, ad Ecclesiasticam disci-
887. plinam spectantibus, aliisque nonnullis, disserit. *Cap. I* celebra-
888. tionis Conciliorum antiquitates comprehendit. *Cap. II* de de-
positione seu degradatione & restitutione Clericorum, *Cap.*
896. *III* de clamore pro tribulatione, tradit. Accedunt huc non-
903. nulla ex MSto *Fontanellensi*. De formula & ritu promul-
gandæ excommunicationis *Cap. IV* varia exponuntur, & ex
912. MSto monasterii Fiscannensis novæ formulæ adjiciuntur. *Cap.*
V de reconciliatione excommunicatorum varia ex antiquitate
917. afferuntur, quemadmodum *Cap. VI* de reconciliatione hære-
ticorum

ticorum non contemnenda monentur. *Cap. VII* varia judicia Pag. 926.
ſeu probationes ad detegenda occulta ſeu dubia crimina commemorat, ubi ex variis MStis fit ſatis clarum, quid in judiciis
olim fuerit in uſu. *Cap. VIII* de probatione ſanctarum reli- 968.
quiarum; *IX* de arreptione, ſeu energumenorum adjurationi- 970.
bus; *X* de ſeparatione leproſorum; *XI* de agendis circa ægro- 1003. 1014.
tos in exitu animæ laborantes; *Cap. XII* de obſequiis, defunctis 1024.
ſtatim poſt eorum obitum exhibitis; *XIII*, quo tempore & loco ſepelirentur defuncti; *XIV* de reliquis ſepulturæ ritibus, & 1035.
XV de variis ritibus ad juvandos morientes & ſepeliendos mor- 1054.
tuos, exponit.

Supereſt adhuc hujus Operis *Tomus tertius*, qui etiam a nobis paucis eſt perluſtrandus. Continet ille Tractatum de antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis officiis, quamplures diverſarum Eccleſiarum ritus & cerimonias exhibentem. Ut paucis etiam de hujus *Tomi* contentis Lectores noſtros cer-
tiores reddamus, age, ſumma capita commemoremus. *Cap. I* de 1.
inſtitutione horarum canonicarum; *II* de locis, ubi ſacra officia 9.
celebrata fuerunt, & quibus ſignis Clerus & populus convocati
fuerint; *III* de precibus in divinis officiis olim adhibitis, de 17.
ritu eas perſolvendi, de Pſalmis, & Cantionibus; *IV* de hy- 26.
mnis & antiphonis; *V* de lectionibus & reſponſoriis; *VI* de 35. 43.
collectis, & uniformi ratione in divinis officiis ſervata; *VII* de 45.
nocturnis vigiliis & matutinis laudibus; *VIII* de prima, tertia, 52.
ſexta, nona, veſperis & completorio; *IX* de quibusdam ritibus 60.
& conſuetudinibus diebus Dominicis aut intra hebdomada
olim obſervatis; *X* de adventu Domini; *XI* de vigilia natalis 72. 80.
Domini; *XII* de feſto natalis Domini; *XIII* de octava nata- 90. 107.
lis Domini; *XIV* de Feſto Epiphaniæ; *XV* de Feſto Purifi- 118. 126.
cationis B. Mariæ; *XVI* de Septuageſima; *XVII* de feria 136. 162.
quarta in capite jejunii, disquirit; *XVIII* generales Quadrage- 183.
ſimæ conſuetudines, & *XIX* ſingulares ejusdem ritus, inveſtigat. *Cap. XX* de Dominica Palmarum; *XXI* de majoris 223.
hebdomadis ritibus, præſertim feriæ, ſecundæ, tertiæ & quartæ;
XXII de Cœna Domini; *XXIII* de feria ſexta Paraſceves; 228. 354.
XXIV de Sabbato ſancto; *XXV* de Paſchatis feſto; *XXVI* de 405. 477. 510.

Pag. 513. diebus infra octavam Paschatis; *XXVII* de Litania majore in
festo Sancti Marci, & triduo Rogationum ante Adscensionem;
539. *XXVIII* de Adscensione Domini, & octava Pentecostes, & de fe-
549. sto sanctissimæ Trinitatis; *XXIX* de festo sacratissimi corporis
Christi; *XXX* de festivitatibus Sanctorum, quæ in adventu ce-
560 seq. lebrari solent, & tandem *XXXI - XXXIV* de reliquis festis
singulorum mensium, copiose traditur. Ex variis manu exa-
ratis Codicibus etiam huc pauca accedunt, quibus hæ augentur
antiquitates. Tandem in hoc *Tomo III* loco Appendicis non-
nulla Opuscula, quæ nunc primum luce donantur, adjecta le-
701. guntur; nempe antiquæ consuetudines Canonicorum regula-
rium insignis Monasterii Sancti *Victoris* Parisiensis, ad usum
817. Monasterii S. *Evurtii* accommodatæ; antiqua Statuta S. *Vi-
ctoris* pro fratribus in obedientiis commorantibus, ex MSto
825. Codice S. *Victoris* annorum circiter 500; antiquæ consuetudi-
nes Canonicorum regularium insignis monasterii Rhemensis
843. S. *Dionysii*, ex MSto ejusdem monasterii desumtæ; consuetu-
dines Canonicorum regularium, subjunctæ regulæ S. *Augustini*,
891. nunc primum editæ ex MSto Morbacensi; primaria instituta
Canonicorum Præmonstratensium, ex MSto Bibliothecæ S. *Vi-
927. ctoris*; antiquæ consuetudines Oigniacensis monasterii, nec
non Statuta, A. 1250 edita, additis ad calcem reformatoriis Sta-
tutis, A. 1405 concinnatis, omnia e MSto Codice Oigniacensi
nunc primum luce donata. Nos in præsenti hac brevi harum
antiquitatum delineatione contenti esse debemus, cum amplio-
rem earum expositionem instituti nostri ratio non permittat.
Facile tamen ex his intelligetur, quales antiquitates Ecclesiæ in
hoc splendidissimo Opere, Mediolani, non, quod titulus menti-
tur, Antverpiæ, excuso, reperiantur, & quantum gratiarum do-
ctissimo *Maternio* ab Historiæ sacræ studiosis de præstita hac
insigni opera sit persolvendum.

RECENSIO CHRONOLOGIÆ SACRÆ ET PROfanæ VIGNOLIANÆ continuata. Vide Nova Acta Anni præsentis Mens. Mart. pag. 97.

Ad politissimi Operis Chronologici *tertium Librum* accedimus, cum benevolis Lectoribus & hujus argumentum com-

communicaturi. Agitur hic de *Characteribus Chronologicis*, quorum ope tempora & anni a se invicem distinguuntur, ac dignoscuntur. Emensus *duobus* prioribus *Libris* (quos *Mense Martio* hujus *Anni* recensuimus,) annorum intervallum, quod sibi præfixerat, & collectis ab *Exodo* numeris ad *Captivitatem Babylonicam*, hanc sibi relictam esse curam videbat Venerabilis *Vignolius*, ut inquireret, num *Annus Exodi*, quem ipse repererat, aliquot characteribus in S. Scriptura insigniretur. Hoc enim deprehenso, suam Chronologiam mirifice suffultum, & a multorum contradictionibus liberatum iri, videbat. Id Cel. Autor *Libro* hoc *tertio* plenissime præstitit, quem propter accuratam rei pertractationem, & multiplicem elegantissimamque doctrinam, non sine magna animi voluptate pervolvimus. Principio itaque demonstrat, *Annum Exodi* concurrere cum anno *periodi Julianæ* 3069, qui est annus *ante Christum natum* 1645. De summa *periodi Julianæ* per universam Chronologiam utilitate disserere supersedemus. Hanc cognitam putamus omnibus, qui hæc legunt, etiamsi rudimenta Chronologiæ vix a limine salutarint. Itaque annus 37 captivitatis *Jechoniæ*, Regis Judæ, est annus primus *Evilmerodachi*, Regis Babyloniæ, 2 *Reg. XXV*, 27. Annus primus *Evilmerodachi* in *Æra Nabonassarea* Canonis *Ptolemæi* (cujus ratio *Libro V* prolixe explicabitur,) respondet A. 187, qui concurrit cum *Anno Per. Jul.* 4153. Jam ab *Exodo* ad annum 37 captivitatis *Jechoniæ* collegit Cel. Autor annos 1085. Detractis itaque 1084 a 4153, residuum est *P. J.* 3069, in quem incurrit *Exitus* ex Ægypto. *Secundo* Moses affirmat *Exod. XIII*, 4, Israelitas exivisse in mense *Abib*, quo fruges incipiebant maturescere, sole existente in signo Arietis, ut *Josephus* bene addit *Antiqu. III*, 10; nam secundum *Plinium* aliosque *sub Aprilis initium segetes succidunt*, *messem autem mense* Majo *Ægyptii peragunt*. Atqui *Æquinoctium vernum Anni P. J.* 3069 incidit in currentem *Aprilis* diem 4. Nos quidem ipsi calculo nostro eruimus, *Æquinoctium* hujus anni fuisse *Alexandriæ April.* 4, post horam a media nocte 7. *Tertio* ostendit Venerabilis Autor, *Annum* illum *Exodi* incepisse *Martii* die 22. Extra dubium constituit, a *Mosis* temporibus Judæos

[margin: §. I pag. 553. — 554. — §. II pag. 556.]

Judæos esse usos *Annis lunaribus*; cum *David* affirmaverit, *Deum lunam fecisse propter tempora*, & mensis quoque apud Hebræos a *Luna* (ירח) nomen acceperit. Vetustissimos autem Judæos, cum Astronomiæ scientia caruerint, *neomeniam* non a conjunctione Lunæ cum Sole, sed a Lunæ visione, inchoasse. Jam *Anno Exodi* Solem cum Luna coiisse *Mart. 20*, post horam matutinam 8. Atqui *Scaligerum*, Chronologorum procul dubio principem, scribere, *Lunam se raro ostendere, nisi secundo post coitum die*: hinc manifestum fieri, primam Lunæ phasin ab Israelitarum turba *Martii 22* primum esse conspectam. Sed in his quidem, quæ hucusque dicta sunt, habuit prædecessores *Vignolius* noster: in eo, quod sequitur, inventionis gloriam soli

§. III illi relinquamus. Monstrat enim, Israelitas exiisse *primo* quo-

pag. 561. que *Ægyptiorum mense*. Pervulgatam esse admodum sententiam, Annum nati orbis exordium accepisse in Autumno. Hinc quoque Judæos annum civilem mense *Tisri* inchoasse. *Mosen* vero, mutata hac anni ratione, initium constituisse circa vernum æquinoctium; id esse *annum Ecclesiasticum*, & probari *Exod. XII, 1*, ubi Deus sic *Moson* alloquitur: *Mensis iste* (*Abib*, sive *Nisan*,) *vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*. Hinc enim apparere, ajunt, *Nisan* antea non fuisse mensium principem, sed in posterum divino jussu futurum. Verum rectissime demonstrat Venerabilis Autor post *Simsonium*, verba *Mosis* plane contrarium significare, videlicet mensem *Abib* ea ætate re vera continuisse principium anni: *Mensis iste vobis caput sive principium mensium est, primus est* (non erit) *vobis mensium anni*. Quo posito, observandum, Israelitas, ad quos sermonem direxerat *Moses*, per aliquot jam Secula in Ægypto habitasse, & fieri non potuisse, ut illi diversam ab Ægyptiis anni rationem sequerentur; dura enim servitute oppressos, Ægyptiorum legibus obtemperasse, imo sese iisdem in rebus plerisque accommodasse: porro antiquissimum Babylonio-

§. IV rum annum ab Ægyptiaco non discrepasse, ex Canone *Ptolemæi*

pag. 569. constare: illum vero ab *Hebræis*, ex Chaldæa oriundis, observatum, neminem facile in dubium vocaturum. Cum itaque mensis ille primus apud *Mosen* sit idem primus Anni Ægytiaci; viden-

videndum, quo die *Annus Exodi* apud Ægyptios inceperit. Hunc Venerabilis Autor eruit beneficio *Cycli Canicularis*, sive *periodi Sothiacæ.* Postquam enim ex notabili loco *Censorini* ostendisset, Anno Christi 136 & Per. Jul. 4849, Julii 20 die, Cyclum Canicularem novum iniisse, retrogradiendo monstrat, Cycli præcedentis exordium incurrisse in A. Per. Jul. 3389, d. 20 Jul. porro ait, & suo loco multis argumentis adstruxit *Libro VI*, ante hunc annum Ægyptiorum annum tantum fuisse dierum 360. Itaque, cum hoc modo principium Anni per singulos menses vagetur, perquirendo tandem reperit, in Anno Per. Jul. 3069, qui est, ut vidimus, annus Exodi, Ægyptios d. Martii 22 initium anni celebrasse. Nostrum institutum non patitur, ut calculum hic exhibeamus, præcipue cum aliqua periodi Sothiacæ cognitio a Lectoribus requiratur. Malumus itaque, ex ipso fonte Lectores avidos hoc elegantissimum inventum haurire. Progrediamur cum doctissimo *Vignolio*, qui ex *litera dominicali An. Per. Jul.* 3069 elicit, hunc diem *Martii 22* fuisse *diem Jovis*, id quod post *Scaligerum*, aliosque Chronologos, ex ipsis Scripturæ S. verbis, præcipue *Exod. XVI*, demonstrat. Hinc enim patet, diem 15 mensis secundi fuisse *Sabbatum*, cumque menses fuerint τριακονθήμεροι, mensis primi, totiusque anni, primum diem, cum feria hebdomadis quinta, sive Jovis die, necessario concurrisse. Hac sententia fusius exposita, & ab objectionibus quorundam vindicata, contra vulgarem opinionem ostendit Autor, *diem civilem* antiquissimis temporibus mane ab ortu solis cepisse initium. Sane contrarium statuit nubes Virorum doctissimorum. *Langius* de anno Christi pronuntiat; *primum & antiquissimum diei exordium a vespera est, sive occasu solis. Ita enim primum diem incipit* Mose Gen. I. *Et fuit vespera & mane die primo, secundo*, &c. *Hinc igitur Judæi diem civilem inchoant.* Sed excipit Autor, etiamsi primo *Genesios* capite vespera præcedat mane, aliis tamen in locis ejusdem libri, & alibi passim, dies præponi noctibus. In diluvio dicitur *Gen. VII, Deum pluisse per 40 dies & per 40 noctes.* Post diluvium Deus promittit, *diem & noctem nunquam desituros. Jacobus* queritur *Genes. XXXI, se de die æstu, & de nocte gelu,*

§. V pag. 573.

 conse-

confectum esse. Sed porro *Mosen* ipsum *Genes. I* lucem memorare ante tenebras *com. 4, 5: Deus lucem secrevit a tenebris, & lucem diem, tenebras vero noctem, appellavit*. Verba vero: & fuit *vespera*, & fuit *mane*, denotare terminos ad quem; primum videlicet diem finiisse vesperi, & primam noctem mane. Non enim potuisse vesperam existere, nullo præcedente die. Quæ cum satis clara videantur, Autor tamen aliorum testimoniis confirmat, & ulterius illustrat: ac, postquam ostendisset, Chaldæos, Babylonios, & Ægyptios, cum sole oriente inchoasse diem, idem quoque fecisse Israelitas, magna verisimilitudinis specie colligit. Itaque annum suum Exodi his characteribus insignem reddidit:

I *Annus Exodi incidit in Annum Per. Jul.* 3069.

II *Qui idem Annus est Annus ante Nat. Christum* 1645.

III *Quo Anno Mensis Ægyptiorum & Israelitarum primus concurrebat cum Martii 22.*

IV *Qui Martii 22 erat dies Jovis.*

V *Cujus Mensis 20 accidebat Novilunium verum.*

VI *Sed phasis prima apparebat ipso illo 22 die.*

VII *Æquinoctium autem observabatur April. 4, sive Mensis primi Nisan aut Abib die 14.*

§. VII pag. 589. His ita pertractatis, Autor celebrem quendam locum chronologicum *Clementis Alexandrini* sub judicium vocat, & defectum, quo ille ex sententia *Marshami* laborasse credebatur, supplet. Deinde *Pezronii* opinionem, *Mosen Inachi* tempore

§. VIII pag. 594. floruisse asserentis, lanci appendit, & multa cura refutat, quod cum minus ad scopum hic faciat, Lectores harum rerum curiosos ad ipsum librum ablegamus. Nos, filum Autoris secuti, ad

§. IX pag. 615. ipsam Israelitarum Exodum, & transitum per mare rubrum, pervenimus, quam memorabilem historiam ille mirifica luce perfundit. Quæritur inter doctos, quam ob causam Israelitæ singula novilunia celebraverint. *Spencerus* hanc consuetudinem a gentibus repetendam censet, ad quorum imitationem Israelitis tempora neomeniarum sacrosancta fuerint. Sed recte *Vignolius* noster, hac conjectura explosa, docet, consecrata esse *Novilunia*, quoniam *Annus Exodi* cum nova luna inceperit, eodem-

que

TAB.IV
Lac ou
Birque
La Matarée
Chemin
du

que tempore jussu Dei *Moses* Israelis liberationem ex servitute Ægyptiaca annuntiaverit. Hoc probari *Exod. XII, 1*, & præcipue *Ps. LXXXI, 4-6: Clangite in Novilunio tuba, nostro solenni die festo. Nam is Israelitarum ritus est, jussu Dei* Jacobi *institutus: ut esset documento* Josephi *posteris, quo tempore egrederetur contra Ægyptios, ut onus ab humeris eorum removeret.* Digna sane res, quam frequenti memoria Israelitæ in neomeniis repeterent. Primo itaque die mensis primi, in prima lunæ phasi, Deus per *Mosen* jussit Israelitas *decimo ejusdem* mensis die Agnum Paschalem separare, *Exod. XII, 3*; eundem autem *decimum feriam* fuisse *septimam*, in transitu notat Autor. Pag. 619. *Decimo* porro *quarto* ejusdem mensis, die Mercurii, mactatos esse agnos Paschales, & noctu manducatos, quo tempore Sol intraverit primum Arietis gradum: eadem nocte primogenitos Ægyptiorum occisos, & Israelitas Regis mandato Ægypto summa festinatione exire jussos esse. Jam, ut iter Israelitarum ad mare rubrum cum Autore prosequamur, operæ pretium est oculos conjicere in Tabulam æneam exactissimam & elegantissimam, unde de dicendorum veritate maxime Lectoribus constabit. Tab. IV. Cairo ad montem Sinai proficiscentibus, ut liquet ex plurium Itinerariorum fide, quæ Autor consuluit, via patet per arenosum ingentemque campum, quæ recta ducit ad Suesiam, in extremitate maris rubri situm oppidum. Pag. 620. Hæc via est passuum circiter 26 millium, & intra triduum peragitur. Ultra Suesiam converso ad dextram itinere, putei *Mosis* occurrunt, qui adhuc apud Arabes magna sunt in veneratione. Hoc iter, quod nonnulli existimant, Israelitas non tenuisse, ex *Mosis* narratione ostenditur, ajentis, Israelitas, difficultate itineris perplexos, substitisse, ut deinceps clarius videbimus; hæc vero, quam descripsimus, via plana est, nullis montibus aut angustiis intercisa. Quodsi vero aliquis consistat ad puteos *Mosis*, trans mare rubrum, Ægyptum versus,

- ab adversa surgit vastissima parte
Vallis in abruptos montes, avulsaque saxa,
Et scopuli horrendi ferientes æthera surgunt
In duo divisi loca,

 ut

ut ait *Schulemburgius Comes* in *Itinerario*, significans, mare rubrum, qua parte Ægyptum spectat, montibus altissimis cingi, excepta unica via, per quam iter ad mare aperiatur. Per hanc Israelitas pervenisse ad mare, *Vignolius* porro demonstrat. Postquam enim in transitu de *Pithomo* & *Ramese* urbibus ab Israelitis exstructis egisset, ex Itinerario *Monconysii*, per eandem viam profecti, omnes circumstantias exitus Israelitici expendit, & scrupulis liberat. Israelitæ iter ingrediebantur die 15 mensis primi, die Jovis, summa festinatione. Relicta Ramese, cujus urbis reliquiæ & rudera conspiciuntur, castra metabantur ad Succoth. Is locus hinc nomen accepisse videtur; Succoth enim tentoria notat, & primus occurrit in valle proficiscentibus, quam montes intercipiunt, quos diximus. Hac re ad aures *Pharaonis* allata, quod fieri non potuit nisi sero admodum eodem die, tempore vespertino cum intellexisset, populum viæ tam periculosæ implicatum & fere captum esse, jussit currus & equites ad
Pag. 629. persequendos fugitivos parari. *Die* sequenti *Veneris*, mensis 16, Israelitæ, a Succoth profecti, pervenerunt ad *Etham*, ad extremitatem deserti. Est itaque *Etham* in exitu vallis, haud procul a litore maris. Qua occasione, *Calmetum* in hujus loci situ a veritatis tramite deflexisse, monet. Die 17 mensis primi, qui erat Sabbathum, Israelitas ab Ethamo profectos jussit Deus *Exod. XIV*, 2, ut deflectentes castra ponerent ante *pi-hachi-roth*, inter *Migdol*, & inter mare ante *Baal-Tzephon*, ita, ut castra extenderentur juxta mare. Arbitraturum enim *Pharaonem*, illos regionum ignaros hærere, & montibus conclusos teneri. Hic Venerabilis *Vignolius* ostendit, Israelitas non potuisse retrogredi, propter exercitum Ægyptiorum in valle jam hærentem; non recta progredi: mare enim obstitisse; non deflectere ad dextram: sic enim Ægyptiorum in manus incidisse; itaque debuisse deflectere ad sinistram: angustam enim superfuisse viam inter montium altitudines, & maris litora, interceptam, quemadmodum in Tabula clarissime conspicitur, qua sola poterant evadere. Cum hac sententia divina verba optime congruunt. *Pi-hachi-roth* significat *os*, sive *portam & introitum angusti hujus callis* inter montes & mare;

nam

nam חוֹל foramen eſt. Hinc plerique interpretes vertunt *fauces montium.* Notum eſt, anguſtos per montes tranſitus vocari fauces & portas, *portas Caucaſias*, *Syrias*, *Amanas*. *Baal-Tzephon* urbs erat ad ſeptentriones maris rubri, & forſitan *Heroopolis*, quod magna probabilitatis ſpecie adſtruitur. Itaque, cum Iſraelitæ antea mare & ortum verſus proſpicerent, nunc converſa facie reſpiciebant Baaltzephonem ad ſeptentrionalem plagam. *Migdol* denique, neutiquam confundendum cum *Migdolo* ſive *Megiddante* Palæſtinæ, potuit eſſe arx munita in introitu anguſtiarum, aut oppidum, cujus locum poſtea occupavit Arſinoe. His expoſitis, videmus, exercitui Iſraelitarum inter mare, montes, & hoſtes, intercepto effugium non patuiſſe, niſi Deus per mare rubrum ſalvos traduxiſſet. Hujus facti memoriam ſcriptores profanos etiam conſervaſſe cognovimus, ſed in modo tranſitus non omnes conſentiunt. Itaque primo gentilium teſtimonia ſub cenſuram vocantur. *Juſtino* teſte, *Moſes, leproſorum dux factus, ab Ægyptiis territorio expulſus, res ſacras ſecum abſtulit. Ad quas recuperandas cum Ægyptii arma cepiſſent, tempeſtatibus compulſi, retro ceſſerunt.* Nulla hic aut maris, aut ſubmerſionis, memoria. *Diodorus Siculus* refert, apud Ichthyophagos, maris rubri accolas, traditionem invaluiſſe, *æſtu ingenti quondam aquas hujus maris, nudato penitus fundo, regreſſas eſſe.* Quæ Autor ex *Artapano* adducit, itidemque ex *Nonno*, de *Baccho*, qui *Moſes* habetur, & ex Poeta *Ezechiele*, libenter omittimus. Cum gentilium teſtimonia faveant narrationi *Moſaicæ*, mirandum videtur, *Joſephum* iviſſe in alia omnia, & tranſitum Iſraelitarum comparaſſe cum tranſitu *Alexandri* per mare Pamphylium, in quo neque *Strabo*, neque *Diodorus Siculus*, aliquid miraculoſi deprehenderunt. Sed, haud ſemel *Joſephum* in gratiam gentilium aliquid remiſiſſe conſtat. Ex Chriſtianis nonnulli miraculum mirum in modum augent. *Origenes*, ſe audiviſſe, ait, *a majoribus mare in iſta digreſſione pro numero 12 tribuum in duodecim vias diviſum eſſe.* Hoc *Origenes* a Judæis audire potuit, ſimilia tradentibus. *Oroſius* addit, *veſtigia rotarum & curruum non ſolum in littore, ſed & in fundo maris, ad ſuam ætatem conſervata adhuc videri:*

Pag. 643.

xi: quibus adjecit ſcriptor admodum credulus Seculi X: *Recedente mari apparere omnem ſubmerſionem Pharaonis, & omnia*
Pag. 653. *arma in marmora mutata.* In his diverſitatibus nihil melius eſt, quam ut inhæreamus ſacris literis, & ex illis facti hujus veras circumſtantias perdiſcamus. Itaque, rejecta vulgari alioquin ſententia, Iſraelitas per *ſemicirculum* ex marinis undis evaſiſſe, Autor accedit ſententiæ *Clerici*, quam ille ſingulari Diſſertatione *de maris Idumæi trajectione* in Appendice Pentateuchi expoſuit. Videlicet trajeciſſe Iſraelitas, cum fundamentum maris inſolito æſtu aquis refluentibus plane eſſet denudatum. Hanc ſententiam ut impiam & profanam nonnulli ex templo rejiciunt cum *Genebrardo*, audacter affirmantes, *mare rubrum nequaquam fluxui & refluxui obnoxium eſſe.* Sed non ſolum *Herodotus* ac *Diodorus Siculus*, verum etiam noſtri temporis Itineraria, expreſſe teſtantur, *mare rubrum ſingulis diebus æſtu commoveri:* eumque æſtum eo magis obſervari, cum mare, ubi eſt profundiſſimum, vix habeat pedes octodecim, unde propter Syrtes & ſcopulos periculoſiſſima fertur ejus navigatio. Su-
659. perius intelleximus, Autorem eviciſſe, *menſis 1 die 17* Iſraelitas marginem Erythræi maris attigiſſe: qui ipſe dies 17 tertius erat poſt plenilunium & æquinoctium, quo tempore ſecundum Geographorum teſtimonium mare & magis intumeſcere, & magis detumeſcere, ſolet. Jam, cum inter lunæ curſum & æſtum maris magna deprehendatur convenientia, Autor docet, eodem die 17 menſis primi, poſt horam 10, lunam orientem ſupra horizontem Iſraelitis apparuiſſe, eodemque momento maris detumeſcentiam incepiſſe, ac duraſſe ad horam usque 4 matutinam. Nemo exiſtimet, Autorem voluiſſe hunc tranſitum numero mi-
662. raculorum eximere. Hanc conſequentiam a ſe amolitur: fuiſſe enim re vera miraculum ingens, quod *Moſes*, qui alioquin nihil niſi ſolitum æſtum exſpectare potuit, prædixerit, ſalutem Iſraelitis, exitium inſtare Ægyptiis. Deum autem in miraculis ſuis ſæpius naturæ vires adhibere, & iis in hoc negotio uſum eſſe, ex hiſtoria *Moſaica* mirifice confirmari. Nam principio memoratur *Exod. XIV, 19, 20,* Deum elevaſſe nubem caliginoſam, eamque poſitam inter Ægyptios & Iſraelitas, illos impediiſſe, quo

quo minus his appropinquare possent. Deinde, quæ verba sunt notatu digna *v. 21, ope venti vehementioris per totam noctem Deum aquas abegisse, & mare exsiccasse.* Is ventus equidem vocatur קדים, orientalis; verum cum Eurus aquas in littus Troglodyticum, ubi consistebant Israelitæ, ejecisset, rectius intelligitur ventus violentior, quod fusius probatur, cujus ope fluctus maris, æstu adjuvante, celerius protrudebantur, & per fretum in Oceanum regurgitabant: quo pacto totus ille sinus maris Idumæi, juxta quem castra posuerunt Israelitæ, aquis privabatur. Duo hic obstare videntur, primo, *Mosen* asserere, aquas fuisse fissas sive divisas; deinde, fluctus maris Israelitas loco muri a dextris & a sinistris defendisse. His phrasibus æstum illum, & retrocessionem maris rubri, plane everti. Quæ *Vignolius* ad hæc dubia respondet, apud ipsum legantur. Nos addimus, vento vehementiori omni aquas maris disscindi. Hoc fatebitur, quisquis vel semel æquor vento exagitatum conspexerit. Posteriori phrasi autem innuitur, aquas marinas fuisse Israelitis firmissimi instar munimenti, non solum a dextra & sinistra, sed & antrorsum & retrorsum. Sic *David* murus fuerat gregibus *Nabalis* in deserto. De significatione phrasis, *ad dextram & sinistram*, conferatur *Ps. XCI, 7.* Hoc pacto sinu maris satis longo exsiccato, Israelitæ, qui antea septentrionem versus proficiscebantur, per angustias, quas diximus, nunc conversa ad Orientem facie, lata fronte mare ingrediebantur, &, quia timor pedibus addit alas, & sinus ille maris non ultra millia terna est latus, ut canit Poeta, intra exiguum temporis spatium illum trajicere, & in siccum, periculo liberati, evadere, potuerunt. Ingressos Israelitas Ægyptii sine mora sequuntur, æstui fidentes. Quis autem, ut hoc in transitu moneamus, potest sibi persuadere, Ægyptios voluisse mari se committere, si erectos in altum muros vidissent aqueos, solo miraculo, nullis aggeribus aut fulcris, sustentatos? Sane Ægyptii, tot incommodis propter Israelitas eruditi, facile poterant cogitare, his fluctibus corruentibus de suorum omnium vita actum esse. Periculo adeo manifesto neque *Pharao* se ipsum, neque exercitum, exposuisset. Sic Israelitæ mensis 1 die 18 exortum solis undis & hostibus manibus erepti

Pag. 670.

Epini-

§. XI Epinicion canebant. Erat autem ille dies 18 *dies Solis*. *Isacl-*
pag. 675. *das*, Ægyptiaca servitute oppressos, Calendarium Ægyptiacum adhibuisse, superius didicimus. Merito itaque quæritur, utrum iidem, in libertatem asserti, eodem fuerint in posterum usi, an potius novam anno suo formam induxerint. Quod postremum festorum Judaicorum ratio postulasse videtur. Itaque Venerabilis Autor ostendit, primo Deum in deserto *Sabbathum* instituisse, non solum ad memoriam creationis, verum etiam, ad quod præcipue attendendum, propter transitum per mare rubrum, & liberationem e manu Ægyptiorum, *Deut. V*, 15. Hos enim in ipsa Sabbathi nocte in aquis esse suffocatos, salvis in oppositum maris littus evadentibus Israelitis. *Sabbathum* porro fuisse Sacramentum docet, signum Fœderis divini, *Exod. XXXI*, 13, 17. *Primum* adeo Sabbathum in deserto esse celebratum mensis secundi die 22, *secundum* ejusdem mensis die 29, *tertium* mensis tertii die 6, eoque ipso die Deum legem Decalogi e monte Sinai promulgasse, & Sabbathi celebrationem de novo inculcasse. His demonstratis, Autor ejusdem anni Calendarium instruit, ex locis passim collectis, & præcipue tria je-
682. junia *Mosis* dierum 40 distinctius explicat. Quo facto, ponit, Ægyptiorum annum, quod alibi fusius demonstrabitur, tempore exodi fuisse dierum 360. Ejusmodi annum Isrealitis plane fuisse inutilem. Illius enim principium per quatuor tempestates vagari; Deum vero fixum & immotum anni exordium statuisse, dum dixerit, *mensem Abib, in quo incipiant fruges maturescere, in posterum fore mensium omnium caput & principium.* En primam Calendarii reformationem. Ex anno va-
681. go Ægyptiorum Israelitæ accipiebant annum fixum. Secundo menses Ægyptiaci erant omnes τριακονθήμεροι. Quia vero Deus paschatis celebrationem ad mensis primi diem 14 & ad plenilunium alligaverat, necessario ex mensibus solaribus reddendi erant lunares: cumque annus lunaris ordinarius dierum sit 354, eidem per intercalationem succurrebatur. Tertio dies antiquissimis seculis inceperat a mane, ut suo loco evicit Autor; tertiam itaque mutationem accessisse in festorum celebratione: hanc cepisse vesperi, cum civilium dierum exordium matutinum

num perduraverit, utrumque multis exemplis confirmat Venerabilis *Vignolius*, & his *Libri III Capiti I* finem imponit. *Capite II* agit de annis periodicis, aliisque notabili charactere distinctis, quorsum spectant præcipue *anni Sabbathici* & *Jubilai*. Post occupatam Terram sanctam Deus jusserat septimum quemvis annum celebrari, *Levit. XXV*. Hoc anno agri non erant colendi, & servi in libertatem asserendi. Hanc annorum hebdomadem constanter fuisse servatam, Autor cum plerisque Chronologis recte statuit, atque adeo colligit in singulari tabula annos Sabbathicos, ab Historicis notatos, de principio & radice annorum Sabbathicorum deinceps *§. III* acturus. Pergit *§. II* ad Jubilæos, quorum institutio legitur *Levit. XXV, 8*. In his numerandis cum diversis plane vestigiis insistant viri docti, Autor singulas sententias accuratius excutit, ac tandem demonstrat, annum quemvis Jobelæum non discrepasse a septimo Sabbathico: quo posito, sequitur, annum nati Christi 1189, secundum *Matthæum Parisium*, ob cædem Judæorum in Anglia memorabilem, fuisse Jobelæum. Cum itaque radix Sabbathicorum & Jobelæorum una haberi debeat eademque, Venerabilis *Vignolius* ad hanc e caligine eruendam progreditur ad annum introitus in Terram sanctam. *Moses* enim in anno 40 Exodi, mense undecimo, mandaverat, ut quolibet septennio, sive anno Sabbathico, in festo Tabernaculorum lex populo publice prælegeretur, *Deut. XXXI, 10, 11*. Post mortem *Mosis*, & luctum 30 dierum, *Josua* anno 41, mense primo, die 10, populum Jordanem traduxit, qui ejusdem mensis die 14 Pascha celebravit, *Jos. V, 10*. Quo facto, per integrum septennium *Josua* in expellendis Cananæis, & capiendis urbibus, fuit assiduus, *Jos. XIV, 6*. Tum demum Gilgale cœpta est distributio Terræ sanctæ, ac tribubus *Judæ*, *Ephraimi*, ac dimidiæ *Manassis*, attributæ possessiones cis Jordanem. Cum autem tribus *Rubenis*, *Gadi*, & altera dimidia *Manassis*, trans Jordanem hæreditates adiissent, septem omnino supererant tribus, quibus nondum ulla assignata erat portio. *Josua* itaque, illis convocatis, significat, ut, excusso torpore, ad occupandas reliquias terræ promissæ alacriter pergerent, *Jos. XVIII*. Utque eosdem excitaret, misit viros

Pag. 696.

§. III pag. 715.

LII peritos,

Pag. 721. peritos, qui fines totius Palæſtinæ deſcriberent. Quibus demum redeuntibus, altera facta videtur diviſio. Hæc omnia eum in finem diligentius Autor pertractat, ut *Radicem annorum Sabbathicorum* eo certius determinaret. Sunt enim, qui exiſtimant, annum ſeptimum *Joſuæ* primum exſtitiſſe in annorum hebdomade, alii annum ejusdem ducis 15, plerique, cum quibus Autor facit, annum 1 ducatus *Joſuæ* & introitus in Palæſtinam, adeoque 41 poſt Exodum, reſpondentem anno *Per. Jul.* 3109 & anno ante Chriſtum 1605. Hoc enim probari ex ipſis verbis legis, ex hiſtoria *Joſuæ*, & ex antiquiſſima traditione. Lex jubet *Levit. XXV, 2: Cum ingreſſi eſtis in terram, tunc terra ipſa Jehovæ Sabbathum feriator; ſex annis fundum tuum*
729. *ſerito*, &c. *Septimo autem anno terra Sabbathi ferias Jehovæ agito.* Hæc conſentiunt facto *Joſuæ*, qui, ut vidimus, ſeptimo anno captam omnem terram, regione a bello quieta, id eſt, *Anno Sabbathico*, Iſraelitis diſtribuit poſſidendam, *Joſ. XI*, 23. His per teſtimonia & per vetuſtas traditiones confirmatis, Autor oſtendit, omnes annos Sabbathicos, ab Hiſtoricis annotatos, ex ſuo calculo exactiſſime reperiri, ſi radix, uti diximus, ſit annus Exodi 41 & Periodi Jul. 3109. Sed hæc, cum cancellos noſtri laboris excedant, Lectores apud ipſum Autorem non ſine inſigni voluptate evolvant. Ad rei denique confirmationem in fine *§. III* adjecta eſt tabula Jobelæorum ad an-
744. num Chriſti 1189, quæ facili negotio ad noſtra tempora continuari poteſt.

Cum in Libro Judicum nullus annus reperiatur notabili charactere inſtructus, totum hoc intervallum obiter tangit Autor *§. IV*, & ſequenti *§. V* ad fundationem & inaugurationem templi *Salomonei* progreditur. Cumque plurimi in ea hæreant opinione, anno *Salomonis* 11, ſive ſeptimo poſt fundationem, encænia templi eſſe celebrata; Autor oſtendit ex ipſius hiſtoriæ ſerie, id demum anno 20 ſive 24 *Salomonis* factum, adhibito eum in finem loco ex verſione τῶν LXX admodum memorabili *1 Reg. VIII, 1: Factum eſt, cum perfeciſſet Salomo exſtructionem domus Dei, & domus ſuæ*, poſt annos viginti, *convocavit omnes ſeniores* &c. Ubi verba, *poſt annos viginti*, in

in Codice Hebræo desiderantur, quod multis mirum videri possit. Aliud nunc factum sequitur, videlicet *Jerobeami institutio novi Festi Tabernaculorum*, quam pluribus Doctissimus *Vignolius* illustrat, rem ipsam ab Ægyptiorum annis repetendo, apud quos *Jerobeamus* diu habitaverat. Digna sunt hæc omnia, quæ legantur, præcipue cum plerique interpretes hic hæserint, & Lectores avidos destituant. Sed ad finem festinamus. *Joasum* anno & Sabbathico & Jobelæo throno fuisse admotum, post interfectam *Athaliam*, deinde probat Autor; tum accedit ad *Ezechiam*, qui quoniam statim in regni exordio festinanter pascha celebrari jussit, Regem hoc fecisse statuit Autor propterea, quod idem ille primus annus *Ezechiæ* cum Jobelæo concurrerit. Exponit porro locum *1 Reg. XVIII, 13*, πολυθρύλλητον, eumque mirifice illustrat. Denique in regno *Sedeciæ* annum Sabbathicum reperit ex *Jer. XXXIV, 8 seq.* quem ab objectionibus virorum doctorum vindicat, & toti huic commati facem satis lucidam præfert.

§. VI pag. 756.

§. VII pag. 764.

§. VIII pag. 768.

Ceterum, quoniam præter opinionem recensio hujus *Libri III* excrevit, reliquas in proximam occasionem differimus. Cum autem rerum notabilium, in eo contentarum, vix centesimam partem innuimus, rem judicamus nos Lectoribus haud ingratam fecisse: neque enim Opus totum hoc Chronologicum pro merito a nobis satis laudari aut prædicari potest.

EDMUNDI MERILLII, TRICASSINI JCTI, a Consiliis Regis, Antecessoris in Academia metropolis Biturigum primicerii, in quatuor Libros Institutionum Imperialium Commentarii principales, instituti A. 1636, ætatis Autoris 58, Professionis 36. Quibus adjecta est earundem Institutionum Synopsis, per definitiones & divisiones, in qua totum earum artificium expansum est. Ex mente & MStis ejusdem E. MERILLII, opera & studio CLAUDII MONGIN, Juris utriusque Professoris, concinnata. Cum Præfatione C. H. TROTZ, JCti.

 Trajecti

Trajecti ad Rhenum, apud Jo. Brœdelet, 1739, 4.
Alph. 3 plag. 9.

Vivit adhuc, & in animis omnium, qui veram, non simulatam, amant Jurisprudentiam, tacita admiratione suspicitur *Edmundus Merillius*, JCtus ævi sui præstantissimus, cujus quippe lucubrationes non vulgarem redolent doctrinam, sed summi potius judicii, ingeniique felicissimi, Autorem, quasi in speculo quodam, conspiciendum nobis præbent. Inter hæc ejus scripta cum liber ad *Institutiones Justiniani* Commentarius ob raritatem suam difficillime, &, non nisi magno pretio, comparari potuerit; novam ejus editionem, eamque longe nitidissimam, plaudentibus Musis, in se suscepit nobilissimus typographus, *Joannes Brœdelet*, atque hoc ipso, quam studiosus sit non boni tantum publici, sed famæ etiam *Merillianæ*, lucuIentissimo specimine comprobavit. Præfationem Operi comitem dedit JCtus Batavorum Celeberrimus, *Christ. Henr. Trotzius*; cujus vero negotia, quibus obrutum se tunc temporis fuisse ait, non concesserunt, ut, pro more nostri seculi, singulare pertractaret argumentum, quod eo gravius ferent complures, qui Themidos sacris addicti sunt, eruditi, quo certius inter omnes constat, quam avide excepta semper fuerint politissima *Trotziani* ingenii monumenta. Interim tamen, ne plane nihil in hoc Opere præstitisse putes Virum Consultissimum, hoc scire tua interest, Lector, quod textum *Cujacianum* ad Clariss. *Joannis van de Water* editionem secutus, notas illi omnes accommodaverit, singulis etiam verbis, ad quæ respicit potissimum interpretatio, diligenter præmissis. Ad ipsas quod attinet observationes *Merillii*, eas, quantum quidem fieri potuit, ab erroribus, qui primum editorem fugerant, purgavit, textus legum atque paragraphos ubivis adjecit, imo, si quando id postulavit necessitas, justam quoque & decentem emendationem adhibuit. Jam, quomodo comparatæ sint *Merillii* notæ, exemplis quibusdam docebimus.

Pag. 21. Per antiquas fabulas quid intellexerit *Justinianus* in *Proœm. Inst. §. 3*, non adeo liquide inter Criticos constat. Arbitratur tamen *Merillius*, &, ex nostra quidem sententia, verisimillime, his vocibus Jus antiquum

quum & obsoletum denotari, & sic idem vocasse ait Imperato-
rem antiquæ subtilitatis ludibria *l. un. C. de nudo Jure Quirit.
toll.* eodemque sensu Divum *Paulum* in *Epist. ad Tit. Cap. I
vers. 14* Judaicas nominasse fabulas, id est, cerimonias & tra-
ditiones Judæorum, ad legis novæ differentiam. Quam etiam
interpretationem secutus est *Theophilus*, qui persuasum sibi-
met habet, *Justinianum* per antiquas fabulas intellexisse Juris-
prudentiam veterem, & ab usu plane remotam, novisque suis
legibus opponere illam voluisse. Si plures ex testamento, vel Pag. 85.
inquisitione, dati fuerint tutores, non omnes semper administra-
tionem gerunt, sed hoc potius uni eorum committitur, & ille
quidem præferri ceteris solet, qui satisdationem obtulerit. Sin
autem, qui cavere velit, nemo inveniatur, illi bonorum, pu-
pillo relictorum, demandatur cura, quem testator ipse elegit, ut
in se tutelam susciperet: & tunc sane reliqui tutores sunt hono-
rarii, *l. 3 §. 1 D. de Administrat. & peric. tutor. & curat.* & *l.
14 §. 1 D. de Solut. & liberat.* Nullo contra electo a testato-
re, ex majoris partis consensu uni tutelæ munus defertur: illis
vero non consentientibus, judex eligit, cui quippe semper curæ
esse debet, ne per plures spargatur tutela, quod res pupilli ma-
jori cum emolumento per unum administrari tutorem queant,
per *d. l. 3 §. 6 D. de Administr. & peric. tutor. & curat.* Sed
quid, si omnes tutores satisdationem præstare velint? Respondet
Autor noster ex *l. 17 D. de Testam. tutela*, judicem omnibus
concedere administrationem posse, &, quod observavit ille de
tutoribus, id eadem ratione ad curatores quoque pertinere, mo-
net. *Theophilum*, Græcum Paraphrasten, sine autore ullo 171.
scripsisse ait, testamenta calatis comitiis bis in anno fieri con-
suevisse. Longius enim fuisset semestris temporis interval-
lum, quo testamentum facere liceret, multique interim inte-
stati decedere potuissent. Affirmat potius Autor, certos fuisse
dies comitiales, quibus comitia haberentur, & ageretur cum
populo, istosque in singulis mensibus fuisse distinctos a fastis,
nefastis, nundinis, & feriis, & proinde diebus hisce, non exspe-
ctato tempore semestri, testandi facultatem liberam fuisse Qui-
ritibus. In *Proœmio Instit. de Milit. testam.* pro verbis, *vel* 178.

 suis

ſuis ædibus, alii legere malunt, *ſuis ſedibus*. Sed, illam lectionem hac eſſe meliorem, docet *Merillius*, eamque Βασιλικῶν quoque Autores ſecutos eſſe refert. Et ſic, ex ejus ſententia, retineri debet iſthæc lectio *l. ult. C. de Reſtitut. milit.* quæ eſt portio *l. penult. C. de Milit. teſtam.* Obſtare hoc loco videri poſſet *Theophilus*, cujus vero mentem ſatis feliciter explicat Noſter, quod ſcilicet milites, ſi in aliis locis degant, quam in ſedetis, vel in his locis, ubi agere neceſſe eſt, jure militari non poſſint teſtamentum facere; &, quia *Theophilus* ſedeta, id eſt, caſtra, valla, ſeu foſſata, & alios locos, comprehenderit, ubi milites agere neceſſario debent, dici omnino queat, etiam milites, dum in ſtativis ſint atque præſidiis, jure militari teſtari poſſe, licet in expeditione non ſint conſtituti. Ex
Pag. 204. *§. ult. I. Quibus mod. teſtam. infirm.* manifeſto colligitur, Principem non pœnariis modo legibus ſolutum fuiſſe apud Romanos, veluti Lege Julia & Papia, ut Græci conjiciunt ex inſcriptione *l. 31 D. de LL.* ſed aliis etiam Conſtitutionibus ſcriptis, ut nominatim *Dio* refert *Lib. LIII Hiſtor. Rom.* Et ita ſuas ipſe leges egrediebatur *Auguſtus* apud *Tacitum Lib. III Annal.* atque *Valentinianus* in antiqua quadam inſcriptione dicitur *Dominus legum Romanarum.* Addit tamen *Merillius*, optimos quosque Principes ſuis etiam legibus ſe ſubjeciſſe, idque exemplis nonnullis, ex Juris Romani Collectione deſump-
205. tis, luculenter probat. Non ſatis accurati videntur Autori, qui, inofficioſi teſtamenti querelam Lege Glicia inductam eſſe, dicunt, & inſcriptionem *l. 4 D. de Inoff. teſtam.* hujus rei cauſa in partes vocant. Ejus potius originem prudentibus adſcribit, qui, teſtamentum inofficioſum impugnari poſſe, admiſerunt,
429. quaſi a furioſo aut demente conditum. Non expeditum prorſus certumque hodie eſt, quodnam fuerit furtum conceptum, quodque per lancem & licium concipiebatur, ut eſt apud *Gellium Lib. XII Cap. 2*, & *Sextum Pompejum* in verbo *Lanx*, ubi exiſtimat, furtum conceptum fuiſſe per lancem, quia lictores, ſeu viatores Magiſtratuum, qui res furtivas conquirebant, lancem, quam ferebant, ob oculos ponerent, ubi in conclave aliquod matronarum veniſſent; at, quia concipi dicebatur

per

per lancem & licium, putat *Merillius*, lancem gestatam fuisse a lictoribus, qui libripendes erant, & servi publici, & hac lance dignoscebantur, ut a licio, quod insigne erat lictoris. Plura specimina non accumulamus, vel paucis his, quantum boni insit Operi huic *Merilliano*, ostendisse contenti. Id unum adhuc non possumus non repetere ex Celeb. *Trotzii* Præfatione, ex his animadversionibus notisve de eruditione & doctrina *Merillii* non satis rectum ferri posse judicium. Elegantiora enim ingenii monumenta exstant in Libris ejus *Observationum*, ante paucos annos Neapoli recusis, quas, dici non potest, quanti semper æstimaverint præstantissimi quique JCti, & humaniorum literarum cultores.

CAROLI LINNÆI, MED. DOCTORIS, SOC. ACAD. Imp. Nat. Curiosorum, Critica Botanica, in qua nomina plantarum, generica, specifica, & variantia, examini subjiciuntur, selectiora confirmantur, indigna rejiciuntur, simulque doctrina circa denominationem plantarum traditur, seu Fundamentorum Botanicorum Pars quarta. Accedit JOANNIS BROWALLII de necessitate Historiæ naturalis Discursus.

Lugduni Batavorum, apud Conradum Wishoff, 1737, 8. Plag. 20.

Quæstio de eo, quod justum est circa impositionem nominum, Philosophos æque ac Medicos Botanicos haud mediocriter exercuit. Sunt, qui putent, cum vox sit notio omnium in arte peritorum consensu aut principis in arte viri arbitrio enata, & intrinseco significandi valore prædita, non licere uni, etiamsi in arte præstantissimo, deturbare a pluribus agnita, nec barbara aut sterilia, nomina. Alii contrarium sentiunt, &, pro reipublicæ literariæ libertate, ex sufficientis rationis principio, omnibus in arte peritis licere titulos innovare, arbitrantur. Nostrum non est, tantas componere lites. Sicut nummi, ita & verba, valent ex arbitrio dantis & accipientis. In-

Induſtria ſingularis & ingenii haud minor felicitas eſt, qua Clar. *Linnæus* a Pſeudonymiis, Homonymiis, Polyonymiis, Caconymiis, purgare artem ſuſtinuit. Quo ſucceſſu id peractum fuerit, *Genera* edocuerunt, quæ, cum in omnium manibus ſint, a ſingulis, prout unusquisque huic aliive methodo favet, diverſum judicium ferent. Clariſſ. Autor rejicit nomina niſi a Syſtematicis data; antiqua, niſi caſu bona, ipſi non placent; nomina, ab alio, quam genuino, Botanico amicis inſcripta, abeſſe jubet. Tituli, ſanctimoniæ faciem præ ſe ferentes, gratia Dei, flos paſſionis, parum ſignificant. Magnorum & bene meritorum hominum nomina, plantis *Bontiæ, Breyniæ, Ruyſchianæ, Drakenæ*, celebrata, exſpirant. Hinc ſtabiliuntur regulæ, ferendis nominibus idoneæ. Quæcunque plantæ genere conveniunt, eodem nomine generico ſunt deſignandæ. Circa hanc regulam varii vario modo progreſſi ſunt, aliis ex ſpecie genus conficientibus, quæ methodus eſt recentiorum, aliis genera reducentibus ad ſpecies, quod *Tournefortius* præſtitit, cum Elatinem & Cymbalariam Linariis accenſeret, Aliſma, Populaginem, Hepaticam, Ranunculis. Doctiſſ. Autor multiplicandis generibus favet ſecundum regulam: Quæcunque plantæ genere differunt, diverſo nomine generico deſignandæ ſunt. Tunc quæſtio oritur de genere ipſo conſtituendo, & artificio methodico, quo characterum vis & indoles declaratur, &, a qua parte plantæ ſignum ſummorum generum vel his inferiorum deſumendum ſit, diſquiritur. Rejicitur habitus foliorum externus ob conceptus vagos, & folii ipſius aliquando in plantis abſentiam, vel nominis, quo circumſtantia ſenſualis deſcribi poſſit, inveniendi impoſſibilitatem. Hinc trifolia, millefolia, bifolia, quinquefolia varia, nunc diverſis indicantur nominibus, Loti, Menianthis, Hepaticæ. Unicum etiam nomen unico generi poſtulatur. Interea, ſi quis ingenio abundare, & memoriæ felicitatem oſtentare, voluerit, nec illicitum, nec indecorum eſt, ſynonymias, quibus antiquis, mediis, noviſſimis, hæc vel illa planta appellata fuerit, deſcribere, vel mente tenere, id quod ad polymathiam Botanicam, Autori ipſi adeo familiarem, pertinet. Homonymia ipſa Synonymia pejus eſt dictionis vitium, quando

do una dictio plura genere diverſa denotat. Hinc nomen genericum unum idemque, ad diverſa deſignanda genera aſſumtum, altero loco excludendum erit, ſicut uno nomine impoſſibile eſt leonem & urſum ſignificari. Sic e. g. male Cannabina, modo plantam, galeopſidem poſt dictam, modo plantam, inter diœcias aut diverſi ſexus habitam, floriferam ſcilicet, denotabit, & ſic porro. Cui autem in poteſtate relictum ſit, nova nomina conſtituere, quæritur; & reſpondetur, illi licere, qui ſit Botanicus. Hinc modeſtos nimis eſſe, qui ſuis inventis nomen denegent. Aſt faciunt id alii, modeſtorum brabevtæ, ſicut Tithymaloidem nunc *Kleiniam* appellamus, ſicut & dubiam plantam Yervam moram horti *Boſiani* ipſe Autor nunc *Boſiam* appellavit. Hortus ille non obſcuri nominis haud ægre tulit, alium quempiam nomen conveniens impoſuiſſe plantæ illi, quam nuper admodum in icone dedit, flore monopetalo irregulari decandrio monodynamio baccam moliente, floribus pluribus in ſpicam digeſtis, cui ſimilis alius in omni re herbaria haud exſtitiſſe viſus eſt. Hæc planta ſequenti nomine in catalogo Horti *Boſiani* nuper edito exſtat: *Pſeudo-Acacia Virginiana, non ſpinoſæ nomine miſſa*, (miſit autem *Sherardus*, immortale nomen,) *anonyma, donec nomen detur a peritis*. Hanc plantam poſtea in Horto *Clyffortiano* amorpham dictam fuiſſe intelleximus. Deſcripſit tamen eandem ante *Linnæum* Hortus *Boſianus*, & Icone expreſſit. Certe dignus eſt, qui filium genuit, ut & nomen imponat. Nihil monendum contra onomatopœiæ rationem philoſophicam; aſt condonandum eſt aliquid ſocietati, in qua vivimus, & cum qua loquimur, dum ſpurca, incondita, impia, nomina expellantur; reliqua patienter ferantur, ne, dum breves eſſe laboramus, fiamus obſcuri. Habiturus eſt pro ſua cauſa eruditos optimus *Linnæus*, dummodo, quod ipſe fieri debere fatetur *pag. 24, certos aſſumat limites*. Impatienter ferunt magni quandoque viri, prout eadem pagina factum, ſe durius & immerenter caſtigari. Recte monet, emendandam eſſe barbariem quarundam vocum mediarum, quæ dubium genus denotant, quales ſunt Chenopodio morus, Cytiſo

Geniſta. Quodſi autem quis evinceret, hæc genera vere miſta eſſe, nam natura nunquam committit ſaltum, & inter duo genera ſemper medium aliquod relinquit, quod utrinque tenet, liceret eidem tunc hybrido etiam nomine uti. Moris id eſt in aliis Hiſtoriæ naturalis diſciplinis, habenturque Papilio Muſca, Formica Leones, &c. In Lithologia Smaragdo-Praſios, Sardachates, Sardonyches, nominamus. An Chamædris, Chamæpitys, Chamæſtrenos, plantæ, ſua nomina dimiſſuræ ſint, tempus docebit. Sicut diſſimilis eſt noſtra elocutio prioribus aliquot Secula retro temporibus, ita abnepotibus obſcurius dixiſſe videbimur. Futuri ſunt, quibus noſtra diſpliceant, ſicut antiqua, non prorſus abſurde dicta, nobis diſplicent. Actum eſt de re anatomica, niſi terminos pro arbitrio artis peritis flectere liceat. Quid fiet de tunica choroidea, plexu choroideo, allantoide oſſe hyoide? Fortaſſe & hæc barbare dicuntur. Quod Pſeudo-Botanicos attinet, quorum mentio fit *pag. 31*; næ illi ſeſe veros nondum eſſe docuerunt, qui falſos arguunt alios. Suum cuique pulchrum. Quod ſpectat ad Claſſium definiendarum nomina, laudandus eſt *Linnæus*, in quo omnis Græcia ſuos theſauros prodiga depoſuit, quod concinne admodum diverſas notiones unica dictione extulerit. Jam noſtris iſti termini in ore ſunt, & ſono placent. Artis eſt, celare artem, & monendi ſunt omnes eruditi, velint artis medicæ divitias Græcarum dictionum munimentis circumvallare, quo arceantur, qui Græca ignorant. In eo dabit veniam, ſi novorum generum, quæ uberrima adſunt, vel nominum immutatorum, uſum nondum fecerimus. Nam certum nondum exiſtit, cui ex tot nominum novorum artificibus (ſiquidem aliquando plures uni plantæ diverſa dederint nomina,) aſſenſum præbere debeamus. Relinquendum eſt aliquid temporum opportunitatibus; interea loquimur cum pluribus, & ſentimus cum *Linnæo* & eruditis.

BREVE RAGGUAGLIO DELLA NATURA E QUAlità dell' acqua nomata dal volgo in Aſiſi di Mojano, &c.

h. e.

BRE-

BREVIS EXPOSITIO DE NATURA ET QUAlitatibus aquarum, quibus vulgo Aſſiſienſium Mojanarum nomen eſt, inſtituta a NICOLAO ANTONIO CATTANI, Medico abhinc Spoletano, nunc Bevagnenſi Umbriæ. Accedit ſub finem Diſſertatio compendiaria Epiſtolaris, de uſu nunquam ſatis laudandæ diætæ aqueæ.

Aſſiſii, per Andream Sgarigliam, typographum Epiſcopalem & publicum, 1737, 4.

Plag. 17.

Poſt medicas aquas, quibus regnum Neapolitanum abundat, Lucullianas, variasque in ſinu Bajano erumpentes, poſt Iſchianas, ſeu eas, quibus Enaria Inſula abundat, laudantur fontes, qui prope urbem Aſſiſium, Metropolitanam Epiſcopalem, ſcaturiunt. Mons Jani forte hodie Majanus dicitur locus, quo fons erumpit. Dulces ſunt frigidæ & ſubpingues aquæ, æſtate algentes, hieme calidiores; id quod optimorum quorumque fontium eſt. Cito incaleſcunt, citoque deſervent; nempe id *Hippocrati* & *Celſo* inter ſigna ſalubrium fontium adducitur. Nihil epotæ ventriculum aggravant, ſed cito per alvum, urinam, & udorem, depluunt. Quamvis parum mineræ iſtis aquis ineſſe deprehendatur, neque proinde laudabiles minus ſint aquæ, quo ferro aliove foſſili pauperiores; cognitum tamen fuit, ſal ſubeſſe alcalinum, quod ſapore ſal tartari fixum exprimeret; ſiquidem & fervor cum acido, & mutatio ſyrupi violarum in colorem viridem, id uberius confirmavit. Cum oleo tartari per deliquium lacteſcit, cum rhabarbaro in rubrum mutatur colorem, cum pulvere gallæ levi rubore tingitur. Terra ineſt dulcis, ſubadſtringens, ſamiæ haud abſimilis. Quapropter virtutes terræ ſamiæ, quas *Dioſcorides* prædicat, huic etiam aquæ attribuuntur. Externe æſtum partium reſtinguit; fluxum menſium, floribus Punici mali infuſa, coercet; ſecundum principium ſuum martiale hypochondriacis favet. Diureſin etiam movet, nec quidquam exinde metuendum, quod terræ abundantis particeps ſit: cum nec Thermæ Carolinæ in Bohe-

mia, quas pecora potant & homines, quidquam tophi in corporibus eorundem produxisse observentur, quas tamen lapidea materia farctas esse, abunde constat. Accedit politissimo Operi Epistola, quam Cl. *Hieron. Martelli*, Ferrariensis, ad Autorem doctissimum, & rerum naturalium scientia ornatissimum, de præstantia aquarum montis Jani dedit. Ultimus Sermo, qui de aquæ in medicina præstantia peroratur, secundum regulas hydraulicas, hydrostaticas, & omnem de circuitu sanguinis doctrinam, perpolitus est. Peracta digestione, omnique cibo superato, frigida bibitur: determinata aquæ quantitas intra bihorium sorbetur. Exacerbato morbo non bibitur, sed exantlato paroxysmo: inedia frigidæ usum comitetur: eo usque abstineant a cibis ægri, donec summa eosdem cibum appetendi necessitas invadat ad languorem usque. Frigida, vel calida, secundum ægri dispositionem bibitur; juscula carnium una proponuntur. Ad colatoria corporis respicitur, num aperta eadem sint satis ad transitum aquæ concedendum, num sudet, mingat æger, epota aqua largius. Dentur, quæ hæc omnia juvare possint, remedia: sin effluere ocyus detrectent, abstineatur quantocyus. Omnes febres acutæ & chronicæ, morbique contumaces quam plurimi, frigidæ usu exsuperantur & debellantur.

THE DOCTRINE OF FLUXIONS, &c.

h. e.

JACOBI HODGSONI DOCTRINA FLUXIONUM, methodo ISAACI NEWTONI superstructa.

Londini, 1736, 4.

Alph. 2 plag. 12.

Licet non desint hodie libri, quibus fluxionum doctrina traditur; operæ tamen pretium se esse facturum existimavit Cl. Autor, si de eodem argumento fuerit commentatus. Nam, ut ad hunc librum scribendum adjiceret animum, eo potissimum fuit commotus, quod intellexit, plurimos, qui de fluxionibus exponere instituerint, nomine magis, quam re, fuisse usos, & methodum differentialem cum methodo fluxionum com-

commiscuisse; quod magno hujus scientiæ incommodo accidisse arbitratur. Quanquam enim hæ methodi in ipso quidem calculo minime discrepant; tamen, cum ab initiis proficiscantur longe diversis, factum esse putat earum confusione, ut multi methodi fluxionum neque naturam penitus perspexerint, neque certitudinem satis tenuerint. Itaque consilium cepit Cl. *Hodgsonus*, suam de methodo fluxionum tractationem solis illis superstruere fundamentis, quæ summus *Newtonus* in Libro *de Quadratura curvarum* jecit. Totum Opus in *tres* divisum est *Partes*, quarum *prima* naturam fluxionum explicat, & præcipuas regulas methodi fluxionum demonstrat, reliquæ *duæ* usum utriusque methodi, tam directæ, quam inversæ, ostendunt. Et in *prima* quidem *Parte*, præmissis Arithmetica exponentium, cujus regulæ ex natura & generatione potentiarum demonstrantur, & doctrina de seriebus infinitis, in qua extractio radicum, elevatio polynomiarum quantitatum ad dignitates quascunque, cum theorematibus binomiis, infinitinomiis, ceteris, traduntur, pergit Autor ad veram indolem fluxionum ex generatione mathematicarum quantitatum per continuum motum & perennem fluxum explicandam; deinde fluxionum omnium ordinum notationem & Algorithmum exponit, regulas inveniendi fluxiones exponentialium quantitatum demonstrat, denique ex fluxionibus fluentes inveniendi varias docet methodos, quæ cum & ad quasdam tantum fluxionum species sint restrictæ, & hodie satis vulgatæ, iis recensendis non immorabimur. *Altera Parte* methodi fluxionum directæ ad Geometriam curvarum præcipue applicatio ostenditur; &, cum maximus hujus methodi in tangentibus curvarum ducendis, in Problematibus de maximis & minimis solvendis, in puncto flexus contrarii curvarum inveniendo, in evolutis curvarum definiendis, in curvis catacausticis & diacausticis determinandis, sit usus, omnem operam Autor impendit, ut ejus methodi ad hæc Problemata applicationem perspicuis regulis & selectissimorum exemplorum apparatu declararet. Sed adjunxit etiam Problematum quorundam Physicorum & Mechanicorum solutiones, in quibus magna apparet hujus methodi utilitas; v. c. de legibus reflexionis & re-

Mmm 3 fra-

fractionis luminis, de curva celerrimi descensus, de curva, cujus circa axem rotatione solidum gignitur, quod, in fluido quiescenti motum, minimam resistentiam offendit. *Tertia Pars* tradit rectificationem curvarum quarundam, nimirum sectionum conicarum, spiralis logarithmicæ, *Archimedeæ* & reciprocæ, cycloidis, cissoidis, & logarithmicæ, quadraturam earundem curvarum, inventionem superficiei, soliditatis, centri gravitatis, & percussionis vel oscillationis variorum solidorum. Hæc summa fere capita sunt, quæ hic Liber complectitur, in quibus singulis pertractandis Cl. Autor ita versatur, ut, quam in usu methodi fluxionum viam & rationem Analystæ huc usque maxime fuerint secuti, distincte quidem & perspicue exponat, docere tamen exemplis, quam præceptis, maluisse videatur; ut adeo nullum sit dubium, quin divinæ hujus artis tirones hisce Institutionibus magno cum emolumento uti possint.

A COURSE OF EXPERIMENTAL PHILOSOPHY, &c.

h. e.

CURSUS PHILOSOPHIÆ EXPERIMENTALIS, Autore J. T. DESAGULIERS, LL. D. & R. S. S.

Volumen I.

Londini, apud Jo. Senex, W. Innys & Rich. Manby, J. Osborn, & T. Longman, 1734, 4.

Alph. 2 plag. 18, cum Tabb. æri incisis 32.

Clarissimus Autor jam diu summa ope nisus est, ut Philosophiam naturalem, & maxime ea ejus capita, quæ magnus *Newtonus* pertractavit, variis, partim jam antea factis, partim etiam novis, experimentis atque tentaminibus illustraret, suisque Auditoribus exponeret. Neque vero eos sibi sequendos putavit, qui ipsis experimentis contenti, de ordine eorum & nexu in Cursibus suis ac scriptis parum solliciti fuerunt; sed, *Jo. Keilii* exemplo, non tam de Cursu Experimentorum, quam potius de

de Curſu Philoſophiæ experimentalis, cogitavit. Itaque omnia ordine mathematico inter ſe connectenda, veriſque rationibus confirmanda, cenſuit: difficiliores etiam Geometrarum demonſtrationes non plane omittens, ſed partim in ipſo Opere, quod, Anglorum more, in Lectiones diviſit, partim in ſubjunctis copioſis Annotationibus, nunc propriis, nunc *Newtoni*, aliorumque verbis, afferens. Anno 1710, quo *Keilius* Academiam Oxonienſem reliquit, ipſe Curſus ſuos experimentales methodo *Keiliana* exorſus eſt, eosdemque deinde Londini, ab A. 1713 ad præſens usque tempus, non intermiſſo ſtudio continuavit, auditores & ſpectatores nactus (quod etiam publici nuntii ſæpius teſtati ſunt) utriusque ſexus & omnium ordinum quam plurimos. Tam indefeſſus autem hac in re fuit, ut ab A. 1710 ad 1734, quod mirum ſane videtur, 121 Curſus abſolverit, atque ut ex undecim vel duodecim viris doctis, quos ad præſens in Anglia atque aliis orbis terrarum regionibus Curſus experimentales inſtituere putat, octo ſuos numeret diſcipulos. Hoc certum eſt, eum eſſe non minus, quam *Keilium*, ſectæ *Newtonianæ* penitus addictum, de aliis Philoſophis, atque inprimis de *Carteſianis*, parum benigne ſentientem. Itaque dogmata ejus nova ſunt. Experimentorum magna eſt varietas: inter quæ non pauca, quanquam nihil aliud conficiunt, quam quod per ſimpliciora tentamina, vel æque facile, vel etiam facilius, confici poteſt, ad ſcopum tamen Clariſſimi Viri, atque ad captum auditorum ejus, utique videntur accommodata. Reſtat, ut, quæ hoc *primo* magni Operis *Volumine* (nam plura exſpectanda ſunt) continentur, breviter commemoremus. Poſt Dedicationem & Præfationem, notabileſque catalogos Dominorum Subſcriptorum, & erratorum typographi, quinque ſequuntur Lectiones, cum adjectis annotationibus, de quibus ſupra dictum eſt. Accedunt, præter deſcriptionem Planetarii, ab Autore inventi, addenda quædam, & Index. *Prima Lectione* id agit, ut doceat, proprietates illas corporum, quales ſunt gravitas, attractiones, & repulſus, non eſſe occultas qualitates, ſed vere exiſtere, & ipſis ſenſibus exhiberi per varia experimenta poſſe: eademque certos producere effectus, certis legibus con-

conformes. *Altera Lectione* de viribus & motibus corporum in genere, de celeritate & linea directionis, de centro motus & gravitatis, de quantitate materiæ & vacui: *tertia* de machinis simplicibus & compositis: *quarta* de frictione machinarum, agit. *Quinta* denique tres leges motus *Newtonianas* interpretatur: qua occasione etiam de motuum compositione & resolutione, de motu pendulorum, de motu projectorum ipsorumque astrorum, complura affert notatu digna.

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI, D. S. S. Theol. & Hist. Lit. Prof. Primitiæ Gottingenses Academicæ, hoc est, Dissertationes, partim Theologicæ, partim Historico-criticæ, in Georgia Augusta ante ejus inaugurationem ab ipso editæ. Accedit Exauguratio Gymnasii Gottingensis.

Hanoveræ, in officina Fœrsteriana, 1738, 4.

Alph. 1 plag. 15.

Cel. Antor, cum A. 1717 prioris sui muneris Gottingensis primitias edidisset, in his *Actis A. 1718 Mens. Januar. pag. 39 seq.* recensitas, nunc in nova Academia constitutus Professor, hujus quoque sui muneris primitias conjuncte publicandas censuit, hoc est, triennio ante inaugurationem edita Programmata, partim suo solius, partim publico, nomine scripta, Disputatationes item, illo temporis tractu habitas, duas denique Epistolas, & Orationem unam. Nec alienum duxit, Orationem annectere exauguralem, una cum præmisso ei Programmate. Primum quidem locum tenet ejus invitatio prima ad Lectiones suas Theologicas. Sequitur Dissertatio *de fictitio Joannis Apostoli Pontificatu maximo.* Scilicet, quæ de hoc Pontificatu leguntur in *Eusebio* & *Hieronymo*, mirum in modum exercuerunt doctissimorum hominum ingenia. Noster autem, omnes secutos esse falsam verborum *Eusebii* interpretationem, docet, observatque, verba illa non ad *Joannem* esse applicanda, sed ad

Chri-

Christum, Pontificem utique vere maximum a patre suo constitutum. *Tertia* Dissertatio *historiam* exhibet *gladii Academici*, docetque, inde demum a bello Germaniæ tricennali Studiosos cœpisse cingi gladio: quam in rem justæ & idoneæ proferuntur demonstrationes historicæ. *Quarto* loco e *Jacobi III*, 17, consideratur *idea Theologi Jacobæa*, eoque diligentius, quod nemo adhuc hunc hujus Apostoli locum debita illustravit diligentia. Omnes igitur Noster intendit nervos, ut singulorum hujus Apostoli verborum sensum recte perciperet, minusque probas aliorum interpretationes refutaret. E. g. cum, ἁγνὴν esse oportere Theologiam, *Jacobus* pronuntiet, Noster accurate docet, verbo isto significari puritatem doctrinæ sive orthodoxiam: hac occasione ostendens, etiam a priscis quibusdam Philosophis *veram doctrinam* appellatam fuisse δόξαν ὀρθήν. Quid sit hoc loco εὐπειθὴς, quid ἀδιάκριτος, etiam hic edisseritur haud perfunctorie. In *quinta* Dissertatione nomen *Schiloh Gen. XLIX*, 10, excutitur, contenditurque, vetustissimos Hebræos non שָׁלַח *(misit)* dixisse, sed שְׁלֹה, atque hinc natum esse nomen *Schiloh*, & proinde *legatum* significare: ut adeo Christus & primo & ultimo (*Malach. III*, 1.) Veteris Testamenti loco nominetur *legatus Dei*. *Sexta* Dissertatio est *de Christi passione majestatica*. Videtur scilicet scandalum crucis & ea re tolli, si perpendamus, qualem se gesserit Christus in ipsa cruce & in tota sua passione: quod nimirum omnia ita fecerit, ita locutus, ita passus sit, uti conveniebant personæ filii Dei, personæ Messiæ, personæ ejus, qui erat Rex hujus universi ac dominus eorum, qui in ipsum exercebant injustum judicium. *Oportebat eum*, inquit Noster, *hoc tempore minime dissimulare, se esse Messiam: nullas debebat ad judices emittere preces supplices, nullam animi abjectionem, nihil vitiosæ humanitatis, ostendere: factis etiam mere divinis oportebat eum docere, affixum esse cruci Dei filium.* Jam igitur perlustrans historiam passionis Christi, sedecim observavit specimina majestatis, a Christo tempore passionis suæ edita. Non licet nostræ brevitati recitare singula. Illud fatemur, hanc meditationem multum facere ad confirmandum animum de divinitate Chri-

ſtianæ religionis. Nec illud prætermittere poſſumus, Autorem noſtrum narrationem *Matthæi XXVII, 52, 53,* ita interpretari, ut credat, eos, qui tum in vitam redierint, noviſſime fuiſſe vita defunctos, cum agnoviſſent, Jeſum eſſe verum Meſſiam, reſuſcitatosque, in urbem Hieroſolymam reverſos, ſuam quemque domum repetiiſſe: atque ita multis obviam factos eſſe, qui ipſos viderint ferali adhuc veſte illa indutos, in qua elati fuerant. In *ſeptima* Diſſertatione accurato examini ſubjicitur teſtimonium militum de reſurrectione Chriſti, *Matth. XXVIII, 11 - 15,* & ſimul ſingula hujus hiſtoriæ verba illuſtrantur, allatis pluribus, alibi non obviis, animadverſionibus. Hic etiam nota ſtultitiæ liberatur dictum illud militum: *Diſcipuli corpus ejus abſtulerunt nobis dormientibus.* Diſſertatio *nona* illuſtrat locum *Pauli Eph. III, 18, 19,* de Chriſti amoris erga homines immenſurabilitate, oſtenditurque, interpretes infirmas proferre ſubtilitates de hujus amoris & latitudine, & longitudine, & profunditate, & altitudine: cum mere proverbialis hæc ſit dictio, immenſam ſignificans & infinitam rei cujuspiam magnitudinem. In Appendice huic Diſputationi ſubjecta primo locus ille *Matthæi II, 23: Chriſtus vocabitur Nazaræus,* conſideratur, doceturque, a *Matthæo* reſpici verba *Judic. XIII, 5,* de *Simſone* prolata; deinde oſtenditur, duo presbyterorum genera, *1 ad Tim. V, 7,* commemorata, eſſe Epiſcopos & Diaconos primitivæ Eccleſiæ, fruſtraque ſudaſſe in hujus loci interpretatione viros doctiſſimos. *Undecima* Diſſertatio eſt *de ortu nominis Chriſtianorum,* ad *Act. XI, 26.* Hic primo probatur, nec Judæos, nec ipſos Chriſtianos, fuiſſe hujus appellationis autores: deinde pluribus demonſtratur argumentis, factum fictumque eſſe nomen *Chriſtianorum* ab ethnicis. Hac occaſione etiam ratio redditur, cur Germani non dicant *die Chriſtianer,* ſed *die Chriſten:* itemque oſtenditur, quomodo factum ſit, ut nomen *Chriſtiani* fieret nomen proprium. In Diſſertatione *decima tertia* diſputatur *de tribus menſuris effuſionis Spiritus S. in N. Teſtamento,* & adhibetur hæc meditatio ad eripienda enthuſiaſtis ſui erroris præſidia. *Decima quarta* Diſſertatio *hiſtoriam Eſtheræ* ita illuſtrat, ut illi ſua vindicetur divina autoritas, evulſis & piarum & impiarum

men-

mentium ſcrupulis. Dubitationes de αὐθεντίᾳ atque autoritate canonica hujus libri proferuntur ſeptem *§. V*, ad easque ſingulas deinceps reſpondetur. Nos hæc tantum inde referimus, *Ahasverum* Regem eſſe *Artaxerxem Longimanum*, novis hic probari argumentis, ex ipſo hoc libro petitis; oſtendi, ſcriptorem hujus libri fuiſſe *Mardochæum;* collocari hunc librum in ſacro Codice oportere medium inter *Hiſtoriam Esdræ* & *Hiſtoriam Nehemiæ*. Hic ſimul contenditur, dictum illud *Jeremiæ XXXI, 22*, eſſe vaticinium de liberando per matrimonium *Eſtheræ* e captivitate populo ſacro. Diſſertatio *decima quinta* ſollicite adſtruit & vindicat Spiritus S. teſtimonium internum de religionis noſtræ divinitate. Subſequens vitam & ſcripta *Iſidori Peluſiotæ* conſiderat, horumque editiones & verſiones, ſimul docens, & aliquot argumentis confirmans, pleraſque ejus *Epiſtolas* eſſe fictitias, hoc eſt, non ad eos, quorum præſcripta ſunt nomina, miſſas, ſed in uſum diſcipulorum Rhetorices elaboratas. Tolluntur etiam aliquot errores publici de hoc *Iſidoro*, e. g. quod fuerit Abbas, quod diſcipulus fuerit *Chryſoſtomi*. In *decima ſeptima* Diſſertatione docetur, ubi & qualis Epiſcopus fuerit *S. Hippolytus*, Seculi tertii ſcriptor eccleſiaſticus. Cum ſcilicet & *Euſebius* & *Hieronymus* fruſtra quæſiverint Eccleſiam, cujus Epiſcopus hic fuerit *Hippolytus;* Noſter docet, eum plane non fuiſſe Epiſcopum eccleſiaſticum, ſed, cum ethnicus adhuc eſſet, Romæ fuiſſe Epiſcopum navium publicarum. Hac occaſione oſtendit, nomen *Epiſcopi* etiam civilis dignitatis olim fuiſſe appellationem: quem in modum & *Superintendentis* titulus æque de politica, ac de eccleſiaſtica, dignitate uſurpari conſuevit. Ultimo loco & illa ſententia fundamento carere dicitur, qua vulgo creditur, *martyrem* fuiſſe illum *Hippolytum*. Locum *decimum octavum* occupant *Elogia doctorum Gallorum Seculi quinti, ex Apollinaris Sidonii Operibus excerpta*. Horum cum plerorumque mentio ne in diligentiſſimi quidem *Fabricii Bibliotheca medii ævi* fiat, & in *Leyſeri Hiſtoria Poetarum medii ævi* ne unius quidem horum, acceſſione hac Noſter locupletare ſtuduit Hiſtoriam literariam. Obſervatur hic *pag. 264*, *verſus leoninos* nomen accepiſſe a *Leone* quodam, hujus Seculi Poeta inſigni,

Nnn 2

signi, eodemque duorum Regum Gothorum Consiliario. Observatur hic item, *Probam Falconiam*, illam *Centonis Virgiliani* autorem, non fuisse uxorem *Adelphii* Proconsulis, quæ quidem inveterata est opinio, sed *Adelphii* Rhetoris, de quo sola superest mentio *Sidoniana*. Sequitur *pag. 271 seq. Exauguratio Gymnasii Gottingensis, majori scholæ cedere jussi*, constans Programmate & Oratione. Agmen claudit *Oratio, primo Academiæ Gottingenses Collegio* (quod vocant) *Theologico* a Cel. Autore nostro *præmissa*: in qua tractatio doctrinæ religiosæ systematica defenditur, ac simul magnis laudibus afficitur B. *Buddei Theologia dogmatica*.

BIBLIOTECA VOLANTE, &c.

h. e.

BIBLIOTHECA VOLITANS JOANNIS CINELLI CALVOLI, continuata per D. DIONYSIUM ANDREAM SANCASSANUM. Editio altera, in meliorem formam redacta, ac variis accessionibus observationibusque locupletata. Tomus secundus, dedicatus Reverendissimo Patri ALEXANDRO ROSSI OLIVETANO, Abbati Cœnobii di Rovigo.

Venetiis, typis Joannis Baptistæ Albrizzii, 1735, 4. Alph. 1.

Præfatio partes *Tomi* ac potiora momenta denuntiat. Vindiciæ D. *Joannis Cinelli Calvoli*, quas ipse emisit in controversia medica contra *Bernhardum Ramazzinium* ac alium quendam, sequuntur deinde, quibus plus caloris ac imaginationis inflammatæ, quam judicii sobrii, inesse intelligitur. Hasce excipiunt literæ & *Vallisnierii* & *Calvoli* ad *Sancassanum*. In Bibliotheca ipsa recensentur Autores librorum ac opusculorum ad legem Alphabeti, & quidem secundum literas C, D, E, & F. Accessiones in calce *Tomi* adjiciuntur *pag. 355-360*. Decerpemus passim nonnulla, quæ videntur jucunda. In monasterio primo S. Mariæ novæ Florentino veteres sunt pictu-

ræ de Creatione mundi, quarum una ſacrificium *Abelis* & *Caini* Pag. 2 &
exhibet cum hoc vulgari verſu retrogrado *Politiani:* 165.

Sacrum pingue dabo, non macrum ſacrificabo.

Abeli hæc mens ab initio orſa tribuitur. *Caino* tribuuntur verba retrorſum lecta. Singularia nonnulla de hoc verſu attulit *Frid. Otto Menckenius*, Collega noſter, in *Vita Angeli Politiani*, A. 1736, 4, edita. *Conſtantini Cajetani*, Abbatis Caſſinenſis, ſcripta curate & copioſe hic recenſentur ex Abbatis D. *Mariani Armellini* Bibliotheca Caſſinenſi. In eis obvia eſt *brevis de-* 4 ſeq.
ſcriptio eorum, quæ in Anglia geſta ſunt adverſus Catholicos a ruptis cum Hiſpano conjugii fœderibus, & cum Gallo iniri cœptis, per M. Antonium de D. C. *cum in urbem rediiſſet, ſuæ* 6.
ſanctitati fideliter repræſentata. Reliquit Abbas *Cajetanus* multa MSta ſacra, eaque in *Tomos Miſcellaneorum ſacrorum* nonnullos diſtribuit. Notamus, in *Tomo ſecundo* contineri vitam D. *Bennonis, Epiſcopi Miſnenſis*, autore *Hieronymo Emſero* ſcriptam. Addit *Sancaſſanus: Litera nuncupatoria data* 10.
eſt A. 1512 ad Sergium, Saxoniæ Ducem - - Notat præterea, deeſſe annum impreſſionis. Sed Dux ille vocandus erat *Georgius*. Liber vero ipſe formis publicis Lipſiæ fuit expreſſus. In fine enim ejus hæc leguntur: *Melchior Lotterus, Lipſenſis Calcographus, imprimebat anno ſalutifere incarnationis domini milleſimo quingenteſimo duodecimo.* In Bibliotheca eadem exſtitit *Conſtantini Cajetani Liber apologeticus de fidei ſinceritate ac vitæ innocentia Joachimi, Abbatis monaſterii S. Joannis de* 14.
Flore in Calabria. Commendandus hic eſt Ven. *Joanni Lamio*, qui nuper *Joachimum* in ſuſpicionem Tritheiſmi adduxit. In *Tomo V* MStorum Bibliothecæ *Cajetani* memorantur *Quinque prudentes Virgines Evangelicæ Benedictinæ, Eliſabet, Hildegardis, & Gertrudis, Abbatiſſæ, Roſvida, Methildis, ſanctimoniales, a D. Conſtantino una cum earum libris Spiritu Sancto dictante conſcriptis, ſcholiis illuſtratis & recenſitis, mundo exhibitæ.*
Cajetanus A. 1632, completo ætatis ſuæ anno 72, adhuc libros 16.
MStos deſcripſit. *Platinam* conſcripſiſſe etiam Cardinalis *Jo-* 17.
annis Milcini vitam ad *Celſum Milcinum* Latine, ex Catalogo Bibliothecæ *Cajetani* diſcimus. Epiſcoporum Forojulienſium

ſeries emendatur *pag. 48 ſeq.* unde D. *Ferdinandi Ughelli Italiæ ſacræ Tomus II* ſuppleri poteſt. *Chriſtophori Cellarii*, Smalcaldienſis, *Hiſtoria antiqua, ex genuinis documentis decla-*
Pag. 124. *rata, ab initio Imperiorum usque ad Conſtantini Magni ætatem, cum Notis perpetuis & Tabulis ſynopticis*, Cizæ, 1685, 12, edita,
176 ſeq. recuſa fuit Senis in Italia A. 1697. *Hermanni Conringii* ſcripta laudantur, ac magnam partem nominantur, ipſe autem appellatur vir medicinæ peritiſſimus, & Philoſophia, bonis literis, ac Jure publico, ſuæ ætatis in Germania inter primos cultiſſimus. De *Henrico Catharino Davila* afferuntur memorabilia, isque perhibetur libros ſuos de bello Gallico civili in bello,
229. & Zaræ quidem in Illyrico, finiiſſe. In *Chriſtianum Daumium*,
231 ſeq. Scholæ Cygneæ Rectorem, elogia conferuntur exquiſita. *Thomæ Dempſteri* ſcripta recenſentur pleraque. *Bodini* Hepta-
240. plomeres conciſe exponitur. Plerorumque librorum titulis nihil adjungitur, quod vel libri ſummam, hiſtoriam, & fata, vel Autoris hiſtoriam, detegat, excepto, quod Medicus ad recenſionem ſcriptorum medicorum ſubinde paucula fuerit commentatus. Memoratu digna eſt *Clementis XII Oratio Conſiſtorialis, Literæ Apoſtolicæ, & Breve, quibus bona eccleſiaſtica in ditione Saxonica iis, qui ad catholicam eccleſiam redie-*
357. *rint, remiſſa declarantur. Romæ, 1732, ex typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ, fol.* Unde pateſcit, Conſtitutiones, quæ ab Imperatore, Regibus, & Principibus, ſanciuntur, Romæ pro irritis haberi, niſi approbatio Pontificum accedat. Quid enim de bonis eccleſiaſticis in pace Paſſavienſi, ac regia Auguſtana, nec non Weſtphalica, fuerit decretum, nemini eſt obſcurum.

PARERGA, SIVE ACCESSIONES AD OMNIS generis eruditionem.

Tomi I Libri IV.

Gottingæ, apud Abr. Vandenhœck, 1736, 1737, 1738, 8. Alph. 2 plag. 8.

Eſt

Est hæc Sylloge Dissertationum de selectis varii generis argumentis, compositarum a novæ Academiæ, quam Gottingæ condidit Rex magnæ Britanniæ tanquam Princeps Elector Germaniæ, Professoribus: quibus tamen aliquot exterorum Dissertationes adjunctæ sunt rari solideque tractati argumenti. Præfationem præmissam huic Operi esse novimus a Cel. *Heumanno*, in qua consilium hujus instituti exponitur, certæque iis, qui *συνεργοὶ* esse voluerint, præscribuntur regulæ. Non licet nobis per brevitatem nostram, singulas has Dissertationes recensere plenius. Sufficiet igitur, nominatim laudare singulas, ad quas perlustrandas facile invitabit ipsa instituti novitas.

Liber primus exhibet Joach. Oporini *Gloriam obscurioris de Messia testimonii Prophetici;* G. S. Treueri *Observationem de significatu honorum, qui in feudorum concessione commemorantur;* Magni Crusii *Observationes in Judicium Revisorum de libro Gallico:* Histoire du peuple de Dieu; a Jo. Matth. Gesnero editas *duas Epistolas Lipsii, & duas* Jos. Scaligeri; G. Mascovii *Præteritum institutum ad l. 3 C. de inoff. test.;* S. C. Hollmanni *de vermiculis seu animalculis seminalibus Observationem;* C. A. Heumanni *Dissertationem apologeticam pro Davide omnis turpitudinis notis insignito a* Bælio; J. D. Kœleri *Dissertationem, an Romani ad unumquemque nummum formandum novo typo usi sint;* J. C. Kœcheri *Dissertationem de vera Academiæ notione;* C. A. Heumanni *Observationem, qua numero Jureconsultorum eximitur Minutius Felix;* Ejusdem *Dissertationem de hostili Judæorum excussione pulveris, ad* Actor. XIII, 51.

In *secundo Libro* prodit D. G. Strubenii *Observatio de Officio litonico;* G. S. Treueri *Monstrum arbitrarii Juris territorialis, a legibus Imperii e Germania profligatum;* G. C. Gebaueri *Observatio de* Plinii *loco Hist. nat. Lib. III Cap. 16;* H. C. Senckenbergii *Diss. de occasu inferioris Alsatiæ Landgraviorum sive Comitum de Werde;* Ejusdem *de communibus decretis* (gemeinen Bescheiden) *summorum Imperii dicasteriorum;* J. C. Harenbergii *de Metim & Rephaim*, Jes. XXVI, 14, 19; F. H. Witzen-

Witzendorfii *de etymo & primordiis Luneburgi*; Christ. Sandii & Huetii *Epistolæ aliquot amœbeæ*, ineditæ; *Nodi Quintilianei*, propositi a J. M. Gesnero; *S. Bonifacii Epistola visionalis*, *emendata & atro carbone notata a* C. H. Heumanno: cujus & sequitur *Interpretatio initii Canonis Sexti Concilii Nicæni*.

Tertius Liber continet *tres veteres Epistolas de* Joanne Hiltenio, *nunc primum editas a* C. A. Heumanno; J. A. Segneri *Dissertationem de tubis capillaribus vitreis*; C. A. Heumanni *Illustrationem novam historiæ sacræ de Melchisedeco*; *Gottingensia quædam circa initia Seculi XVI*, eruta a J. M. Gesnero; *C. D. Dissertationem*, *qua tollitur error historicus e Vita Alberti Ursi*; G. S. Treueri *Pædiam Juris feudalis universalis*; E. F. *Parergon Botdingicum*, vom Botdings-Steine zu Stade; H. C. Senckenbergii *Conjecturas de* Gunthero, *scriptore Ligurini*, *quod scilicet sit scriptor supposititius*; D. G. Strubenii *Observationem de vestitu vasallorum*; *Varias lectiones Codicis MSti Gothani* Lactantii, *cum animadversionibus* J. M. Heusingeri & C. A. Heumanni; J. M. Glæseneri *Disquisitionem de testimoniis Judæorum pro veritate religionis Christianæ caute allegandis*; C. A. Heumanni *Refutationem fabulæ*, *qua Dionysius*, *Siciliæ Rex*, *in exilio suo factus esse traditur magister puerorum*.

In *quarto* denique *Libro* subjicitur oculis eruditorum G. H. *Memoria Henrici Minnike*, *Hildeshemii A. 1225 hæreseos condemnati*, & *ignis supplicio affecti*; J. K *Indiculus doctrinarum*, *ob quas Augustæ Vindelicorum A. 139** *complures cives ignis supplicium sustinuerunt*; J. F. Bertrami *Interpretatio meteorismi* Lucæ XII, 29; J. P. Kohlii *Consultatio de scribenda Bibliotheca Slavonica*; J. A. Danzii Dissertatio, nunc primum edita, *de Tryphone*, *Justini Martyris collocutore*; L. M. Kahlii *Descriptio & Explicatio annuli rarissimi & antiquissimi*, *in Anglia asservati*; Ejusdem *Observatio* περὶ οἴνου ἐσμυρνισμένου Marci XV, 23; Ejusdem Dissertatio *de editione rarissima Indicis librorum prohibitorum & expurgatorum*; C. A. Heumanni *Observatio de Bibliotheca Pauli Apostoli*, 2 Tim. IV, 13; A. C. Werneri *Observatio philologica de nomine* Abrech, *Josepho bono-*

honoris ergo impoſito, Gen. XLI, 43; Epiſtola *de nova arte typographica*, A. 1734 ſcripta a *J. B. de Lana* ad Profeſſores novæ Gottingenſis Academiæ, nunc edita a *C. A. Heumanno.*

Ingenue fatemur, & argumenta harum Diſſertationum ſua ſe partim raritate, partim novitate, commendare, & elaborationes earum non eſſe perfunctorias, ſed demorſos ſapere ungues. Quare vehementer optamus, ut *Tomo* huic *primo* non ſolum *ſecundus* ſuccedat, ſed aliquando etiam *centeſimus*, atque ſic ex novæ Academiæ Georgiæ Auguſtæ conatibus plurimum ad literariam rempublicam commodi redundet.

JO. HENR. A SEELEN, S. S. THEOL. LIC. ET Gymn. Lubec. Rectoris, Meditationum Exegeticarum, quibus varia utriusque Teſtamenti loca expenduntur & illuſtrantur, Pars tertia.

Lubecæ, ſumtu Jonæ Schmidii, 1737, 8.

Alph. 2 plag. 17, cum Tab. æn. 1.

Doctrinam & veritatis divinæ ſtudium, lumina duo fulgentiſſima, dudum in Cel. *Seelenio* ſuſpeximus. Ut magni faciamus merita ejusdem literaria & orthodoxiæ plena in poſterum, nos adducit hæc quoque *Pars Meditationum Exegeticarum*, inſcripta Viris ſumme Venerabilibus Celeberrimisque, *Erico Benzelio*, S. S. Theol. D. & Epiſcopo Lincopienſi, nec non *Georgio Wallino*, itidem Theol. Doctori, & Superintendenti Gothico. Ne autem doleamus, hanc *Partem* vocari ultimam, efficit promiſſum Autoris, in Præfatione datum, quo ſpes nobis facta eſt, fore, ut aliam poſthæc inſcriptionem adhibeat. Celebrat merito D. *Georgii Gœtzii*, Norimbergenſis, inſtitutum Noſter, quo *varias Obſervationes celeberrimorum Medicorum, quibus multa Veteris ac Novi Teſtamenti loca docte illuſtrantur*, edere in animum induxit. Pleraque in *tertia* hac *Parte* comparent auctiora. Recentes plane ſunt *Obſervationes II, III, IV, V, XXI, XXXII, XXXIII, XXXIV*. Noſtrum eſt, e ſingulis aliquid in uſus decerpere communes. *Obſervatione prima* diſſeritur *de Codice rariſſimo Pſalterii, in Saxoniæ inferioris linguam tranſlati, & gloſſis aucti.* Ipſa vero vocatur

tur *Commentatio prior*. Pſalterium jam enarravit Autor MStum Latino-Germanicum, quod Maxime Rever. *Neumeiſterus* poſſidet. Recenſionem ejus ſcholiis exegeticis inſtruxit Noſter in *Parte II* harum *Meditationum pag. 517 ſeq.* Nunc aliud illuſtrat Pſalterium, rariſſimum, Luneburgo in Angliam ad Bibliothecam
Pag. 5. Illuſtris *Sloanii* inſtructiſſimam deportatum. Conſtat illud verſione Saxonica antiqua, membranæ impreſſa, figuris & literis deauratis brevi poſt artem typographicam inventam decorata, 257 foliis, quibus in fronte deſunt alia 23. Typotheta vel librarius fuit Saxo ſuperior, eo quod ex ſua dialecto admiſcuit voces pauculas. Lubecæ videtur id debere ſua incunabula. Annus editionis, & Autor verſionis, ignorantur. Autor Papiſmo ſatis craſſo fuit imbutus, affectavit ſtudio nimio ſenſum myſticum,
7. nonnunquam tamen veritatis exhibet teſtimonia, e *Lyra* fortaſſis hauſta. In inſcriptionibus Pſalmorum ſæpius hiſtoriæ *Davidicæ* habet rationem, ac præterea indicat, ubi in iisdem agatur de Chriſto. Gloſſæ permultis locis infartæ. In fine adje-
13 ſeq. cta ſunt nonnulla additamenta. Vocem *Sela* interpres Saxonicus, quippe quam non intellexit, omiſit plane. Per ſolem ad *Pſ. XIX, 5, 6, 7,* intellexit *corpus Mariæ*, anſam præbente vul-
16. gata. Per *tentorium* quid ibi declaret Hieropſaltes, interpretes non ſatis conveniunt. Interpres vetus Saxo in *Pſ. XXV,*
18. *11*, juſtificationem hominis ex ſolius meriti Chriſti imputatione repetivit. Ad *Pſ. LIII, 2*, opinatus fuit, atheum intelligi
22. practicum, cum tamen theoretici, quales ad tempus omnino dantur, excludendi haud ſint. *Obſervatione II* exhibetur *Ora-*
30 ſeq. *tio ſecularis de integro Opere Biblico Lutherano, lingua Saxoniæ inferioris Lubecæ primum excuſo, & A. 1534 d. 1 April. finito, ac felicitate ad Saxones, laude ad Lubecam, inde redundante.* Agitur in ea de feſtorum cauſis, diſcrimine, & multitudine: de ſcriptoribus, feſta illuſtrantibus: de feſto, in memoriam verſionis Lutheranæ a *Jo. Bugenhagio* quotannis celebrato: de utilitate, quam *Mart. Lutherus* cœtui ſacro verſione Bibliorum Germanica attulit: de providentia divina, quæ in hoc negotio ſeſe exſeruit: de Bibliis in Saxoniæ inferioris linguam translatis: de *Bugenhagii* & aliorum huic rei navata opera: de ci-

vibus

vibus Lubecensibus, qui opus Biblicum sumtibus suis excudendum curarunt, & præsertim de *Ludov. Dietzio*, claris typographis annumerato: de Saxonum inferiorum felicitate, e facultate legendi S. Scripturam ostensa; de *Nicolao le Maire*, qui notatur: de Psalterio, Lubecæ A. 1493, 4, edito: de Bibliis, ibidem A. 1494 in folii forma evulgatis, in quæ jam commentatus fuerat Autor in *Select. Liter. pag. 211 seq. 657 seq. Obser-* Pag. 68 seq.
vatio III complectitur *Commentationem posteriorem de Codice rarissimo Psalterii, in Saxoniæ inferioris linguam translati, & glossis aucti.* Vocabulum *Hor* in eo occurrit, hoc est, *lutum*, 76.
Ps. XL, 3, & LXIX, 3. Haquinus Spegelius in Glossario Sueo-Gothico *pag. 187* notavit, in lingua Gothica *stercus* & *lutum* vocari *horo*, ac in Anglo-Saxonica *sordidos* appellari *horrig*. Addimus cum Cl. *Frischio*, mensem *Hornung* inde dici, quasi lutulentum. De vocula *Hort*, qua Lutherus *rupem* expressit *Ps. XIX, 15*, disserit Autor, ita, ut eam denotare existimet thesaurum & locum custodiendi thesauri. Addimus, ad Visurgim 78.
& Leinam exstare eam vocem, & simplicem, & in compositione. Vocant rustici crates, quibus noctu conclusæ asservantur oves in agris, *Hort*, *ene Schaper-Hort*, ac quadratum e viminibus contextum pro caseis siccandis receptaculum *eine Kæse-Hort*. Unde patet, designari ea voce receptaculum, quo aliquid securitatis causa asservatur & custoditur. Gothis veteribus *hirda* est *custodire*. Quare *hirte* est *custos*. *Lucke* vero est sors. Unde olla sortilegorum vocatur *Lückepot*. Calix notat *demen-* 87.
sum calamitatis Ps. CXVI, 13, Marc. X, 38, Matth. XX, 22, ex sententia quorundam. In primo loco accedendum omnino est *Theodoro Dassovio*, qui poculum paschale quartum, gratiarum 89.
actioni adjectum, pro symbolo benedictionis habet, dummodo demonstratum fuerit, illud ætate *Davidis* moribus fuisse receptum. Habent versiones nostræ veteres usum non contemnendum in explicandis vocum radicibus, ac in comparatione caliginis temporum superiorum cum luce, qua fruitur ætas nostra. *Observatio IV* illustrat *Psalterii Codicem MStum*, 92 seq.
quem asservat Bibliotheca Lubecensis, insertis passim annotationibus exegeticis. Scriptor ignoratur. Exegesis ejus nimia

 sensus

ſenſus myſtici affectatione laborat. Tralucet tamen ſæpius
Pag. 96. veritas. Errores vulgatæ verſionis fideliter retenti. Monachus Cœnobii S. *Annæ* Lubecenſis videtur in eo elaborando deſudaſſe. Vox *ee* pro fœdere paſſim in illo occurrit. Recte refellitur ingenioſus *Theodori Haſæi* luſus, qui inciſum pri-
105 ſeq. mum primi Pſalmi de Chriſto per vocum dilacerationem, ac punctorum vocalium immutationem minus juſtam, violenter expoſuit. Interpres Berleburgenſis merito caſtigatur, qui generationem Chriſti a Patre æternam, *Pſalmo II* ſignificatam,
113. extendit ad generationem Fanaticorum, qua Deus in animis in nihilum redactis Chriſtum generaſſe & generare perhibetur.
123. Vox *buchel*, vel *buckel*, quod addimus, non ſcuti tantummodo mediam partem ſeu umbonem denotat, ſed proprie indicat rotundum ad mediam partem, acclivem & exporrectum, locum, qualis eſt umbo. Noſtri librum umbilicis ſeu umbonibus ornatum *en bok mit puckeln beslagen* vocant. In phaleris equorum pariter occurrunt umbilici e metallis facti, vulgo *puckeln*. Gibbum noſtri vocant *puckel*, & gibboſum *pu-*
131. *ckeligt*. Solida eſt emendatio verſionis *Lutheri*, qua Autor dictum illud *Pſ. XXXVII*, 25, ita legit: *Ich bin jung geweſen und alt worden - oder ſeinen Samen, nach Brod gehend.* Juſtus enim, ejusque progenies, eidem virtuti operans, non deſeritur a Deo, licet hæc, licet ille, panem etiam oſtiatim ad tempus conquireret. In Ebraico enim legitur מבקש participium,
132. non infinitivus. In *Moſis* Pentateucho de Chriſto oracula exſtare, conſtat ex *Pſ. XL*, 7, 8, 9. Utinam hoc Interpres
134. Wertheimenſis notaſſet! Per *montem Pſ. LXVIII*, 17, Noſter intellexit *eccleſiam*, per *Benjaminem parvum* v. 28 *Paulum* Apoſtolum. Apoſtolorum ultimus & minimus *1 Cor. XV*, 9, nomine denominatus *Pauli*, id eſt צָעִיר, *parvi*. Quod vero per רֹדֵם, *dominantem ipſis*, deſignetur præceptor cum imperio, *Paulus* cum virga, id nonnullis fortaſſis videbitur longius re-
140. petitum. Per *montes rapinæ* הררי טרף *Pſ. LXXVI*, 5, intelligit montes, in quos olim prædones ſecedebant, in viis ſpolia exercentes, ac in occulta petrarum congerentes. Egregiis ex hiſtoria exemplis hanc cogitationem illuminat. Miraculum

culum columnæ nubis ac ignis, *Pſ. LXXVIII, 14*, decantatum, Pag. 148
debite vindicatur adverſus Cl. *Hardtium*, præeunte *Chriſtiano Mündenio*, Francofurtenſium Ephoro merentiſſimo. *Petrum* exſtitiſſe Romæ, Noſter cum *Friderico Spanhemio* inficiari videtur. Controverſiam de anima, a *Davide* manibus geſtata, 150.
ad *Pſ. CXIX, 109*, recenſet, flammis involutam A. 1723 in Saxonia inferiori. Obiter obſervamus, diſſidentium ſententias 155 ſeq.
poſſe inter ſeſe conciliari. Qui enim, de *ſollicita animæ cura Davidem* fuiſſe locutum, exiſtimant, animam periculo expoſitam fuiſſe largiantur, neceſſum eſt. Unde enim eſt animæ ſollicitudo, niſi a periculo? Ubi vacamus periculo, ibi ceſſat ſollicitudo. Ideæ illæ ſunt relativæ, ac una earum complectitur alteram. Alteram de periculo manifeſto expoſitionem exemplis ſolide 179 ſeq.
adductis congeſtisque comprobat Autor. *Obſervatione V* diſ- 186 ſeq.
ſerit de *Pſalterio MSto Capelliano, ob ſingularem elegantiam commemorabili.* Dicitur illud ita a *D. Rudolpho Capello*, Profeſſore quondam Hamburgenſi, qui illud olim poſſedit. *Obſer-* 196 ſeq.
vatione VI de *Timotheo confeſſore*, ad *1 Tim. VI, 12*, exponitur. Sapit illa ungues demorſos, lucernamque olet. In fine nonnulla adjiciuntur de confeſſione Salisburgenſium Proteſtantium, qui arva patria nonnullis ante annis ob religionem deſerere coacti ſunt, & læti reliquerunt. *Timotheum* fuiſſe ba- 211.
ptizatum, ipſe ex eo comprobat, quod aperte vocatur μαθητὴς, *Actor. XVI, 1.* Succedit *de Chriſto Confeſſore*, ad *1 Tim. VI, 13, 14*, *Obſervatio VII*, lectione omnium admodum digna. 231 ſeq.
Obſervatione VIII de Magiſtratibus miniſtris Dei, ad *Rom.* 264 ſeq.
XIII, 6, Ecloga exhibetur. De Liturgis, Liturgia, ac Liturgiis ſuppoſititiis, ac Fanaticis, magiſtratui politico perperam infeſtis, egregie in ea diſſerit Autor. *Obſervatione IX* agitur *de* 281 ſeq.
Electa domina, cujus fit mentio *2 Jo. v. 1. Joannem* Commentator Apoſtolum credit dici presbyterum, eique ſecundam hanc Epiſtolam aſſerere contendit, accipiens electam dominam cum *Luthero* appellative. Eccleſia nequit denotari per eam, quia Apoſtolus, teſte inciſo 12, ſcripſit ad matronam, quacum ſeſe coram collocuturum ſperat, & cui ſororem, nec non ſororis liberos, tribuit. *Obſervatio X* agit *de vincente, a Deo hærede & filio nominato*, ad *Apoc. XXI, 7.* Beatitudinem regeni- 297 ſeq.

 torum

torum in hac vita non nisi spei esse, conjunctæ cum lachrymis & pugna, ostenditur; beatitudinem & rei & victoriæ ad vitam sempiternam pertinere, pulchre monetur. Vocem עָדֶיךָ *Lutherus* vertit *deine güldene Rose*, id est, decor tuus, quasi legisset
Pag. 325 seq. עֲדָיִךְ ex עֲדִי vel עֶדִי. Sed salva res est. Sequitur enim tertia persona generis fœminini תֵּאתֶה, *veniet*. Adjuvat accentuatio. Quid impedit, quo minus vox ipsa exstiterit עֶדִי, ac intelligatur *complexus omnium ornamentorum*, *quodvis decus*, quale quid in rosa consecrata, quam Romani pro præstantissima habent & aurea, recentior ætas consistere credidit. Ad turrim Ader seu gregis decus quodvis redundavit, dum pastores, ad eam excubantes, ovibus custodiendis intenti, gloriam Domini & Angelorum doxologiam in eo tractu animadverterunt, ea, ut Bethlehemum irent, incitati. Turris *Ader* vocatur *clivus Zionis*, eo quod per colles & montes inde ad *Zionem*, ecclesiæ Christi typum, iter patuit adscendenti. Ex forma עִדִי vel עִיר fluere potuit עָרִים, uti ex עִיר est עָרִים. Forma כלה & כול, ספה & סוק non differunt significatibus. Digreditur Autor ad rosarum virtutes, ac *Observatione XII de filio sa-*
365 seq. *piente patris gaudio*, ad *Prov. X, 1*, exponit. *Observatio XIII* inscripta est *de proba conjuge cum navibus mercatoris*, Prov.
387 seq. XXXI, 14, *eleganter comparata*. *Observatione XIV* disseritur *de Joanne lumine ardente & splendente*, ad *Jo. V, 35*. *Obser-*
426 seq. *vatio XV de Thesauro Jacobi*, ad *Jer. X, 16, LI, 19*, agit. *Observatione XVI* exponitur *de Deo solis & clypei nominibus insignito*, ad *Ps. LXXXIV, 12*. *Observatione XVII* disseritur *de firma*
506 seq. *Davidis in Jehovam fiducia*, *Ps. XXVII, 1*. *Observatione XVIII* tractatur *de Ornatu Ecclesiæ spirituali cum sponsi & sacerdotis quidem, ac sponsæ, ornatu*, *Es. LXI, 10*, *comparato*. *Observationе XIX* exhibetur *Judas*, Apostolus junior, *Anti-Fanaticus*. Habes hic magnam Theologiæ anti-fanaticæ partem. *Obser-*
573. *vatione XX* delineatur *pastorale divinum* ex *Jer. III, 15*. *Observatione XXI* exponitur illud *Cohel. VII, 29*, *de homine uno e millibus invento*, hoc est, Messia. *Observatione XXII* repræsentatur *divinus Judex sanctioris reipublicæ salvator*, ad *Es. XXXIII, 22*. *Observatione XXIII* exponitur *de Patria a fidelibus Vet. Testamenti quæsita*, ad *Ebr. XI, 14*. *Observatio*

XXIV

XXIV inscripta est *de Ornatu sanctarum fœminarum*, ad *1 Petr. III, 5. Observatio XXV* laudibus *Joannis Alberti Fabricii* est sacrata, inscripta *de fama egregiæ præstantiæ*, ad *Prov. XXII, 1. Observatione XXVI* agitur *de Jehova, Jacobi, in patriam revertentis, Deo viali*, ad *Gen. XXXI, 3. Observatio* postrema, Pag. 727 seq. neinpe *XXXII*, offert philologema *de integritate* vocis Ἀπέχει *Marc. XIV, 41.* Subjecta sunt Operi analecta nonnulla ad *Partem I, II, & III*, atque Index satis accuratus. Gaudemus, Exegetam solidum, ac novitatis pruritu haud infectum, spem nostram non solum implere, sed etiam superare.

FRIDERICI HOFFMANNI, CONSILIARII ET Archiatri Regii, Com. Pal. Prof. Med. Primar. Scient. Imper. Carol. Russ. & Boruss. Sodalis, Medicus Politicus, sive Regulæ prudentiæ, secundum quas Medicus juvenis studia sua & vitæ rationem dirigere debet, si summam sibi felicemque praxin & cito acquirere & conservare cupit.

Lugduni Batavorum, apud Philippum Bonk, 1738, 8.
Plag. 18.

Incidit librarius *Phil. Bonk* in Prælectiones has Illustris *Hoffmanni*, quondam privatissime habitas, atque ita manu exaratas, prout ex ore summi Viri a quodam Auditorum celeriter tum calamo fuerant exceptæ. Quas, quoniam ipsi variis ex causis placuerunt, inscio & inconsulto primo earum Autore prelo tradidit, ut in plurium manus elegantissimæ præceptiones venirent. Dividitur Opusculum in *Partes tres*, quarum *prima* prudentiam circa personam ipsius Medici exponit, atque *Cap. 1* de religione & studiis Medici, *2* de adminiculis in studio medico, *3* de virtutibus peculiaribus, ad famam conservandam summe necessariis, *4* de peregrinatione Medici, & *5* de promotione ejusdem, agit. *Pars II* officium Medici circa personas externas, idque *Cap. 1* circa Pharmacopœum, *2* circa Chirurgum, ejusque operationes, *3* circa obstetricem, ejusque munus, *4* circa testimonium

monium exhibendum, complectitur. *Pars* denique *III* prudentiam Medici circa ægrotos explicat, atque inprimis *Cap. 1* de officio Medici circa visitationes ægrotorum, 2 de eo, quod Medico observandum est in ægro sub morbi statu per varia experimenta, quo loco judicium ex inspectione urinæ, ex oculis, ex saliva, & lympha, ex temperamentis, ex consuetudine ægrotantium, occurrere videas, *3* de Medici prudentia respectu sui erga ægros, 4 de officio Medici circa specialiora objecta, specialissime circa Principes & magnates ægrotantes, *6* circa pauperes, 7 circa infantes, eorumque morbos, *8* circa variæ ætatis homines, *9* in morbis acutis & chronicis, *10* circa sostrum, cautiones inculcat. Ea vero ubique est methodus, ut in singulis *Capitibus* breves regulæ, sive aphorismi, proponantur, & deinceps copiosius deducantur, explanentur, atque illustrentur. Quas etsi pulchras, Medicoque pragmatico pernecessarias, esse non diffitemur, facile tamen eædem plurium accessiones, atque longe ampliorem expositionem, paterentur. Testatur vero tum argumenti tractatio & ordo, tum rerum nexus, imo & dictio, Opusculum hoc non ipsius Illustris *Hoffmanni* curis prodiisse, sed, prout ex recitationibus, quas tunc maximam partem ex tempore habuerat, exceptum conflatumque fuit, in publicam lucem evasisse. Ut ea diversitas luculentius pateat, exempli causa regula 6 *Capitis 1*, quæ Medicum esse eruditum cupit, & propterea de scientiis eidem necessariis, atque libris, qui eo potissimum pertinent, tractat, contendatur cum Præfatione *Hoffmanniana*, *Conringii* Introductioni in artem Medicam præmissa, quæ idem argumentum, sed longe alia & multum excellentiori, ratione enucleat. Ceterum, ut facile intelligitur, si quem alium, Celeberrimum certe *Hoffmannum* esse, qui ex longo rerum usu, atque amplissima artis exercitatione, de illo prudentiæ genere commentari pro dignitate queat, ita lætum hic nuntium ex ipsius literis afferimus, se laborem hunc suscepturum, & longe diligentius perfecturum esse, quam primum, Medicina systematica ad umbilicum perducta, licuerit. Quod ut proxime eveniat, integram corporis valetudinem, otiumque & senectutem tranquillam, ipsi ex animo comprecamur.

(o)

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXXXIX.

Pars I.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB Anno Æræ Christianæ M ad MD. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, Sereniss. Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfectus, collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit.

Tomus XXIV.

Mediolani, ex typographia Societatis Palatinæ, 1738, fol. Alph. 7 plag. 7.

Eat igitur jam *Muratoriana* Musa, &, post confectum difficile & complurium annorum iter, post exornatas mirifice, & nova quasi quadam luce illustratas, res Italiæ, regionis florentissimæ, & antiquam adhuc dignitatem sustinentis, post ditatam incomparabili thesauro literariam rempublicam, debitas suis meritis laureolas ferat, publicosque bonorum omnium applausus & congratulationes colligat. Jam enim, quæ cœpta olim auspicato fuerant, postea Augustissimi Imperatoris *Caroli VI* commemoranda seris posteris munificentia, Societatis Palatinæ sumtibus & curis nobilissimis, *Philippi Argelati*, Viri optimi & eleganter docti, studio præclaro, denique ipsius *Muratorii* fatigata nunquam & prorsus ferrea industria, felicissimos successus habuerunt, ad bonum atque lætum tandem, quem votis omnes expetierant, speraverant pauci, bene multi desperaverant,

non videmus tantum, sed effusissime etiam gaudemus, exitum perducta. Nimirum *Scriptorum Italiæ*, quos sordidissimis eductos latebris, & tanquam ab inferis revocatos, honestissimo hospitio non Italia tantum, sed omnis etiam, qua patet, orbis cultior, accepit, *Volumen* omnium *postremum* prodit, tanto majorem sine dubio apud lectores quosque gratiam habiturum, quanto magis ex omnium id voto accidit, ut Bibliothecas nostras ornare in posterum Opus plenum, & omni ex parte absolutum, possit. Nos igitur, quos justos omni tempore suorum meritorum æstimatores habuit Vir summus, *Muratorius*, jam, cum universam hanc Scriptorum Italiæ coloniam & tanquam rempublicam ante oculos habemus, &, ab uno homine præstari tantum potuisse, quantum nec integræ Societates præstiterunt unquam, intelligimus, spectatam hanc virtutem, in uno Italorum cive eminentem, laudibus præconiisque omnibus majorem decernimus, & pulcherrimum illud, quod ipse vivus vidensque sibi posuit, ipsi æternitati monumentum consecramus. Quandoquidem vero ita in fatis fuit, ut sospes ipse & incolumis longissimum illum ac pæne immensum cursum conficeret, jamque ei ad tentandum, si non amplitudinis ejusdem, ejusdem tamen pretii & dignitatis, Opus adhuc vigoris satis atque roboris supersit; porro tuendum servandumque Superis nobile hoc dignumque immortali vita caput commendamus, & ita semper bene esse artibus præclaris rectioribusque studiis precamur, sicut salvo hoc Viro efflorescere, & ad maturitatem suam contendere, bonas literas videmus. Interea, dum partus æque nobiles & gloriosos ex officina *Muratoriana* exspectamus, jucunda lectio nos teneat præsentis Operis, in quo perficiendo, & in dies magis elimando, adeo defatigari se non passus est Vir magnus, ut lautiores quodammodo in ultimo *Volumine*, quam in prioribus illis, nobis epulas instruxerit. Quam enim Parti huic adjecit, ad supplendum Opus universum pertinet *Appendix* amplissima, nec, quod suspicari quis possit, levia tantum, aut ubivis obvia, sed selecta quæque, continet, non aliam ob causam, quam quod tardius in manus Editoris venerint, ad ipsam universi Operis calcem collocata. Sequemur igitur

igitur exemplum *Muratorii*, nec minorem in recensendo ultimo *Volumine*, quam in prioribus, quæcunque nos præcones olim habuerunt, diligentiam adhibebimus. In hujus fronte fulget splendidissimum gemmarum par, *Franciscus Stephanus* & *Maria Theresia*, magni Duces Etruriæ, quorum immortale nomen, tanquam tutelare quoddam sidus, suis rebus in posterum præsidio futurum, supplices venerantur Palatini Socii. Scriptorum, quos liberalis manus *Muratorii* ex tenebris in lucem jam protraxit, primus est *Marinus Sanutus*, *Leonardi* filius, cujus hic legitur *de Bello Gallico*, *sive de rebus in Italia gestis a Carolo VIII & Ludovico XII, Galliæ Regibus, ab A. 1494 ad A. 1500*, Italico sermone scriptus Commentarius. In Codice Estensi, unde huc migravit Opus, non adscriptum est *Sanuti* nomen; ideo tamen huic tribuendum putat Editor, quod *Vitis* ejus *Venetorum Ducum* in Codice eodem, tanquam pars hujus Historiæ, subjunctum exstet, nec de eo sit dubitandum, fuisse omnino de Bello Gallico aliquid literis proditum a *Sanuto*, quod quale sit, si præsens non sit Commentarius, vix dicere cuiquam liceat. Ut vero præ multis aliis, qui belli Gallici in Italia turbas descripserunt, hunc maxime Scriptorem publicandum duceret, ad id satis sibi habuisse causæ videtur, tum quod grata futura, quæ sunt nova, speret, tum quod aliis ingenii exculti monumentis ita clarum sit *Sanuti* nomen, ut ab hoc etiam labore vulgare nihil exspectari debeat. At cessit ex magno commodo Lectorum, quod, resectis fabulis & inutilibus narratiunculis, a quibus non satis sibi caverat *Sanutus*, ea saltem legenda nobis dedit *Muratorius*, quæ usum aliquem afferre rerum illo tempore gestarum curiosis possent. De Autore ipso, cive Veneto, *Aldi Manutii* æquali, jam olim in in *Scriptorum Italiæ Tomo XXII*, cum *Vitas Ducum Venetorum* evulgaret, amplissime commemoravit *Muratorius*, unde & nos nonnulla dedimus excerpta in *Actis A. 1734 Mens. Aug. pag. 346 seq.* Historiam hanc subsequitur *Diarium Ferrariense, ab A. 1409 usque ad A. 1502*, ab Autoribus variis, iisque synchronis, sed quorum nomina prorsus latent, sermone Italis patrio contextum. Pertinet hoc ad supplendos *Annales*

Jacobi de Delayto, jam olim *Tomo XVIII Scriptorum Italiæ* publicatos, quorum narratio cum in anno 1409 subsistat, in hoc *Diario*, quæcunque ab illo tempore per integrum fere Seculum a Principibus Atestinis Ferrariensibusque gesta sunt, ita commemorantur, ut simul finitimorum populorum historia lucem hinc accipiat. Accesserunt his nonnulla, quæ leviora & notatu vix digna videri possint, sed a quibus falcem abstinuit Editor, quod usum aliquem afferre, si non omnibus, saltem iis, possint, qui res non publicas tantum, sed privatas etiam, vetustiorum temporum, moresque majorum nostrorum, cupiunt cognoscere. Stilum operis humilem & plebejum facile ferent, qui rerum majori, quam verborum, in hujus generis libris studio tenentur, &, fieri vix posse, ut elegantiam sectetur Diariorum scriptor, probe sciunt. Jam legendum se nobis exhibet Opus magnum, & hoc inprimis tempore, quo turbarum Corsicarum fama universum terrarum orbem implevit, multos lectores habiturum, Petri Cyrnæi, *Clerici Aleriensis, de Rebus Corsicis Libri quatuor, a temporibus Romanorum usque ad annum 1506*, quorum copiam Cel. Editori ex unico Bibliothecæ Regis Christianissimi Codice liberaliter olim fecit *Jo. Boivinius*, dignissimus ejusdem Bibliothecæ præfectus, & Galliæ suæ ornamentum maximum. Jucundissimum fuerit, ex hoc Scriptore efferos omni tempore Corsorum mores, & ingenium seditiosum, novarumque rerum studiosum, cognoscere. Nam, si ulla unquam gens civilium dissidiorum fluctibus agitatam se vidit, & alia ex aliis bella movit, certe Corsi moverunt. Omnem Historiam Autor *Libris quatuor* complexus est, quorum *primo* ultimas Insulæ origines persequitur, & antiquissimam ejus faciem, qualis ad ætatem usque Imperatorum Romanorum fuit, notatis simul *Strabonis* erroribus nonnullis, spectandam exhibet; *altero*, neglecta priorum a Christo nato Seculorum historia, Saracenorum incursiones, & urbis Bonifacii obsidionem, ab *Alphonso*, Siciliæ Rege, A. 1420 susceptam, & subsecutas atrocissimi belli turbas, tam copiose & diffuse, ut nemo sine tædio hæc possit legere, describit, rem eandem laboriose agens *Libro tertio*, quo, quicquid in Republica Corsorum ad annum

annum usque 1474 gestum est, ne his quidem, quæ levissimi momenti sunt, prætermissis, memoratur. *Libro* denique *quarto* narrationis filum ad A. 1506 deducit, nec ultra illum terminum scribendo progreditur. Multa hic passim de se ipso, & fatis suis tristioribus, loco non satis oportuno admiscet, parcior in his, quæ rem Corsorum publicam spectabant. Jure in hoc Opere Lector delicatior desiderabit monumentorum veterum, quæ rudior Autoris ætas negavit, delicias, nauseabit vero copiam narrationum de intestinis civium dissidiis, quibus ita redundat liber, ut præ his utiliora vix agnoscas. Sed, utut hæc se habeant, minime est dubitandum, quin in paucitate illa Scriptorum, qui de rebus Corsicis commemorarunt, Opus hoc, ipsi *Philippino*, diligenti Corsicæ historiæ scriptori, ignotum, multis sit gratissimum futurum. Gente Corsus *Cyrnæus*, patriam Alisianum, ditionis Aleriensis oppidum, habuit, anno hic 1447 natus. Nomen *Cyrnæi*, rejecto gentilitio *Filicis*, ipse sibi imposuit amore patriæ, quam constat olim *Cyrnen* dictam. Pater ei *Picinus Filix*, avus *Guilelmuccius*, proavus *Joannes*, fuit. Urgente re familiari domo patria egressus, permisit se fortunæ fluctibus jactandum, donec, pervagatus diu Italiam, Venetias appelleret, qua in urbe, præceptore usus per annos duodecim *Benedicto Brugnolio*, Græcæ & Latinæ linguæ Professore, inter Sacerdotes professus est nomen suum. Postea, cum vix haberet, unde viveret, ludum literarium aperuit, & corrigendis librorum mendis egestatem sustinuit. Scripsit ibidem *Commentarios* hos *rerum Corsicarum*, nec non alterum Opus *de Bello Ferrariensi*, cui jam olim in *Tomo XXI Scriptorum Italiæ* lucem videre contigit. Corsicanam Historiam commode sequuntur *de Rebus Genuensibus Commentaria* Bartholomæi Senaregæ, *Genuensis*, *ab A. 1488 usque ad A. 1514*, ex Codice MSto Bibliothecæ Vaticanæ, cum suos, forte accuratiores, civitas Genuensis negaret, nunc primum publicata. Auget hic *Senarega* numerum Scriptorum Genuensium, quibus in magna hac Collectione locum dedit *Muratorius*, in hac historiæ Italicæ parte, a Scriptorum plurimis illustrata, quam in ulla alia, felicior. Ortu Genuensis

 fuit,

fuit, cujus ideo non potuerunt mentionem non facere *Justinianus, Oldoinus, Sopranus*, & quicunque virorum in Liguribus illustriorum memoriam scriptis conservarunt, non eum nominantes tantum, sed laudantes etiam, & in doctissimis annumerantes. Inprimis, quae ejus in Republica Genuensi munera publica fuerint, quid commodorum praestiterit civibus suis, diligenter annotavit *Federicus de Federicis* in amplissimo *de Familiis Ligusticis* Opere, nondum edito, & adhuc in Bibliotheca Patrum Capucinorum Genuae latente, unde potiora attulit *Muratorius* in Praefatione, huic Scriptori praemissa. Anno adhuc 1514 in vivis eum fuisse, ex ipsis his *Commentariis* cognoscas; cui tempori an diu superstes fuerit, nemo nos docet. Si quid forte in Opere hoc vitiose positum, aut per incuriam omissum, animadverterit Lector, culpam hanc Codex Vaticanus, unde desumtum est, aut librarius, qui descripsit, praestabit, non *Muratorius*, justas querelas movens de invidia civium suorum, quorum nullum fuisse scribit, qui ad communicandos secum hujus Operis Codices MStos, magno numero per Italiam obvios, ullis adduci precibus potuerit. Hic finis est Scriptorum, quibus in magno hoc *Rerum Italicarum* Corpore locum destinaverat *Muratorius* doctissimus, non item *Voluminis* hujus, cui, ut prioribus omnibus ipsa mole aequale esset, adjecit Noster amplissimam *Appendicem*, Opuscula continentem aliquot historica, serius ad ipsum perlata, quae, si alii Scriptores in promtu fuissent, justam huic *Volumini* formam daturi, in *Appendicem Antiquitatum Italicarum aevi medii*, in quibus jam edendis occupatur *Muratorii* industria, migrassent. Legitur hic primo loco illa Autoris ignoti *de Constantio Chloro, Constantino Magno, & aliis Imperatoribus, Excerpta*, quae jam olim, annotationibus *Hadriani Valesii* illustrata, hujus frater, *Henricus Valesius*, ad calcem *Ammiani Marcellini* posuit, jam, ad insigne Lectorum commodum, forte etiam, quod paucarum paginarum spatium implerent, hic repetenda duxit Editor. Quae his subjuncta sunt, e tenebris nunc primum prodeunt *Historiae Pisanae Fragmenta*, Autore non uno, nec eodem tempore, conscripta. Conjunxit enim eodem in loco *Muratorius*

rius Scriptores duos, alterum Anonymum, ad vetustiora tempora referendum, qui res Pisanas ab A. 1191 ad 1294 ordine continuo descripsit, tum, interrupta paululum narrationis serie, quod ipsum occasionem præbere suspicioni potest, ad Autores uno plures pertinere hoc Fragmentum, recentioris ætatis gesta ab A. 1328 ad 1337 persecutus est, sermone usus Italico, & Pisana quidem dialecto, multum æruginis, & ob id obscuritatis, habente, quam, ut discrimen hinc Lectores, quod est inter Florentinum & Pisanum sermonem, discerent, ita, sicut in Florentino Codice vetusto Bibliothecæ *Antonii Nicolini* exstabat, retinendam hic putavit Editor; alterum *Guidonem de Corvaria*, sive *de Vallechia*, qui gesta Pisanorum ab A. 1271 ad 1290 literis Latinis prodidit. Nobilissima, unde genus duxit Autor, & olim fuit, & nunc est, *Corvariorum* & *Vallechiorum* domus, adhuc superstes in duobus ramis, *Galessis* & *Albianis*, & ante paucos annos novis Nobilitatis insignibus a Magistratu Florentino donata. Et ipse *Guido* apud cives suos plurimum autoritate valuit, variis illorum nomine ad exteras Respublicas legationibus functus, supremi etiam Judicis illustri dignitate ornatus. Postea vero, anno nempe 1286, addixit se Fratrum Minorum sacris, quibus brevi post relictis, nomen suum A. 1287 inter Regulares Sancti *Fridiani* Canonicos Lucenses professus est, anno demum 1290 Sacerdotio inauguratus. Uxorem ipse suam *Ciociam*, filios tres, *Baciomeum*, *Bonaccursum*, & *Landum*, fratrem *Orlandum*, nominat. Scriptor est hoc fide dignior, quod rebus, quas descripsit, ipse testis & spectator interfuit. Codicem MStum membranaceum, unde huc transferre hoc Fragmentum licuit, Cel. Editori ex Bibliotheca *Strozziana* pro humanitate sua lubenter suppeditavit *Franc. Maria Biscionius*, J. U. Doctor, & Bibliothecæ Mediceæ, quæ urbem Florentinam nobilitat, præfectus. In eodem Codice duo alia ejusdem *Guidonis* Opuscula legebantur, alterum sic inscriptum: *Liber primus Vasallorum, fidelium hominum, commandorum, terrarum, fictuum, & totius reditus filiorum quondam Domini Ugolini de Vallechia, factus seu inceptus a me Guidone Judice quondam dicti Domini Ugolini sub Annis Domini 1265, Indictione 13, die Veneris,*

ris, 12 intrante Mense Martii; alterum hæc in fronte verba gerens: *Hæc est memoria facta a me Guidone Judice quondam Domini Ugolini de Vallechia, Instrumentorum veterum, in quibus potest esse aliquid utilitatis, quæ inveni in domo, & quæ tunc habeo, & etiam aliorum Instrumentorum & Contractuum a me initorum pro me, & meis fratribus. Incepta Pisis in domo Hospitalis Carrariæ S. Andreæ in Kinsicha, Dominicæ Incarn. Anno 1269, die Veneris, 7 die exeunte Mense Januarii.* Sed hæc, utpote privata magis, quam publica, parum, si ederet, habitura apud Lectorem gratiæ putavit Editor. Ordine ducimur ad *Fratris Bartholomæi Ferrariensis Polyhistoriam*, quæ Principum Ferrariensium res gestas, omnemque illius Reipublicæ ab A. 1287 ad A. 1367 historiam, mirifice illustrat. Partem hic habes majoris Operis, quo, quicquid ab ipsa inde mundi origine ad ætatem usque recentissimam, annum nempe 1367, quaqua terrarum parte gestum est, more illis temporibus familiari, complexus est Autor, eo quidem ordine, ut *Libris tribus* magnam earum rerum varietatem, quæ imperium *Octaviani Augusti* præcesserunt, *quarto* cetera omnia, descripta dederit. Quorum cum pars maxima ita comparata videretur Editori, ut parum hinc Lectori, aliunde rectius hæc cognituro, sperari utilitatis posset, bene facturum se putavit, si, resectis his, quæ ad vetustiora tempora spectabant, ea saltem publicaret, quæ aut vivente Autore contigissent, aut ætatem ejus proxime attingerent. Fecit igitur exordium narrationis in anno 1287, finem in anno 1367, ultra quem nec ipse Autor progressus est. Hic ad A. 1348 *devotissimum* se dicit *servum* Aldrovandini, Principis Estensis, quem Episcopatu primum Mutinensi, postea Ferrariensi, donatum refert; ad Annum vero 1353 inspectum a se testatur luctum acerbissimum, quo suprema Marchionis sui, *Obizzonis*, funera prosecuti sint Ferrarienses cives. Opus suum inscripsit *Nicolao II*, Marchioni Estensi, quem copiose laudat ad A. 1367. Ex quibus omnibus ætatem Autoris facile cognoscet Lector. Nomen ipse suum Operi non inscripsit; at clarissime id patet ex *Peregrini Prisciani Libro VII Annalium Principum Estensium*, ubi hæc legas: Bartholomeus, *Reverendus*

dus Pater ille, hæreticæ pravitatis Inquisitor, qui immensum quoddam Opus illud scripsit, quod Polistorium *appellavit.* Unde simul, quis fuerit *Bartholomæus* iste, discimus. Nec ignotus fuit aliis Scriptoribus, inprimis *Plodio, Gozzio, Antonio Senensi, Ambros. Taegio, Altamuræ, Rivalio, & Rovettæ,* qui inter illustriores Ordinis Prædicatorum Scriptores ei locum tribuunt. Hi ad unum omnem Ferrariæ natum dicunt, & vitam ejus inter annum 1343 & 1390 ponunt. Iidem scripta ejus nominant *Sermones* varios, *Tractatum moralem de illis, qui pestilentiæ tempore e civitate egredi non deberent,* & alia *Opuscula; de Polyhistoria,* quod mireris, omnes tacent. Codex MStus, unde huc migravit Opus, Mutinæ servat Marchio *Bonifacius Rangonius,* adolescens nobilis & præclare doctus. Scripsit hunc Ferrariæ A. 1387 d. 25 Sept. Frater *Nicolaus Ferrariensis*, S. Theol. Magister, & Monasterii S. Bartholomæi prope Ferrariam Abbas, qui & ipse addidit nonnulla ad annum usque 1387, memorans inprimis violentam *Joannæ I*, Reginæ Apuliæ, mortem, & *Francisci Carrariensis*, Senioris, vitam. Sed hæc, nescimus qua de causa, conjungenda cum Opere *Bartholomæi* Cel. Editor non putavit. Offert is jam nobis ignoti Autoris *Annales urbis Aretinæ*, ab A. 1192, si rubro fidem habeas, ab anno vero 1200, si opus ipsum inspicias, usque ad 1343, qui, etsi perbreves, vel ideo tamen luce digni videbantur Editori, ne una Aretina civitas, satis & antiqua & nobilis, rerum suarum in magna hac Collectione Scriptorem desideraret. Servat Codicem, ex quo descripta est opella, Bibliotheca *Gregorii Redii*, Equitis S. Stephani, unde in manus *Muratorianas* venit parario *Paulo Redio*, Monacho Aretinæ civitatis Benedictino. De Autore nihil constat, nisi vixisse eum A. 1330, quo ipso obiisse matrem suam *Pucciam*, ipse refert. Fuisse & huic anno superstitem, alia, quæ passim commemorat, suspicari jubent. *Annales* hos sequitur *Chronicon Neritinum, sive brevis historia Monasterii Neritini, ab anno 1090 usque ad 1368*, Autore *Stephano*, Monacho Benedictino, Abbate Montis Alti, compositum, sed ab alio Scriptore continuatum usque ad A. 1512. Auget hoc Opus nobilem Monasteriorum historiam,

riam, nec facile quidquam hic prætermissum est, quod ad noscenda Ecclesiæ Neritinæ fata ullo modo pertinere videbatur. Lucem hinc etiam ipsæ urbis res accipiunt, &, quæ de Japygia hic memorantur, haud parum faciunt ad illustrandum *Ant. Galatei de Situ Japygiæ* libellum. Autor Chronici, *Stephanus Neritinus*, Monachus Benedictinus, qui A. 1361 præfectus est Abbatiæ Monasterii S. Mariæ Montis Alti, historiam suam ad annum usque 1368 deduxit. Addidit nonnulla Autor quidam Anonymus ad annum usque 1413, quo ipse *Joannes XXIII*, Pontifex, huic Monasterio Episcopum præfecit. Codicem, unde transscripta est opella, utendum *Muratorio* concessit *Jo. Bernardinus Tafurus*, ortu Neritinus, Vir doctrina & scriptis clarissimus, qui & ipse eruditas huic Chronico annotationes adjecit, hisque Præfationem præmisit lectu utique dignissimam. Accedit huic *Chronico* Appendicis loco Angeli Tafuri, *Neritonensis, historica Descriptio belli Veneti A. 1484 adversus Gallipolitanos, Neritonenses, aliosque populos Hydruntinæ provinciæ*, brevior illa quidem, sed accurate & diligenter scripta. De Autore id unum constat, fuisse ei patrem *Stephanum Tafuri*, matrem *Catharinam Manfredi*, nepotem *Bartholomæum*, qui studiose conservavit hoc Opusculum, traduxitque ad filium, *Joannem Bernardinum*, adhuc viventem, qui cum suis id annotationibus jam in lucem, obstetricante *Muratorio*, produxit. Convertimur ad *Monachi Sublacensis Anonymi Chronicon Sublacense, sive Catalogum Abbatum Monasterii Sublacensis*, ab anno circiter 595 usque ad 1390, paucarum plagularum opus, sed unde plena satis Abbatum hujus monasterii, nulli nec antiquitate, nec Antistitum fama, secundi, & ab his gestorum, notitia hauriri potest. Sed aliud etiam, longe copiosius, hujus Monasterii Chronicon dedisset *Muratorius*, si ad exhibendum id, & in communes usus concedendum, paulo minus morosos invenisset hos, qui secum tenent. Idem scire se negat, an præsens Chronicon idem sit illud, cujus in *Museo Italico* mentionem fecit *Mabillonius*. Munusculum hoc debere se ait *Dominico Mariæ Jacobatio*, Mutinensi, Ducis Mutinæ a Consiliis & Secretis, qui Opus hoc Romæ olim satis diligenter ex antiquo Codice descripsit. Adjecit

non-

nonnulla Editor, ex tabularii Sublacenſis monumentis decerpta, quæ, periti erit Lectoris, conjungere cum ipſo Chronico, aut ſaltem conferre. Subſequitur *Diarium Romanum, ab A. 1404 uſque ad 1417.* Autor eſt *Antonius Petri*, cujus nomen an ab eo ſit, quod pater ei *Petrus* fuerit, an quod ex majoribus ejus *Petrus* aliquis poſteris cognomen dederit, non ſatis liquet. *Antonius Joannis Petri* ipſe ſibi in hoc Diario vocatur. Vixit ineunte Seculo XV, & in Baſilica Vaticana munus *Beneficiati* geſſit, ibidemque rem ſacram adminiſtravit. Quæ in Urbe geſta ſunt ipſius tempore, ſtilo ſimplici narravit, nihil admiſcens exterarum rerum, quarum non adeo fuiſſe curioſus videtur. Nullam ejus, quod mireris, mentionem fecit *Odoricus Raynaldus* in *Annalibus Eccleſiaſticis*; ut ſuſpicari hinc liceat, fruſtra hunc in ipſa Urbe quæri. *Muratorio* Codicem MStum, ſed parum emendate ſcriptum, Bibliotheca Eſtenſis ſuppeditavit. Idem Opus, Italico ſermone ſcriptum, obvenit olim Editori Celeberrimo in Ducis Maſſæ, *Alderani Cybo*, Bibliotheca. Inſcriptum hic nomen Autoris *Antonio di Pietro Toſti, o Torti*, legebatur. Dubitari igitur poſſit, ſitne hoc, an alterum, quod publici jam fecit juris *Muratorius*, verum Autoris opus dicendum. Pugnat pro Latino *Muratorius*, vel ideo inprimis, quod erroribus non careat Italicum, & multa ex Latino ſint ſupplenda. Addidit tamen & ſubinde Italicus interpres, quæ in Latino fruſtra quæras. Eam in rem exempla affert Editor, qui opuſculum utrumque diligenter inſpexit. Editione hujus Diarii gratiſſimam operam iis præſtitit, qui res Romanas noviorum temporum cognoſcere, & cum vetuſtioribus conferre, cupiunt. Illuſtratur hic inprimis nobiliorum illius urbis familiarum hiſtoria, unde univerſæ rebus Italiæ lux accendi poteſt. Quod *Ladislaus*, Rex Neapolitanus, paſſim hic vocetur *Wenceslaus*, id vitio librariorum factum eſt, qui commune id habuerunt cum aliis Chronicorum ſcriptoribus, nomine hoc *Ladislaum* ex more vulgi appellantibus. Progredimur ad perbreve Antonii Nerlii *Chronicon Monaſterii Mantuani S. Andreæ, Ordinis Benedictini, ab A. 1017 uſque ad 1418.* Habes hic ſeriem Abbatum Monaſterii S. *Andreæ* in urbe Mantuana,

 olim

olim florentiſſimi, ſed cujus jam non niſi vaſtiſſima Baſilica ſupereſt, expulſis jam dudum monachis, & parte redituum Clericis Secularibus conceſſa. Autor Chronici, *Nerlius*, ipſe in Abbatum numero fuit, muneri huic A. 1393 præfectus. Ejusdem, ſicut & ſucceſſoris, *Joannis de Cumis*, vita in hoc Chronico deſcripta legitur, quam ab ipſo *Antonio* non fuiſſe additam, ipſa facile narrandi ratio nos docet. Codicem avtographum Ferrariæ ſervant Ordinis S. *Benedicti* Monachi. Sed alius, ex illo deſcriptus, in Bibliotheca Monachorum Padolironenſium Monaſterii S. *Benedicti* latet, unde in *Caſſiodorii Montagiolii*, Monachi Mutinenſis non indocti, &, hujus beneficio, in Cel. Editoris noſtri, manus pervenit. Comitatur hanc Hiſtoriæ monaſticæ particulam *Anonymi Fragmentum Siculæ Hiſtoriæ, ab Anno 1287 uſque ad 1434*, ex majori Opere, hiſtoriam Siciliæ a Seculi XI initiis ad annum uſque 1434 exhibente, cui ideo, quod parum differre a publicata dudum *Gaufridi Malaterræ Hiſtoria* videretur, hic locum concedendum non putavit Editor, decerptum, res Seculi XIV & ex parte XV maxime commemorabiles exponens. Autor, cujus ignotum eſt nomen, ſermone uſus fuerat Latino; ſed in Siculum deinde maximam operis partem tranſtulit Frater, *Simon de Lettio*, Ordinis Minorum, quem vixiſſe A. 1358, certum eſt. Acceptum referret hoc, quicquid eſt operis, poſteritas munificentiæ *Innocentii Rochaforte Bonadies*, Nobilis Catanenſis, Viri antiquitatum Sicularum peritiſſimi, qui Codicem, quem tenebat, MStum *Muratorii*, amici ſui, uſibus libenter permiſit. Subjiciuntur huic *Fragmento Miſcellanea hiſtorica, ab A. 1433 ad 1446*, quorum Autor eſt *Paulus*, *Lælii* filius, *Petronus*, Romanus, quem *Odoricus Raynaldus* in *Annalibus Eccleſiaſticis Paulum Lælium Petronum* vocat. Vixit ſub *Nicolao* V Papa A. 1447, Commentariis his, lingua patria conſcriptis, res Romanas ſui temporis, maxime eccleſiaſticas, complexus. Videtur autem a creatione *Martini V*, quæ incidit in annum 1417, aut ab *Eugenii IV* electione, hoc eſt, ab A. 1431, narrationis exordium cepiſſe; ſed illa omnia, quæ annum 1433 præcedunt, e Codice MSto Vaticanæ Bibliothecæ, unde, opem ferente *Pompejo Frangepane*, Marchione, partem reliquam

huc

huc transtulit *Muratorius*, injuria temporis sustulerat. Majorem Autor rebus, quam sermoni, curam adhibuit, non eloquentis historici, sed humilis narratoris, laudem affectans. Jam, qui literariæ Historiæ deliciis capiuntur, cum voluptate legent Michaelis Sovanorolæ *Commentariolum de laudibus Patavii*, A. 1440 compositum, neç ad hunc diem publicatum, etsi, vel ob id inprimis, quod nobilissimi omni tempore Gymasii Patavini fata eleganter hic descripta legantur, luce dignissimum. Latuit huç usque Codex MStus in Bibliotheca Comitis *Sertorii Ursati*, cui avus fuit *Sertorius* ille *Ursatus*, Scriptor de Italiæ suæ antiquitatibus meritissimus. Inde ut ad *Muratorium* perferretur, sua opera effecit *Adamus Rivatus*, S. Theol. Doctor, & Sacerdos Patavinus. Autor Operis, *Michael Sovanorola*, civis Patavinus, nobilissimo ortus genere, dignitatem olim tenuit Equitis Hierosolymitani, sed, ea deposita, a Pontifice Romano veniam impetravit ducendi uxorem, ex qua filios, non degeneres, procreavit. Præcipuam operam navavit Physicæ ac Medicinæ studiis, successu tam felici, ut eo nomine commendatus *Nicolao III*, Marchioni Estensi, ab hoc laudatissimis conditionibus evocatus fuerit Ferrariam, ubi stabile sibi posterisque suis domicilium fixit. Erga pauperes ægrotantes ita se liberalem gessit, ut nihil ab his mercedis pro medicina popoścerit. Nepos ei ex filio *Nicolao* fuit *Hieronymus* ille *Sovanorola*, cujus sanctimoniam vitæ, & atrocissimum mortis genus, nemo facile ignorat. Obiisse *Michaelem* nostrum A. 1431 Ferrariæ, annos unum & septuaginta natum, *Bernardin. Scardeonius* & *Angelus Portenarius* scribunt; sed verius mortem ejus in anno 1466 *Guarinus* ponit, & rationibus firmissimis, ex ipso hoc Opere ac aliunde petitis, Cel. Editor ostendit, ad annum saltem 1461 vitam ei productam. Libros ejus, ad rem medicam spectantes, & dudum publicatos, *Scardeonius* memorat *Introductionem Practicæ medendi*; *Opus ad componendas medicinas maxime idoneum*; *Canonicam de Febribus*, *de pulsibus*, &c. *de usu vitalis aquæ, & quomodo conficiatur*, & *Physionomiæ Speculum*, a *Theodoro Gaza* Græce conversum. Sed latent adhuc in Bibliotheca Estensi, inde forsan aliquando proditura, varii argumenti

 Opuscu-

Opuſcula, *Opus* nempe *Aſceticum; Confeſſionale; de Aqua ardente Liber; & de Nuptiis Dialogus moralis.* Claudunt hoc Volumen, & ſimul pretioſiſſimum hunc Scriptorum Italiæ theſaurum, *Fragmenta Chronici Forojulienſis*, a *Juliano*, Canonico Cividatenſi, ſcripti, ſed ab aliis nonnullis aucti, ab A. 1252 ad A. 1364. In paucitate Scriptorum, qui rerum Forojulienſium notitiam ſuppeditant, vel tenuem hanc majoris Hiſtoriæ particulam grato animo accipient Lectores. Hujus duplex Codex MStus ad manus fuit *Muratorio*, alter ab Abbate *Joſepho Binio*, Forojulienſi cive, alter a *Laurentio del Torre*, Canonicorum Forojulienſium Decano, in publicos uſus conceſſus. Quorum miram inter ſe diverſitatem animadvertens Editor, utrumque diligenter recognovit, alterum ex altero ſupplevit, vitia ſcripturæ ſuſtulit, annorum inprimis notas emendavit, & ex duabus quaſi Hiſtoriis unam confecit, non neglecto lectionum variantium, quæ momenti eſſe non nullius videbantur, indicio. Præter *Julianum*, quem A. 1293 Canonicum Cividatenſem, hoc eſt, Forojulienſem, nominatum fuiſſe, ex ipſo hoc Chronico intelligitur, aliquid operæ huic libello frater ejus, *Joannes*, impendit; nec aliorum defuit induſtria, quandoquidem per ſe patet, *Julianum*, A. 1293 in Collegium Canonicorum cooptatum, res A. 1364 geſtas deſcribere non potuiſſe, & id indicare quodammodo videtur Codex *Laurentii del Torre*, manu quippe non una ſcriptus.

RECENSIO CHRONOLOGIÆ SACRÆ ET PROfanæ VIGNOLIANÆ continuata.

Vide *Nova Acta Anni* præſentis *Menſ. Mart. P. I. pag. 97*, & *Menſ. Aug. pag. 438.*

Libro IV & V *Chronologiæ* ſuæ *ſacræ* Venerabilis *Vignolius* res geſtas gentium Palæſtinæ finitimarum, quarum in ſacris monumentis memoria recurrit, ſibi perluſtrandas ſuſcepit, tum ut antiquiſſimis temporibus veluti face præluceret, tum præcipue, ut fidem Autorum divinorum tueretur. Præmittitur *Libro IV Tabula Chronologica generalis*, qua Reges Judæorum, Tyri

Tyri itidem, Syriæ, Assyriæ, Mediæ, Babyloniæ, ac Persiæ, σύγχρονοι, adjectis & suis annis, & annis Periodi Julianæ, itidemque annis ante Christum, ordine collocantur.

Tyrii chorum ducunt. Tyrus, urbs quondam navigatio- Cap. I
nibus, mercatura, divitiis, opibus, nobilissima, extremum litoris pag. 17.
Phœnicii angulum occupabat, ducentis infra Sidonem stadiis, cum qua urbe sæpissime ita conjungitur, ut primo loco collocetur. Sidonem nihilo minus Tyro esse antiquiorem, imo nobiliorem, & ipsius Tyri matrem, rectissime statuit, & multis confirmat Autor. Jam notæ sunt virorum doctissimorum, *Marshami* præcipue, *Perizonii*, *Relandi*, *Vitringæ*, aliorum, de Tyro disceptationes, de Tyro scilicet insulari, deque Palætyro in continenti exstructa. Autor, ad dirimendam hanc li-
tem, primo ex *Plinio* magnitudinem Tyri totius eruit; dein- 20.
de urbis antiquitatem, quam nonnulli in dubium vocaverant, astruit, & scrupulis liberat. Tyrios jactasse suam antiquita-
tem, Propheta testatur *Es. XXIII, 7: Haccine est civitas exul-* 29.
tabunda, cujus est antiquitas a diebus vetustis? Porro, *Cadmum* & *Phœnicem* ætate *Josuæ* regnavisse, apud *Eusebium* notatur. Erat autem *Cadmi* pater *Agenor*, quem Tyrum condidisse, memorant Scriptores. Vetustiorem tamen *Agenore* fuisse Tyrum, ex templo *Herculi* consecrato apud *Herodotum*, & ex fragmento *Sanchoniathonis*, Autor ostendit. Sane, apud *Josuam* Tyri, ut urbis conditæ, nomen exstare, mox videbimus. Ratio autem, cur de origine Tyri tantopere dissentiant viri docti, quærenda videtur in ipsius hujus urbis varia conditione
& vicissitudinibus. Invaluit quidem opinio, Tyri in princi- 37.
pio fundamenta fuisse in continenti constituta, & hinc ortam *Palætyrum.* Sed, Tyrum insularem præcessisse, recte concluditur, primo ex ipso nomine צור, *Tzur*, petra. Rupes videlicet insula illa erat, mari circumdata, cui Tyrus incunabula debet, de qua re post *Bochartum* consulatur *Simsonius* in *Chronico.* Secundo *Herculi* duo templa a Tyris erant dedicata, in insula unum, in continenti alterum; sed, insulare templum antiquitate præcessisse, apud *Arrianum* legimus. Tertio constat ex *Sanchoniathonis* fragmento, primos Tyrios sibi construxisse

casas

casas ex arundine & juncis, piscationi rebusque marinis operam dedisse, quæ omnia insulanis magis coveniunt, quam continentem incolentibus. Accidit autem, ut, cum Tyriorum res sub *Salomone* florerent, per *Hiramum* insulari Tyro adjiceretur altera Tyrus in continenti, quam & *Salmanasserem* & *Nebucadnezarem* oppugnasse, Tyriosque, qui cladem evaserant, insulam de novo munitam habitasse, cognoscimus, unde sensim factum, ut altera illa in continenti sensim diceretur Palætyrus, *Tyrus antiqua*, cujus rei prolixior commemoratio ex Autore repetatur.

Pag. 42. Nunc progreditur ad Reges Tyrios, de quibus ex Annalibus Tyriis *Menandri* Ephesii duos nobis catalogos, vel potius catalogorum fragmenta, conservavit *Josephus* in *Antiquit. Lib. VIII.* Prioris catalogi insignis est usus in Chronologia sacra. Reges enim occurrunt, quorum sancta oracula nobis conservarunt nomina, regnante *Davide*, *Salomone*, & *Achabo.* Itaque, cum in numeris catalogi apud Scriptores aliqua dis-
42 seq. crepent, doctissimus *Vignolius* illos inter se & cum aliis comparando restituit, quæ res nos non morabitur. Fixa deinde Epocha ex *Josepho*, annum *Hirami* XII concurrisse cum *Salomonis* IV memorante, ad res Regum Tyri, in sacris obvenientium, ordinandas accedit. Cum in catalogo *Menandri* primus Rex dicatur *Abibalus*, secundus *Hiramus*, *Salomoni* coævus, quæritur, quisnam haberi debeat *Hiramus*, *Davidis* amicus, *2 Sam. V, 1-9.* Hunc enim non confundendum cum *Hiramo* posteriori, ex annorum intervallo manifestum est. Autor, aliorum sententiis examinatis & rejectis, statuit, catalogum *Menandrianum* capite esse truncatum. Id minus ad rem *Josephi* fecisse. Igitur *Abibali* patrem agnoscit *Hiramum*, *Davidis* familiarem, filium quoque *Abibali Hiramum*, *Salomoni* amicitia & fœdere junctum. Hanc sententiam ex ipso sacro Codice roborari. *2 Chron. II, 13*, hæc *Hiramus* scribit *Salomoni* ex versione vulgata: *Misi tibi virum prudentem & scientissimum*, Hiram, patrem meum, *filium mulieris de filiabus Dan*, *cujus pater fuit Tyrius*, qui novit operari in auro, & argento, & ære, & ferro. Qua ratione Rex

Tyriorum

Tyriorum fatetur, se patre artifice oriundum, eundemque patrem suum, *Salomoni* ut inserviret, transmissurum. Rem incredibilem, & quodammodo absurdam, tollit *Clericus* meliori interpretatione: *Nunc ergo ad te mitto virum peritum & doctum, qui fuit* patri meo Hiramo. Nihil frequentius in sacris literis ellipsi pronominis אשר. Addit *Vignolius* noster, *avum* in sacris sæpenumero *patris* nomine venire. Itaque fieri potuisse, quod jam *Dodwellus* fatetur, ut inter duos *Hiramos* medius vixerit *Abibalus*, illius *Hirami* decessor, cujus annus XII cum anno *Salomonis* IV conferatur.

His ita evolutis, ad ipsos Reges acceditur. *Hiramus I* de- Pag. 60.
cessit *Abibalo*, cui in catalogo anni XX assignantur. Is igitur diem obiit regni *Davidici* anno XXXII, quo ipso *Hiramus II* sceptrum regium capessivit, socius non solum & amicus, sed & quodammodo beneficiarius, *Salomonis*, cui munera misisse legitur. Ceterum, hunc *Hiramum* Tyrum reddidisse amplio- 62.
rem, adjecta urbe continentis, deinceps dicta Palætyro, eandemque ope aggeris in freto exstructi cum insula conjunxisse, ex testimoniis *Dii* ac *Menandri*, apud *Josephum Antiqu. Lib. VIII* exstantibus, docte probat *Vignolius*, objectioni simul satisfaciens, quæ ex aggere *Alexandri M.* moveri posset. Lucem quoque affundit loco *Theophili: Salomonem misisse Hiramo columnam auream, in templo Jovis dedicandam, cui includebatur statua filiæ ejus* (Hirami), quam forsitan in matrimonium
duxerat *Salomo*. Qui Reges in catalogo *Menandriano Hira-* 69.
mum II excipiunt, ad *Ithobolum*, in Scriptura S. silentio transmittuntur. Hujus autem mentionem injicit *1 Reg. XVI, 31*, ubi *Achabum*, *Israelis* Regem, *Isabelem*, *Ethbaalis*, sive *Ithobalis*, filiam, uxorem duxisse reperimus. Intervallum in annis catalogi cum Scriptura S. exacte congruit, &, cum nota sit fames, ætate *Achabi* Palæstinam affligens, ejusdem quoque meminit *Menander*, uti legere est apud *Josephum Antiqu. Lib. VIII.* Ultimus primi catalogi Rex est *Pygmalion*, cujus exordium incidit in
regnum *Jehu*. Post hunc *Menander* Regis *Elulei* meminit, 72.
qui nec in priori, nec posteriori, catalogo deprehenditur. Hujus *Elulei* ætatem incidere in annos *Salmanassaris*, Regis As-

 syrio-

Pag. 74. syriorum, Autor ostendit, & hac occasione de *Cittiensibus*,
quibuscum Tyrii bellum gesserant, de Palætyro, deque aquæ-
ductibus Tyriorum, quorum rudera adhuc conspiciuntur,
multa lectu sane digna in medium adducit. Posterior catalo-
80. gus Regum Tyri excerpitur ex *Josephi Libro I* contra *Appio-
nem*. Hujus Regis primi *Ithobalis* tempore *Nebucadnezarem*
Tyrum per 13 annos obsidione cinxisse, refertur. Unde pa-
tet, quomodo catalogi anni cum *Per. Jul.* connecti pos-
sint. Reliquorum deinde Regum appellationes ad ætatem *Cy-
ri* sequuntur, in quibus, cum nihil occurrat, quod ad Scriptu-
ram illustrandam faciat, Venerabilis Autor verbosus esse
noluit.

CAP. II Sequuntur *Syriæ* Reges, de quibus apud profanos Scriptores
pag. 89. altum est silentium, si a *Nicolao Damasceno* discesseris, qui tamen
sua ex sacris fontibus hausisse videtur. I) Primus *Hadad Eze-
rus*, aut *Hadarezerus*, Rex Sobæ, a *Davide* victus legitur *2 Sam.
VIII. Sobam* forsitan esse Syriam *Sophenen*, disceptatur, ut hinc
appareat, hunc Regem ultra Euphratem sui regni limites ex-
93. tendisse. II) Iisdem temporibus floruit *Thou*, Rex Hemathen-
sium, *Hadadezero* infensus, quem filium ad *Davidem* gratulan-
di gratia misisse, sacer Historicus commemorat *2 Sam. VIII, 9.*
III) Tunc quoque Damascenorum nomen observatur, *2 Sam.
VIII, 5, 6*, Regis nulla facta mentione, quem *Josephus* tamen
nuncupat *Adadum*, cum quo *Nicolai Damasceni* testimonium
consentire videtur. IV) *Salomoni* ad finem vergenti duos
excitaverat Deus adversarios, *Adadum*, Idumæum, & *Rezo-
nem*, Syrum, quem posteriorem Damasci regnasse, apparet ex
1 Reg. XI, 25. Difficultatem aliquam parit postremum, quod
allegavimus, comma, quod Venerabilem Autorem induxit, ut
96. fere statueret, *Hadadum* æque ac *Rezonem* Damasci imperas-
se. Sed, modo ad Hebræa attentius respiciamus, omnis difficul-
tas evanescet. Nobis verba ita transferenda videntur: *Congre-
gavit* (Rezon) *viros, quorum Dux & Princeps factus est, qui, Da-
mascum profecti, ibidem sedem fixerunt, & regnum contribue-
runt. Ipse* (Rezon) *autem infestus fuit Israelitis, regnante*
Salomone, *quod accessit illi malo, quo* Hadad *illos afflixerat.*

Mole-

Moleſte autem tulit (Rezon) *Iſraelitas*, & *regnavit Damaſci.* Pag. 98.
V) Sequuntur *Hezion*, VI) *Tabrimmon*, & VII) *Benhadad I.* Illorum quidem nomina tantum exhibentur *1 Reg. XV, 18;* ad hunc autem *Baeſa*, Rex Iſraelis, dona miſit, ut ſibi contra Judæos auxilio veniret. VIII) His omnibus illuſtrior eſt *Ben-* 100.
hadadus II, cujus res geſtæ cum *Achabo*, & aliis Iſraelitarum Regibus, copioſe referuntur. Venerabilis Autor hæc omnia, quantum in tanta monumentorum raritate fieri poteſt, illuſtrat, & ad annos ſuos quælibet reducit. *Benhadadum* excepit IX) *Ha-* 105.
zael, rebus geſtis, ſed & crudelitate, notiſſimus; cujus filius X) *Benhadad* III fere omnia amiſit, quæ pater acquiſiverat. Denique poſtremum Regum Damaſcenorum XI) *Retſinum* Rex Aſſyriæ vicit, eoque occiſo, Syriam in formam provinciæ redegit, *2 Reg. XVI, 8, 9*, de quo in Chronologia Aſſyriæ Regum plura diſſeruntur. Autori facile fuit, conſtitutis ſemel Annalibus Regum Judæ & Iſraelis, res geſtas Syrorum ſuis certis annis aſſignare, quod indicaſſe hic ſuffecerit.

Feſtinemus ad Reges *Ægyptiorum*, ubi Venerabilis Autor CAP. III
in principio rationem reddit diuturnæ illius pacis, quæ per pag. 114.
ſex circiter Secula Ægyptios inter & Iſraelitas duraverit. Primus, quem bellum intuliſſe Judæis legimus, nuncupatur *Seſacus*, qui anno *Rehabeami* quinto Hieroſolymam ἀμαχητὶ cepit, & expilavit, *1 Reg. XIV, 25.* Cum ſimilis hiſtoria occurrat apud *Herodotum*, ſed *Seſoſtridi* attribuatur, Autor oſtendit poſt doctiſſimum *Perizonium*, in nomine ſolo aberraſſe patrem hiſtoriæ. Deinde in Dynaſtiis Ægyptiorum, acri ſtudio in *Seſacum* inquirens, reperit Regem primum *Dynaſtiæ* XXII *Seſonchidem*, cujus inventi veritatem in fine hujus *Capitis* ex collatione omnium Regum manifeſtam facit. Poſt *Seſacum* ſacra ora- 124.
cula memorant, *Saram*, aut *Serachum*, Cuſchæum, cum ingenti exercitu Judæam invaſiſſe, *2 Chron. XIV;* ſed totam illam multitudinem divino auxilio fere ad internecionem deletam. Perperam hunc *Saram* exiſtimari Regem Æthiopum, notat Autor, cum potius inter Ægyptios ſit collocandus. Partim igitur ex nomine ipſo, partim ex annorum intervallo, hunc *Saram* eſſe Regem ſecundum *Dynaſtiæ* XXII *Oſoroth*, ſive *Uſorthon*, colli-

Pag. 127. git. Post longam intercapedinem *Hoseas*, postremus Israelitarum Rex, legatos misit ad Regem Ægyptiorum *So*, *2 Reg. XVII, 36.* Hunc *Soum* Autor deprehendit in *Serecho*, Rege secundo *Dynastiæ* XXIV. Anno 14 *Ezechiæ* Regis memoratur *Thirhaca*, Æthiops, sive Cuschæus, cujus metu *Sanherib*, Rex
130. Assyriorum, relicta Palæstina, retro cessit. Hunc *Thirhacam* Autor affirmat esse *Tarcum*, tertium Regem ejusdem *Dynastiæ* XXV. Ætate *Josiæ* innotuit *Neco*, de quo multa lectu dignissima attulit *Herodotus.* Sed & sacræ literæ hujus *Nechaonis* gesta non plane prætereunt. Is enim, *Josia* victo, Hierosolymam cepit, & Regem Judæis ex arbitrio dedit, *2 Reg. XXIII.* Eandem historiam dum tangit *Herodotus*, addit, superatis Palæstinis, *Nechaonem* cepisse *Cadytin*, magnam Syriæ urbem. Notæ sunt virorum doctorum de Cadyti disputationes. Venerabilis Autor cum *Clerico* arbitratur, non differre ab urbe Cades Naphthalitarum. Sed nondum satisfactum credimus argumentis, & a *Prideauxio*, & ab *Heinio*, utroque Viro doctissimo, adductis, quibus plane evicerunt, *Cadytin* ab *Hierosolyma* neutiquam esse diversam. Ceterum *Nechao* in Dynastia XXVI sextum locum occupat, ubi Autor in transitu observat, huic Dy-
148. nastiæ plurimum lucis ab *Herodoto* affundi. Denique postremus Regum Ægypti, in sacris memoratus, dicitur *Hophra Jer. XLIV, 30*, in Dynastia XXVI, octavus *Apries*, de quo pluscula habet *Herodotus.* Jam Autor venerabilis, ut demonstraret consensum suæ Chronologiæ cum Dynastiis Ægyptiorum, exhibet Dynastias XXI usque ad XXVII singulari Tabella, annosque ex collatione *Julii Africani* & *Eusebii* emendat, tum Epocham fixam reperit in anno *Cambysis quinto*, quo Ægyptum hic Persarum Rex occupavit; cum autem ex Canone *Ptolemæi* eruatur, annum 5 *Cambysis* concurrere cum A. Per. Jul. 4189; facillimo negotio Regis cujuslibet anni determinantur, quod felicissime præstitisse Autorem, fatebuntur omnes, qui *Caput* hoc *tertium* cum aliorum laboribus comparabunt.

CAP. IV pag. 161. Ad annos Regni, aut, si mavis, Imperii, *Assyriaci* digerendos *Capite IV* se confert Venerabilis *Vignolius.* Duplex Regum Assyriorum familia notatur, prior & posterior. De priori,

priori, ut antiquiori, hoc *Capite* disputatur. Exstat *Catalogus Regum Assyriæ* apud *Julium Africanum*, in quo ordine Reges XLI producuntur, quorum primus *Beli*, postremus *Sardanapali*, nomine citatur. Hunc Autor integrum, cum annis Re- Pag. 163.
gum excerptum, exhibet: &, quoniam tam apud *Eusebium*, quam alios, quædam reperiuntur varietates, ante omnia eundem suæ integritati restituit. Affirmatur autem in hoc Catalogo, regnum Assyriæ a *Belo* ad *Sardanapalum* annos 1459 floruisse. Contra hunc numerum, totamque illam Regum seriem, plerique nostri temporis Chronologi insurgunt, fabulis ac figmentis omnia accensentes: cum & in Sacris Monarchiæ Assyriacæ nulla fiat mentio, & *Herodotus* asserat, Imperium Assyriæ stetisse tantum annos 520. Ad silentium Scripturæ postquam Autor respondit, autoritatem *Herodoti* in rebus Assyriacis aggreditur, & pluribus argumentis ostendit, hujus, alioquin laudatissimi, Historici hic exiguam vel nullam esse peritiam, præterquam quod fieri potuerit, ut numerus 520 annorum apud ipsum *Herodotum* sit corruptus. Deinde, quoniam 182.
Catalogus *Africani* per testimonium *Ctesiæ* confirmatur, de *Ctesia* prolixius agit, ejus autoritatem cum *Herodoti* fide comparat, ac tandem docet, etiamsi *Ctesias* in aliis scriptis fabulas meras commemoret, hic tamen ejus testimonium præferendum esse, cum scripserit inter Persas, in aula Regia, & Archivum Regium ipse consuluerit. Hanc sententiam aliorum Scriptorum 190.
testimoniis stabilit, *Castoris Rhodii*, *Diodori Siculi*, *Trogi Pompeji* ex *Justino*, *Æmilii Suræ*, *Velleji Paterculi*, *Cephaleonis*, *Theophili Antiocheni*, *Simplicii*, aliorum, ut inde appareat, veteres plerosque fecisse cum *Ctesia*, & Reges agnovisse in Catalogo *Africani* existentes. Hæc omnia ita sunt pertractata, ut in compendium redigi nequeant. De Epocha veri imperii Assyriaci, & annis Regum, *Capite* sequenti plura docentur.

Hoc videlicet *Capite V* rebus *Medorum* tantam lucem accendit, quanta quidem in his tenebris accendi potuit. Prin- CAP. V pag. 211.
cipio ex *Herodoto*, qui in rebus Mediæ satis copiosus est, Catalogum & Historiam Regum Mediæ exhibet. Commemorat autem ille Reges IV, *Dejocem*, *Phraortem*, *Cyaxarem*, & *Astyagem*,

gem, qui postremus ex historia *Cyri* satis innotuit; & his omnibus anni assignantur vel 150 vel 156. Ab altera parte ex *Ctesia* (quem *Diodorus Siculus* sequitur,) discimus, post interitum *Sardanapali*, ultimi Assyriorum Regis, *Arbacem*, Medum, regni novi fundamenta posuisse, cujus octo successores nominibus plane diversis a Catalogo *Herodoti* commemorantur, videlicet 1 *Arbaces*, 2 *Mandauces*, 3 *Sosarmes*, 4 *Artias*, 5 *Arbianes*, 6 *Arteas*, 7 *Artynes*, 8 *Astibares*, 9 *Apandas*, qui & *Astyages*. Hos omnes Reges *Vignolius* accuratiori examini subjicit, & eorum res gestas ex aliis scriptoribus illustrat. Quo facto *Usserii* singularem sententiam sub incudem revocat, sed, quia eandem, una cum *Eusebii* & aliorum opinionibus, ad sol-

Pag. 226. vendum nodum sufficere non existimavit, ipse concordiam *Herodoti* atque *Ctesiæ* tentavit, quod ut eo melius lectores benevoli intelligant, Tabulam conciliationis ex *pag. 235 & 263* hic inseremus.

Per. Jul.	*Ctesias.*			*Herodotus.*	
3814	1	*Arbaces*	28		
42	2	*Mandauces*	50		
92	3	*Sosarmes*	30		
3922	(4	*Artycas*	33)		
57	5	*Artias*	50		
4005	6	*Arbianes*	20		
15	7	*Artæus*	40	1 *Dejoces*	53
24	8	*Artynes*	22	2 *Phraortes*	22
67	9	*Astibares*	40	3 *Cyaxares*	40
89	10	*Apandas*, qui		4 *Astyages*	35
4129		& *Astyages*	(35)		
					150
			350		

235. Ab ultimis fiat conciliationis exordium. *Apandas Ctesiæ*, cum appelletur quoque *Astyages* a Græcis, ab Astyage *Herodoti* discrepare non videtur, cumque *Astyagi* competant anni 35, totidem sunt tribuendi *Apandæ*; hujus enim anni apud *Diodorum*

rum non reperiuntur. Nono *Ctesiæ Astibari* dantur anni 40. Totidem sunt *Cyaxaris*. *Cyaxares* itaque idem, qui *Astibares*. In annis quoque consentiunt octavus *Ctesiæ Artynes*, & secundus *Herodoti Phraortes*. Possemus probare, si hoc jam ageremus, nomina *Apandas*, *Astibares*, & *Artynes*, parum differre a nominibus *Astyages*, *Cyaxares*, & *Phraortes*: quo ipso sententiæ *Vignolianæ* robur accedit. In primo *Herodoti Dejoce*, & septimo *Ctesiæ Artæo*, annorum est dissonantia. Illi 53, huic 40, assignantur. Itaque credit Autor, duos hos distinguendos Reges, & *Artæum* quidem Susis, sed *Dejocem* Ecbatanis, sedem fixisse, in *Phraorte* autem, *Dejocis* successore, utramque sedem uni paruisse. Quartum Catalogi *Ctesiani* Regem, *Artycam*, a nobis parenthesi inclusum, ex conjectura admodum probabili Autor inserit, & hoc modo durationem regni Medici ab *Arbace* ad *Cyrum* per annos 350 superius allegatos extendit. Jam, cum necessarium videatur, ut Epocham quandam fixam & indubitatam nanciscamur, cujus ope res Medorum cum notiori Epocha combinari possint, Autor selegit nobilem illam solis defectionem, quam *Thales Milesius* produxit, & quam *Herodotus* refert accidisse, cum Lydi ac Medi prælio certare parati essent; Lydi quidem duce *Alyalte*, Rege, *Crœsi* patre, Medi autem duce *Cyaxare*, vel *Astyage*. *Tunc enim*, ait *Herodotus*, *Lydi ac Medi, ubi diem noctescere viderunt, a pugnando desistunt, & pacem inter se constituunt.* Cum *Herodotus* anni, quo hæc Eclipsis contigit, nullos præterea characteres indicaverit, Chronologis aqua sæpius hæsit. Itaque Autor primo omnium illorum testimonia protulit, qui hujus Eclipsios meminerunt. Deinde sententias virorum doctorum in fasciculum collegit. Sunt autem omnino novem, quorum primus Eclipsin Anno Per. Jul. 4107, postremus eandem Anno Per. Jul. 4133, alligavit. Expensis omnium sententiis, docet, Solem defecisse Anno Per. Jul. 4129, Maji die 28, circa horam sextam vespertinam: quod prolixe, sed & exacte, demonstrat, ut adeo in posterum nequicquam de hoc negotio deliberandum videatur. Cum vero adhuc dubitetur, quo Rege sol in tenebras inciderit, nonnullis *Cyaxarem*, aliis *Astyagen*, allegantibus, hunc scrupulum eximit

Pag. 252.

mit Autor, docendo, utrumque prælio adfuisse, patrem filiumque, sed *Cyaxarem* patrem, paulo post mortuum, eodem anno regnum *Astyagi* filio reliquisse. Hoc modo anni Regum tam apud Medos, quam apud Assyrios, facili negotio ordinantur. Annus enim *Per. Jul.* 4129, Eclipsi insignis, annus est 4 Olympiadis 48, annus postremus *Cyaxaris*, ac primus *Astyagis*, itidemque annus ante Christum 585; quo pacto retrogradiendo Autor tabellas Chronologicas tam Regum Assyriæ, quam Mediæ, construxit, & pluscula curiosa, de bello Trojano, Rege *Teutamo*, *Tithono*, *Memnone*, aliis, in medium attulit. Huc vero delatus, novam hypothesin ad illustrandam Historiam *Estheræ* proponit. De *Estheræ* marito si quis avet opiniones & conjecturas interpretum cognoscere, *Jungmannum* adeat in *Daniele reserato*. Venerabili *Vignolio Abasverus Esthera* non differt ab *Astibare Ctesiæ* & *Cyaxare Herodoti*. Circumstantias utrobique consentire, ait. Susas tum temporis sedem fuisse regiam Medorum, Judæos quamplures in captivitatem Susas abductos, *Cyaxarem* populos Asiaticos primum in Provincias & Satrapias distribuisse, & quæ alia sunt, apud Autorem ipsum legenda. Addimus tamen, quod huc maxime facit, *Cyaxarem* & *Achasverum* eodem gaudere nomine. *Cyaxares* componitur ex *Cy* & *Axares*. *Cy*, vox Orientis populis haud incognita, significat dominum, Regem magnum ac potentem. *Axares* autem ab *Achasveros* derivari, sola pronuntiatio ostendit. Ceterum arbitramur, novam hanc hypothesin sese æquis lectoribus mirifice probaturam esse.

(Margin: Pag. 257. — beside "que, sed Cyaxarem"; 272. — beside "attulit. Huc vero delatus")

CAP. VI pag. 279. Progredimur cum Autore ad alteram *familiam Regum Assyriæ*, recentiorem, quam fere solis sacris literis debemus. Postquam monuisset, majora imperia sæpe in multas partes discindi, & pluribus regnis originem dare; hoc idem ait prisco Assyriorum imperio evenisse: ex quo post *Sardanapali* discessum & regnum Mediæ, & Babyloniæ, & novum Assyriacum, procreatum sit. Hujus incunabula etsi vix appareant, *Castorem* tamen *Rhodium* apud *Syncellum* asserere, post *Sardanapalum* imperium apud Assyrios obtinuisse *Ninum* II, & huc collineare locum quendam *Diodori Siculi*, qui ex *Athenæo* suppletur ac emenda-

emendatur. *Nini II* ortum Autor connectit cum A. Per. Jul. 3814 & A. Chr. 900, eidemque ex conjectura largitur annos 19. Post mortem *Nini* nihil occurrit, quod huc referri possit, excepta historia *Jonæ;* in ejus enim prophetia memoratur Rex Ninives, sed nomine tacito. Hoc potuit diebus *Jerobeami II* convenire. Tandem sacræ literæ Regem Assyriæ suo nomine produnt, *Phulem*, qui, *Jerobeamo II* mortuo, Syriam invasit, & Reges Israelitarum sibi beneficiarios reddidit. Hujus Regis annum 1 conjungit Autor cum A. Per. Jul. 3937 & A. Chr. 777, eidemque tribuit annos 30, ubi obiter *Usserio* aliisque errores evelluntur. *Phulem* in Sacris excipit *Thiglat-phul-assar* A. Per. Jul. 3967, A. Chr. 747, qui *Rezinem* occidit, Syriam subegit, & tribus transjordanicas in captivitatem abduxit. Qua occasione locis quibusdam Scripturæ, præcipue vaticiniis, lux accenditur, ac disseritur de Rege *Jareb*, cujus est mentio apud *Hoseam V, 13.* Sequitur *Salmanassar* A. Per. Jul. 3987, A. Chr. 727, cujus nomen in Tyriorum Annalibus reperiri, testatur *Josephus*. Hunc tandem, expugnata Samaria, regnum decem tribuum excidisse, &, abductis Israelitis, Samaritanorum regionem novis colonis implesse, narrant sacræ literæ. Ubi Autor illos refutat, qui hunc *Salmanassarum* aut cum successore *Senacheribo*, aut cum *Nabonassaro*, confundunt. Post regnum annorum 15, A. Per. Jul. 4002, A. Chr. 712, successit *Senacherib*, qui anno 14 *Ezechiæ* Judæam invasit. Hanc memorabilem expeditionem Venerabilis Autor pluribus illustrat ex *Esaiæ X*, ubi Propheta ipsum ejus iter describit, addens, Regem deinde, Hierosolymam prætergressum, post varias minas in *Ezechiam* ac Deum ipsum frustra jactatas, misisse *Thartanem*, qui Azotum obsidione cingeret, adeoque *Sargonem Es. XX* esse ipsum *Senacheribum;* hunc vero festinasse in Ægyptum, & eandem valde afflixisse, donec, elapso triennio, a *Thirhaca* coactus, retro cessisset. Cum vero hujus expeditionis memoriam quoque conservaverit *Herodotus;* ejus narrationem confert Autor cum Historia sacra, & præcipue quoque *Nahumi* vaticinium interpretatur. Occiso a filiis anno regni 15 *Senacheribo*, regni habenas capessit *Asarhaddon*, qui cum in

Pag. 286. 291. 295. 306. 316. 320.

Sss Canone

Canone *Ptolemæi* exſtet, cumque adeo hic *Aſarhaddon* imperium Aſſyriæ & Babyloniæ conjunxerit, & ab ejus tempore hiſtoria velut e caligine extracta in luce verſari incipiat, *Libro* ſequenti *V* de eo, ejusque ſucceſſoribus, diſputabitur. Clauditur *Liber IV*, adjecta Tabella chronologica Regum Aſſyriæ, a nobis memoratorum. Ex his, quæ breviter recenſuimus, apparet, quanta rerum varietas hic recondatur, & quanta lux vetuſtiſſimis hiſtoriis etiam ex *Libro III* & *IV* hujus ſacræ Chronologiæ affulgeat. Superſunt *V* & *VI*, in quibus de rebus Babyloniorum, & Anno vetuſto, magno cum eruditionis apparatu diſſeritur; ſed de his proxima occaſione avidos Lectores copioſius inſtruemus.

LA THEORIE ET LA PRATIQUE DE LA COUPE des Pierres & des Bois, &c.

h. e.

THEORIA ET PRAXIS SECTIONIS LAPIDUM & Lignorum, pro conſtruendis fornicibus, aliisque ædificiorum tam civilium, quam militarium, partibus; ſive Tractatus Stereotomicus, in uſus Architectonicos. Autore FREZIERIO, Ordinis militaris S. Ludovici Equite, Architecto militari Regio & primario Landavienſi.

Tomus II.

Argentorati, apud Jo. Daniel. Dulſſeckerum, fil. & Pariſiis apud Carol. Antonium Jombert, 1738, 4 maj.

Alph. 2 plag. 17, Tabb. æn. 42.

Non minori cum voluptate *ſecundum* eximii hujus Operis *Tomum*, quam *primum* olim, de quo ſatis diximus in *Actis A. 1737 Menſ. Julii pag. 312 ſeq.* accepimus luſtravimusque. Jactis ſcilicet in ſuperiori *Volumine* fundamentis theoreticis ſcientiæ *Stereotomicæ*, jam in eo verſatur Cel. Autor, ut ipſam *Tomotechniam*, id eſt, artificioſam ſolidorum ſectionem, fornicumque conſtructionem, quæ tota exinde pendet, copioſe & luculenter tradat. Cumque

que jam in *prioris Tomi* recensione præmonuerimus, fornices ab ipso distingui in simplices & compositos; facile consequitur, universæ tractationis eam esse rationem, initium ut a simplicibus, progressus deinceps ad compositos, fiat. Tantum vero abest, ut pauca sint, quæ dici possint de simplicibus, ut illorum explicatione integrum hocce *Volumen secundum* implere necesse habuerit Autor. Animus enim Viro Cel. fuit, omnia tradere, quæ apud Autores alios passim leguntur, sed ita tradere, ut praxium demonstrationes ex principiis suis semper exhibeat. Id enim maxime desiderabatur huc usque, ut ars solida secandi, empiricis Architectorum vel opificum praxibus utplurimum innixa, ad formam scientiæ revocaretur, & fundamentis inconcussis superstrueretur. Cum hoc ageret Autor, errores detexit quamplurimos, ex defectu Theoriæ oriundos, qui in praxibus ordinariis non solum huc usque obtinuerunt, sed variis quoque Autoribus pro veritatibus habiti sunt, ex quibus recentissimum, *de la Rue*, nominasse sufficiat. Hos igitur correxit atque sustulit, novaque addidit quamplurima, tam ex sua penu hausta, quam ex Lectionibus Architectonicis B. *de la Hire*, quæ tamen, cum absque demonstratione essent proposita, hic ex suis confirmanda principiis fuerunt. Omnia vero complexus est *Capitibus* numero *decem*, de quibus singulis expressius dicere, nostrum est. Igitur *Cap. I* traduntur elementa Tomotechniæ, sive sectionis Lapidum & Lignorum. Varia superficierum genera, usum in arte habitura, explicantur, nec minus angulorum positio determinatur, quos efficiunt partes superficierum refectæ a planis, variis modis ipsas secantibus. Superficies vero, quæ maxime hic considerandæ veniunt, sunt Sphæricæ, Cylindricæ, Conicæ, Sphæroidicæ, aliæque. Maxima difficultas in eo est posita, ut corpus irregulare, v. g. lapis, in solidum aliquod figuræ desideratæ conformetur, superficie curva, velnti Sphærica, Sphæroidica, &c. præditum. Quod cum non nisi auxilio superficierum planarum fieri queat; tres methodos exponit Cel. Autor, quarum in hoc negotio usus est insignior. Prima in eo consistit, ut corpus irregulare reducatur ad formam parallelepipedi, super quo deinceps projectio solidi desi-

 derati

derati designatur. Hanc methodum appellant *par Equarissement.* Secunda in eo ponitur, ut superficiei desideratæ formetur exemplar, & solido irregulari applicetur; quam priori longe præstare, manifestum est. Gallice appellant *par panneaux.* Addidit B. *de la Hire* tertiam, quæ media veluti est inter duas modo recensitas, Autori eapropter dicta *par demi-équarissement.* Hisce præstructis, ostenditur, quomodo segmenta Sphærica, Conica, Cylindrica, Sphæroidicaque, fieri debeant. Pro segmentis Sphæroidicis Problema solvendum fuit sequens: Per data tria puncta in superficie Sphæroidis, cujus projectio habetur, describere Ellipsin, quæ basis sit segmenti, facti a plano, per hæc tria puncta transeunte. Quo facto, aliarum adhuc superficierum, magis irregularium, effectio traditur, quarum frequens usus est in variis fornicum generibus. *Capite secundo* ostenditur, qua ratione anguli, acclivitatem habentes, (*angles en Talud,*) ad rotunditatem sint reducendi, cujus praxeos frequens usus in Architectura militari existit. Quoties enim sunt nimis acuti, e. g. minores 60 gradibus, præstat rotunditatem ipsis inducere, quo solidiores sint. Rotunditas iis vel cylindrica, vel conica, dari potest, prout visum fuerit. Dantur casus subinde difficiles, ubi artifices non semel hærere observavit Autor, præsertim ubi duo anguli, crura, vel latera, acclivitates diversas habent. *Capite quarto,* (*quarto,* inquam, *tertium* enim non numeratur, typothetæ forsan incuria, adeoque re vera volumen *Capita* solum *novem,* non *decem,* habet,) agitur de Fornicibus planis, tam horizontalibus, quam inclinatis. In eorum equidem constructione ordinaria non ita magna vis est Tomotechniæ, sicut in aliis; ne vero quidquam desiderari possit, de iis, cum subinde usu veniant, mentio utique fieri debebat. Quacunque ratione construantur, eo premuntur incommodo, quod energiam omnium maximam erga pilas sustinentes exerceant, quibus adeo plus roboris, quam in alio quocunque casu, tribuendum est. Plurimi Architectorum in id incubuere, ut majorem hisce fornicibus soliditatem tribuerent; quæ tentamina cum recensuisset Cel. Autor, suum quoque de iis judicium ponit. Ceterum novum

for-

fornicis plani genus A. 1699 inventum est ab *Abeillio*, Architecto militari, & ab Academia Scientiarum approbatum, ceu videre est in *Tomo I* Machinarum & inventorum ab Academia approbatorum, *pag. 159.* Nos quoque in *Actis A. 1737 Mens. Januar. pag. 30* de eo quædam dixisse meminimus. Cel. Autor suas de hoc invento, satis ingenioso, conjecturas affert, quod ipse magis perfecit, cum in eo iam pridem desudasset P. *Sebastianus.* Quinque omnino sunt methodi, quæ ad constructionem proponuntur; subditur tamen, totum inventum magis videri ingeniosum, quam utile. Difficilior est constructio fornicis plani ad horizontem inclinati, qui non nisi duobus lateribus inferioribus & contiguis innititur; Architecti appellant *Trompe plate.* Est qu[illegible] fornicum conicorum imitatio. *Capite quinto* tractatio habe[illegible] de fornicibus cylindricis cujuscunque generis, quos generali nomine appellant *Berceaux.* Ubi statim reprehenduntur opificum praxes in designandis ellipsibus, quas ex arcubus circularibus, invita Geometria, componunt, quo quidem errore nihil est communius inter homines Theoria destitutos. Formatio fornicum cylindricorum generalissima hæc proponitur: Concipiatur quadrilaterum quodcunque super curvæ cujuscunque perimetro moveri, ita quidem, ut latus, super curva incedens, sibi ipsi semper maneat parallelum, & perpendiculare ad Curvam in quolibet puncto, vel, quod idem est, ad Tangentem Curvæ; tunc alterum latus arcum fornicis cylindrici designabit. Exinde statim patet, commissuras Lapidum (*joints*) ita designari debere, ut ad arcum fornicis, cujuscunque Curvæ portio sit, recti existant. Falsa igitur opificum praxis est in arcubus ellipticis, qua commissuras omnes versus centrum ellipseos dirigunt, cum re vera dirigendæ sint ad Curvam illam, ex cujus evolutione Ellipsis describitur, id quod ratione perfacili obtineri potest. Ex quo certissime liquet, quantum absque Geometriæ præsidiis a perfectione sua absint artes, quamdiu manibus Empiricorum duntaxat tractantur. Omnis autem fornicum cylindricorum variatio ad duo capita commode revocatur. Etenim illa consistit vel in curvis, ex quibus formari arcus possunt; vel in directionum varietate, quam axes

fornicum habent cum planis anterioribus & posticis; quodsi enim axis fornicis est ad hæc plana rectus, habebitur fornix rectus, ceu cylindri recti sectio per axem horizontalis; si non est rectus, habebitur fornix obliquus, ceu sectio cylindri Scaleni per axem. Curvæ autem, quarum in formandis arcubus (*ceintres*) usus maxime invaluit, sunt Circulus & Ellipsis. Monet tamen Autor, alias esse, quæ ei negotio inservire possent. Certe, si lapides cæsi (*voussoirs*) omnes sumantur æquales, nulla convenientior esset Catenaria, quæ ad parabolam satis accedit, ut differentia in praxi insuper haberi queat; sed ejusmodi arcus, verendum est, ut oculos delectet, parum quippe a Gothicorum forma recessurus. Qua ratione adducti Architecti lapides potius inæquales sumserunt, diminutione versus verticem arcus continua; unde accidit, ut arcus interior & exterior curvatura prorsus differant. Quodsi vero lapides sumantur inæquales, curvas alias proponit Autor, quæ formando arcui interiori inservire possunt; verbi gratia, ovalem *Cassini*, cujus hæc est natura, ut, ductis ex duobus focis ad quodlibet curvæ punctum rectis, earum rectangulum sit constans, porro cycloidem, & spiralem, tam *Archimedeam*, quam *Varignonianas*, pro arcubus repentibus. Certissimum est, arcus hosce formas satis pulchras exhibituros. Præterea in iis facile ducuntur Tangentes, quod in delectu Curvarum semper est observandum, ob lapidum commissuras. *Blanchardus* ex duobus arcubus Parabolicis arcus formavit suos, quæ delineandi ratio defectibus non omnino caret. Quod ad obliquitatem fornicum ulterius attinet, in illa plurimum inest differentiæ. Sæpissime accidit, ut facies sive pars anterior aut posterior fornicis ad horizontem non sit recta, sed inclinata, in munimentis præsertim, quorum muri semper aliquam acclivitatem habent, ut valli energiam eo melius sustineant. Nec minus usu venit, ut basis fornicis, sive sectio Cylindri per axem, non sit horizontalis, sed inclinata, unde nova varietas. Quantuscunque autem variationum & combinationum numerus existat, res omnis unice reducitur ad varias Cylindri sectiones. E. g. quando pars anterior fornicis non ab uno, sed a duobus planis,

nis, angulum constituentibus, comprehenditur, liquet, duas ibi obtinere ejusdem Cylindri sectiones; exinde in ipso opere difformitas aliqua nasci posset, nisi in seligendo arcu primario, ex quo scilicet reliquorum omnium in quavis delineatione determinatio pendet, circumspectus sit Architectus. Cel. Autor in omnibus hisce explicandis, & ad praxin commodissimam certissimamque traducendis, perquam industrius & copiosus est. Nunquam non refellit receptos nimium errores, & tutiora ipsis substituit, Geometria duce utens. Sub finem *Capitis* hujus tradit explicationem methodi universalis, qua olim usus est *Desargues*, qui & eam dudum publici juris peculiari scripto fecit. Autor iste, cum terminorum obscuritatem summam affectaverit, nec fundamenta methodi suæ satis retexerit, adeo parum lucis Tomotechniæ affudisse visus est Architectis, ut a libelli, quem publicavit, lectione deterriti fuerint quamplurimi, methodum hanc repudiandam existimantes. Noster autem in aprico eam collocat, bonamque esse, luculenter demonstrat, explicando terminos insolentes, adeoque libellum ad captum hominum magis accommodando. Quo ipso haud sane ingratam Architecturæ studiosis operam præstitisse dicendus est. *Caput quintum* occupatur circa fornices conicos, qui duplicis sunt generis, prout ex semi-cono integro, vel ex semi-cono truncato, constant. Priores generaliter appellant *Trompes*, posteriores autem *Voutes en Canoniere*. Majores conici fornices non nisi raro executioni dantur. Unicum ejus generis profert Autor, a famigeratissimo *Bernino* Romæ in Vaticano constructum. Frequentissimus vero minorum usus est in plurimis Architecturæ utriusque operibus. Basis coni potest esse circularis, elliptica, vel, si placet, portio curvæ cujuscunque, cujus Tangentes expedite duci possunt. Ut enim proba constructio sit, in conicis perinde ac in cylindricis fornicibus commissuræ lapidum axem coni vel cylindri respicere debent, si basis sit circularis; sin portio alius curvæ, ad Tangentes recti sint. Nullum est dubium, quin formari quoque fornices conoidici possint, id est, tales, qui gignantur revolutione parabolæ, hyperbolæ, &c. circa axem. At verendum, ne opifices difficultate deterreantur. Ceterum, quæ in fornicibus

cylin-

cylindricis ineſt varietas, eadem omnino in conicis obtinet, ut adeo plura in eam rem dicere ſuperſedeamus. *Caput ſextum* circa Fornices Sphæricos verſatur, quorum inſignis eſt uſus. Completi ſunt, quando integro conſtant hemiſphærio; incompleti, quando ſegmento minori. Plurimæ in conſtructione talium fornicum, quantumvis uſitatorum, difficultates ſeſe produnt. Superficies ſphærica in rectam explicari nequit, ut exinde formari poſſint lapidum exemplaria (*panneaux*). Præterea duplici ſuperficie ſphæricus fornix conſtat, interiori & exteriori, quæ ſunt inæquales, & ſpatium inter utramque conis truncatis repleri debet, qui differentes induunt facies; nec minus lapidum commiſſuræ haud leve negotium faceſſunt, quæ variis modis diſponi ſolent, quorum tres cum recenſuiſſet Autor & explicaſſet, quartum, in quem ipſe incidit, ſubjungit. Quodſi ſtrata lapidum horizontalia vel verticalia deſiderentur, fornix ſphæricus conſtrui poterit, formando ſegmentum ſphæræ, cui inſcribuntur latera lapidis, vel reducendo ſphæram in cylindros inſcriptos, aut conos truncatos, aut denique Polyedra inſcripta circumſcriptave. Poſſunt autem aliæ ſtratorum diſpoſitiones uſu venire, exindeque fornix tribus iterum methodis conſtitui. Quod ad conſtructionem fornicum incompletorum attinet, ea fuſe ſatis traditur ſub finem *Capitis*. *Septimo* & *octavo* agitur de Fornicibus ſphæroidicis, in quibus exſtruendis plurimum erraverunt Architecti, & qui ea de re ſcripſerunt. Errores recenſet Autor, &, quantum res patitur, corrigit. Dicimus, quantum res patitur; prorſus enim eos tollere non licet, niſi alia conſtruendi ratione ſubſtituta. Dividit fornices hoſce in regulares & irregulares. Regulares quidem, qui generantur revolutione Ellipſeos circa axem ſuum majorem; irregulares vero eos, in quibus ſtrata lapidum horizontalia in planum horizontale projecta, efficiunt Ellipſes ſimiles & concentricas. Tales enim ex revolutione gigni nequeunt. Vulgaris error eſt, Ellipſes ſimiles & concentricas ſimul parallelas eſſe, id quod maxime a veritate abhorret. Lapſum hunc ſæpiſſime obſervavit Vir Cel. ac emendavit. Quæ methodi in fornice ſphærico conſtruendo uſum præſtare poſſunt, in ſphæroidicis non minus adhiberi queunt. Irregulares, quos etiam Ellipſoidi-

lipſoidicos vocat Autor, in templis frequentiſſimi exiſtunt, qui Tholis (vulgo vocant *Cupolas)* ornantur, non exiguo ſplendoris ac majeſtatis augmento. Obſervationes ſuas de Tholorum figuris exterioribus ſubnectit Autor; quo facto, inſerit ſolutionem Problematis ſequentis, quod huc pertinet, olim a Cel. *de la Hire* in Lectionibus Architectonicis abſque demonſtratione datam. Invenire ſcilicet duos axes conjugatos Ellipſeos, quæ tale ſphæroides generet, ut in data diſtantia & altitudine viſa apparentiam corporis ſphærici exhibeat. Ceterum fornices ſphæroidici truncati non minus fieri poſſunt ac ſphærici. *Caput nonum* tractationem de Fornicibus annularibus exhibet, quos Gallice vocant *Voutes ſur le noyau.* Eorum formatio ita exponi poteſt, ut concipiatur ſemicirculus vel ſemiellipſis verticaliter erecta ſuper curva quacunque in plano horizontali deſcripta ita moveri, ut centrum ejus ſemper in perimetro curvæ ſit, & diameter ad Tangentem curvæ recta; ea enim ratione una diametri extremitas exteriorem fornicis perimetrum, altera vero interiorem, ſive nucleum, deſcribet. Conſtructio eadem ratione, qua ſphæricorum fornicum, perfici poteſt, vel per inſcriptionem cylindrorum, vel conorum truncatorum. Dantur quoque fornices annulares incompleti, ad imitationem ſphæricorum; quibus breviter expoſitis, ad eos progreditur Autor, qui helicoides, *(berceaux tournans & rampans)* audiunt, quorum generatio ab annularibus in eo duntaxat differt, quod ſemicirculus genitor, dum revolvitur, juxta helicem aliquam ſeſe attollit, ſalva interim inclinatione plani ſui & diametri, nec non directione verſus axem helicis. Dantur quoque tales incompleti, ad analogiam præcedentium. Tandem *Capite decimo*, quod coronidem toti *Volumini* imponit, de iis fornicibus agitur, quorum ſuperficies ſunt irregulares. Ii autem in duas claſſes diſtinguuntur. Ad primam pertinent conico-cylindrici, qui utriusque horum ſolidorum proprietatibus gaudent; ad ſecundam ii, quorum ſuperficies duplicis eſt curvaturæ, quales ſunt conico-ſphærici, ſphærico-cylindrici, & ſphærico-priſmatici. Atque ſic quidem de omnibus Fornicum ſimplicium generibus copioſe & luculenter egit Cel. Autor, atque ita egit, ut

non minus doctum ſeſe Geometram, quam eximium Architectum, præſtiterit. In dubium revocat Vir egregius, an plures excogitari Fornicum formæ poſſint, quæ ab iis, quas expoſuit, multum, & quidem intrinſece, differant. *Tertium* igitur Operis *Tomum*, qui de eo, quod in Tomotechnia difficillimum eſt, de Fornicibus nempe compoſitis, aget, cupide exſpectamus, eumque in lucem publicam brevi proditurum, confidimus. Dum vero id fiat, fruamur præſentibus.

AN ENQUIRY INTO THE NATURE AND PRINciples of the Spaw-Waters, &c.

h. e.

SCRUTINIUM NATURÆ ET PRINCIPIORUM Soterii fontis Spadani, cum mechanica explicatione virtutum ejus in diverſis morbis. Accedit Diſquiſitio brevis de natura & facultatibus Thermarum, quæ ſunt Aquis Capellæ. Autore CAROLO PERRY, Med. Doct.

Londini, impenſis Jacobi, Joannis, & Pauli Knapton, 1734, 8. Plag. 9.

Chorographia urbis Spa præmittitur, locique ſalubritas, ob montium circumjacentium juga, deſcribitur. Diverſi ſunt fontes, ex quibus aquæ ſalubres hauriuntur: *Poubon*, *Geronſter*, *Souveniere*, *Tonnelet*, & *Wartroz*. *Poubon* fons princeps eſt, qui ſuas aquas Britannis aliisque gentibus tranſmittit. Ideo volatilitatis majoris particeps dicitur, quod mediocri ignis gradu, cum frigidiſſimus ſit, parvaque temporis mora, ebulliat, & calidiſſimus fiat. Hinc fons, qui frigidus, viſui guſtuique gratus acceptusque erat, nunc, poſtquam deferbuit, nauſeoſus admodum turbidusque habetur. Oleum vitrioli turbavit aquas, quas tamen vitrioli ſeu martis jam participes eſſe conſtat, ideo, quod aqua marte jam ſatis farcta ſit, nec plures iſtarum partium ſuſtinere poſſet. Magna aquarum quantitas excocta mediocrem ſecum quantitatem

tem cinamomei coloris reliquit, quas nullius sulphuris participes intellexit Autor, sicut nitri vestigia in aquis excoctis, neutiquam autem aluminis rudimenta, quod aliis ita visum fuit, deprehensa fuerunt. Ex omnibus una sumtis experimentis infert Autor, Martem, Nitrum, Vitriolum, partemque Salis acrioris, elementa aquarum istarum salubrium constituere. Occasione ferri in aquis Spadanis deprehensi, partim de ferri effectu in corpore humano, partim de ejus genesi & consistendi modo, plura commentatur Autor. Allegatur *Nestelii* sententia de aquis Spadanis, qui easdem secundum ideas divinitus concessas, queis humorum diversis texturis sese accommodare norint, agere arbitratur. Ad normam methodumque mechanicam, quam passim laudat, magnos, illam secutos, viros, præsertim *Freindium, Bœrhaavium, Morgagnium*, commendans, virtutes aquæ ita describit, ut melius quis nequeat, dum omnia ad numerum, proportionem, figuras, actiones, resistentias superatas, & sic porro, revocat. Allegantur denique magni aquarum istarum in variis morbis effectus. De aquis Capellanis habentur sequentia. *Hevefchius* calorem thermarum istarum ab alcalino sale dependere affirmat. *Blondellus* & *Didierius*, sal marinum, aluminosum, & nitri una mixtum, inesse, putant; *Franciscus de le Boe Sylvius*, sal gemmæ vel nitrum subesse, negat. Aliis alia placet sententia. Sal, ex aquis coctum, neutrum est, prout thermarum esse solet. Recensentur thermarum virtutes. Calefaciunt intestina, & motum eorundem peristalticum obfirmant, vermes eorundemque seminium destruunt, tussi asthmatique medentur, ictero prosunt, rheumatismis opitulantur, præstantissimum sunt calculosorum remedium. Annectitur aquarum calidarum urbis Huy, inter Liegam & Namurium sitæ, breve scrutinium, itidemque aquarum Chevetonensium & Louranæ ejusdem agri expositio, iisdem, quibus antea factum fuerat, experimentis. Præsertim problema de fluxu & refluxu aquarum Louranæ, num æstui & recessui maris non procul dissiti sit achronos vel synchronos, & qua ratione phænomenon illud exponi debeat, sistitur.

EXERCITATIONES MEDICÆ QUATUOR, I) de Motu vitali, II) de Somno & vigilia, III) de Fame, IV) de Siti; Autore JOANNE DE GORTER, Med. D. & Professore Ordinario.

Amstelædami, apud hæredes J. Ratelband, 1737, 4. Alph. 1 plag. $1\frac{1}{2}$.

Pluribus jam dudum scriptis orbi erudito notus, & in *Actis* nostris aliquoties merita cum laude commemoratus, Cl. *Gorterus*, potiora quædam in corpore nostro phænomena, nondum ex dignitate explicata, denuo sub judicium vocare, suamque de iis mentem his Exercitationibus, quarum modo indicium fecimus, cum eruditis communicare operæ, pretium duxit, e quibus pauca pro more nostro delibare liceat. *Primam* motui vitali dicavit. Esse nempe in nobis motum, qui neque a mentis imperio dependeat, neque soli structuræ partium mechanicæ obediat, experientia testatur. Si enim a voluntate penderet, uti motus animalis, interdum remitteret: at hic ad vitæ finem constanti motu perseverat; si a sola structura deducendus esset, non cum ipsa vita exstingueretur, qua cessante, neque elasticitate partium, neque textura organi, neque in fluore conservatis liquoribus, illum resuscitari posse novimus. Maxime conspicua hujus motus vitalis organa in cordis & pulmonum motu videmus. Cor enim per omne vitæ tempus alterne constringi & relaxari constat; quæ actio ab influxu spirituum vitalium per nervos e cerebello ad cor jure derivatur; sed, cum interpolatus sit ejus motus, non solum spirituum influxus, sed etiam pro tempore impeditus transitus, explicandus est. Inter varias sententias, hujus phænomeni gratia expositas, assensum meretur illa, qua, arterias aortam & pulmonalem, tempore constrictionis majore sanguinis copia dilatatas, interpositum nervum comprimere, fluxumque spirituum in cor intercipere, existimatur. At vero hæc explicatio cum in aliis organis, motu vitali agitatis, locum non inveniat, & illius tamen leges ubique eædem esse debeant, aliam, magis generalem, assignandam putat, nimirum ipsas fibras constrictas spirituum influxum intercipere. In respirationis negotio alterno expli-

explicando non minores occurrerunt difficultates. Etsi enim respiratio pro lubitu accelerari aut retardari possit, & sic animali etiam motui pareat; tamen, hoc etiam remittente, solo motu vitali, ut in dormientibus, continuari novimus. Quæ cum potissimum ab actione diaphragmatis pendeat, causa quærenda, cur alternis vicibus diaphragma relaxetur, quod putant ob defectum sanguinis, versus cerebellum tempore inspirationis parcius fluentis, hineque turbatum influxum spirituum in diaphragma, fieri. Sed, hanc causam non esse adæquatam, inde patere censet Cl. Autor, quod sic omnes partes, motu vitali gaudentes, & a cerebello nervos accipientes, eodem tempore deberent paralyticæ fieri, cum tamen constet, cor ad minimum ter vel quater constringi, tempore, quo semel attrahitur aer. Pluribus difficultatibus laborat illorum assertum, qui ab alterna constrictione duræ meningis hunc motum deducunt, cum neque illius cum cranio cohæsio talem admittere motum videatur, neque explicetur, unde hæc membrana alternatim se movendi vim obtineat, & sic æque obscura maneat motus vitalis ratio. Quodsi a cerebello causam motus reciproci derivemus, admittendum esset, in principia fibrarum nervosarum in cerebello, ad partes discrepante motu gaudentes deducendarum, alterne majorem vel minorem spirituum copiam derivari; quæ vero causa esset, hos motus diversos dirigens, æque obscurum maneret. Quare nihil aliud restat, quam ut in ipsa organi motu vitali agitati fabrica causa lateat, quæ, licet spiritus a cerebello lento & æquabili motu ad partem derivetur, nihilo minus alternam reddat contractionem & relaxationem. Requisitum hujusmodi organi esse, ut, dum tenditur fibra vitalis motus, sensim ipsa sua tensione vel intumescentia comprimat eam fibram nervi, per quam fluit spiritus, æquabili motu hanc fibram muscularem constringens. In fibris autem muscularibus, motus vitalis instrumentis, observarunt Anatomici, fibras, secundum longitudinem musculi decurrentes, in medio crassiores esse, atque inter se necti filamentis tenuissimis ad minutissimos usque fasciculos. Etsi vero ulterius in abscondita musculi fabrica detegenda progredi non licuerit, ex concessis tamen colligit, longitudi-

tudinales simplicissimas arteriis vel cruentis, vel lymphaticis, originem debere, atque intus cavas plenas esse liquoribus, transversales autem esse fibras nervosas, quæ, impletæ suis spiritibus, comprimentes fibras longitudinales, figuram illarum cylindricam mutarent in aliam, ex multis quasi vesiculis constantem. Si jam ab intumescentia harum fibrarum longitudinalium vesiculosa comprimatur nervus, sufficientem spirituum copiam transmittere ad constrictam retinendam fibram non poterit. Hinc relaxabitur fibra, & libertas iterum concedetur spiritibus, fluendi per fibras nervosas, unde renovabitur fibræ muscularis constrictio, & sic motus vitalis alternus excitabitur. Ab hoc motu vitali transitum humorum per vasa, viscera, & membranas, derivandum esse, fusius ostendit, & plura inde phænomena, in œconomia animali obvia, resolvit. *Secunda Exercitatione* de Somno & vigiliis, quæ ad corpus sanum conservandum mutuo se excipere debent, disquirit Cl. Autor. Cum vero in vigilia non solum æquabilis spirituum per nervos sensus & motus fluxus requiritur, sed illos etiam ad motum muscularem præstandum majori copia ad partes ferri, atque ad sensus exercendos organorum nervos largius implere, necesse sit; utrisque diutius continuatis inutiles redduntur spiritus, novaque ex aliis requiritur restitutio. Major enim illorum fit consumtio, quam per circulationem eorundem exspectanda est secretio. Ad horum productionem requiri monet partim præparationem humoris, qui materiem spiritibus præbeat, partim ex illo spirituum elaborationem. Materiam gelatinosam, ex qua spiritus in cerebro generari possint, rectius tempore somni elaborari, illorum vero separationem in vigilantibus promtius succedere, tuetur. Cum ergo in vigiliis ob motus auctiores, cum animales, tum vitales, partim auferantur spiritus animales, partim confectio succi gelatinosi præpediatur, varii effectus in corpore ex illorum defectu oriuntur, solo somno iterum tollendi. Qua occasione contra *Sanctorium*, & qui illum sequuntur, defendit, insensibilem transspirationem in vigilantibus majorem esse, quam in dormientibus. Etsi enim post somnum placidum semper corpus sentiatur alacrius & levius, post vigilias autem lassum

ſum & ponderoſum, illam gravitatem non pendere a majori humorum accumulatione, ſed a diminutis viribus, exiſtimat, cum, ponderato corpore poſt vigilias, illud comparative ſemper levius ſit, quam poſt ſomnum placidum. Cum ſubinde quæratur, an coctio alimentorum juvetur aut prohibeatur in vigiliis, diſtinguendum putat inter alimentorum mutationem in chylum & digeſtionem in ſanguinem, quæ promoveantur in vigiliis, humoribus ſolventibus copioſius ad viſcera delatis, & actione viſcerum chylum elaborantium fortiori; at vero, ulteriorem chyli in ſuccos nutritios converſionem, ſola moderata circulatione obtinendam, in vigiliis impediri, ſomnique tempore commodiſſime abſolvi, ſtatuit. Deficientibus igitur ſpiritibus, eorumque materia, ſomni ingruit neceſſitas, quæ tamen cum a variis ſubinde cauſis, in ſanitate æque ac morbis, cum inſigni virium jactura eludatur, illas pluribus indicat, & noxas inde metuendas oſtendit. Somni accurata idea ſemper formatu difficilis viſa eſt; hanc tamen phænomenis hominis ſani perfecte quieſcentis, ſine perceptione ſenſuum internorum, & promtitudine ad motum animalem ac ſenſus externos, contineri cenſet. In phænomenis ſomni recenſendis copioſe contra illos diſputat, qui, motum vitalem in ſomno auctiorem eſſe, contendunt, eorumque obſervationes refellit, non ſolum motum animalem penitus ceſſare, ſed & vitalem remiſſiorem eſſe, ac in nervis cerebri æque ac cerebelli ſpiritus lentiſſime moveri, pluribus oſtendens. Cum, in ſomnolentis, omnia phænomena teſtentur, vel deficere ſpiritus, vel tam tarde fluere, ut nervi minus impleti vigilias continuare nequeant, ſomni naturalem cauſam conſtituit tardiorem ſpirituum fluxum per nervos ad ſenſuum & motus animalis organa, qui cum a variis cauſis pendere queat, ſpiritibus vel exhauſtis, vel inviſcatis, vel intercepτis impedito affluxu ſanguinis, vel nervo compreſſo, de cauſis remotioribus copioſe agit, ut pateat, quid boni vel mali præſtet ſomnus, ex variis cauſis inductus. Effectus ſomni moderati ad vigorem corporis conſervandum inſignes pluribus perſequitur. Inprimis reparatio materiæ ſpirituum in ſomno placido optime ſuccedit, quam materiem gelatinoſam ſanam, noſtrorum

humo-

humorum actione elaborandam, appellat, cerebri ope in spiritus commutandam; cujus sit sufficiens nata sit copia, evigilare hominem, si vero diutius quiescat, tarda nimis circulatione inviscari hanc materiem, ut inde spiritus promte expediri nequeant, unde gravitas totius corporis, capitis inprimis, oriatur, excitata demum validiori circulatione iterum dissipanda. His positis fundamentis, pluribus regulas diæteticas, quamdiu dormiendum sit, an corpore repleto, an inanito, multisne, an paucis, stragulis opertum, an prorsus nudum, somnum capere præstet, qualis decubitus maxime conveniat, proponit, & de somni inquieti ac nimii in corpore effectibus pluribus agit. *Tertia & quarta Exercitatione* de Fame & siti Cl. Autor disquirit. Cum enim corpus nostrum actione vitali quoad solida & fluida perpetuo se ipsum destruat, nutrimento convenienti illam quotidie resarciri jacturam necesse erat, quod triplex potissimum esse censet, aerem, aquam, & cibum, ad quæ appetenda inditus est peculiaris sensus, qui ad ea appetenda nos invitat. Qua occasione fusius ostendit, famem æque ac sitim ad sensus pertinere, & quidem distinctam illorum speciem, neque ad sensum tactus, quod multi fecerunt, simpliciter referri debere, sed in peculiari organo diversa a reliquis ratione excitari. Expositis ac refutatis aliorum de causa famem generante sententiis, putat, illam pendere partim a perceptione defectus chyli in sanguine, partim a dispositione ventriculi ad nova alimenta accipienda & subigenda. Sitis vero causam naturalem censet improportionatam humiditatis quantitatem ad reliquas humorum partes, dum evacuatio naturalis humidi spissiorem & densiorem reliquerit massam; tales enim humores, ad nervos, sitim percipientes, delatos, in his sensum singularem producere, dum vascula & partes reliquæ firmæ exarescunt, atque bibulæ & constrictæ redduntur. His præmissis, causas, sitim atque famem morbosam inducentes, exponit, &, qua ratione operentur, quæ item hos sensus obtundere & corrumpere possint, allegat, quibusve remediis ad naturalem conditionem reduci possint, fusius ostendit, quæ tamen rectius ex ipso Opere cognosci poterunt, quod cum studio perlustrasse neminem pœnitebit.

ELO-

ELOGIUM JOANNIS SALTZMANNI, Medici celeberrimi.

Etsi laudes & merita Celeberrimi *Saltzmanni*, a compluribus, qui ex ejus quondam institutione profecerunt, nunc vero ipsi egregie de arte salutari merentur, grata mente prædicentur, neque scripta, quæ edidit, doctissima famam ejus perire patiantur; nostris tamen Annalibus nomen ejus pariter consecrare, fas & æquum ducimus. Lucem adspexit Argentorati anno Seculi præterlapsi nono & septuagesimo, patre Plur. Reverendo *Balthasare Friderico Saltzmanno*, S. S. Theol. D., matre *Catharina*, nata *Schmidia*. Uuniversa vero gens *Saltzmannia*, dudum a literis nobilissima, multos, cum in sanctiori disciplina, tum in arte medica, conspicuos Viros, omnes de republica Argentoratensi optime meritos, longa annorum serie produxit, quorum de sanguine natus, quorum & exemplis incitatus, ad summa quæque Noster adspiravit. Etsi enim congenitus quemque ardor potissimum ad laude digna stimulare debeat, atque, hoc deficiente, heroum quoque filii non raro degeneres inveniantur; illud tamen dissimulari non potest, ad alendos nobiles spiritus, augendosque animos, non parum valere proposita majorum exempla, ipsosque conatus favore gentis bene meritæ multum juvari, ut emergere facilius, & in apricum producere insitas ingenii dotes, possint hoc natalium splendore gaudentes viri. Id ipsum *Saltzmanni* fata luculenter testantur. Postquam enim in Gymnasio publico studiorum fundamenta cum laude jecisset, & jam tum, quantum de eodem sibi promittere posset respublica, pluribus speciminibus comprobasset, ad altiora studia in Academia patria prosequenda alacriter progressus, in Philosophorum antea scholis bene præparatus, totum se arti medicæ consecravit, & ex *Sebizii*, *Mappi*, *Scheidii*, atque *Bæcleri*, summorum Virorum, doctrina profecit. Neque illo tempore, quo discentium adhuc subselliis inhærebat, prorsus in occulto delitescere potuit, sed in publicum subinde progressus, nunc *de Urinatoribus & arte urinandi*, Præside *Sebizio*, nunc *de Sanguine*, *dilecto naturæ filio*, Præside *Scheidio*, nunc *de Sanguine*, *degenere naturæ filio*, disputavit, qua ultima

Exercitatione jura Doctoris anno hujus Seculi tertio obtinuit. Inprimis per omne illud tempus in laboribus anatomicis, & perscrutanda corporis fabrica, indefessus fuit; utque tanto magis jacta domi fundamenta confirmaret, Lutetiam Parisiorum se contulit, ubi non solum in Anatomia excolenda, duce Celeb. tunc *du Verneyo*, strenue perrexit, sed *Tournefortium*, *Lemerium*, *Varignonium*, & *Andrium*, cum fructu audivit; inde, salutata Basilea, nostram quoque Academiam & Halensem invisit. Sub finem vero quinti in hoc Seculo anni patriæ redditus, fructus laborum suorum ad alios quoque redundare voluit. Apertis enim scholis physicis, omnium meruit applausum, unde brevi post locus ei Canonici in Collegio ad D. Thomæ est assignatus, cum, eum aliquando munus Professoris Publici cum laude ornaturum, omnes intelligerent. Quod etiam anno octavo hujus Seculi ex merito obtinuit, sparta Anatomen publice docendi, omnibus bonis congratulantibus, eidem collata, quam Oratione *de imperfecta post tot noviter inventa Anatomia* auspicatus est. In hac vero palæstra, ad quam ornandam natus omnino videbatur, per 23 annos tanta alacritate atque dexteritate versatus est, ut undique ad ejus theatrum advolarent, qui majores in hoc studio progressus optarent, qui, domum quisque suam repetentes, famam ejus in dies celebriorem reddiderunt. Inter nos etiam superstites sunt, qui, multum ejus se doctrinæ debere, grati profitentur. Quin tantus ejus fuit erga hoc studium, quod suis ceteroquin molestiis & tædiis non caret, amor, ut, mutata licet A. 1731 cum Professione Pathologica Anatomen docendi provincia, tamen, successore ejus, Cl. *Nicolai*, post biennium præmatura morte exstincto, postliminio veluti ad eandem reversus, per annum labores Anatomicos iterum administraverit. Non minorem eidem famam conciliarunt elaboratissimæ Dissertationes, per id tempus editæ, pleræque argumenti Anatomici aut Chirurgici, quarum potiores nominasse, non ingratum Lectoribus fore censemus. Prodiere sub ejus nomine *Specimen Anatomiæ curiosæ & utilis*; *Theses Anatomicæ selectiores*; *Encheiresis ductum thoracicum inveniendi*; *de articulationibus Artuum*; *de miraculo naturæ utero muliebri*;

de

de sanguinis in fœtu circulo; de ætatibus vitæ humanæ & mutationibus; de vena portæ; de mirabili cranii fractura; de Articulationibus analogis, quæ fracturis ossium superveniunt; de luxatione ossis femoris rariore; de tumoribus quibusdam serosis externis; de aure humana; de dubia spirituum animalium existentia; de ratione observandi medica; de ossificatione præternaturali; de verme naribus excusso; de tumore tunicato membranaceo; de novo membra amputandi modo; Observationum Anatomicarum Decas; de fœtu rupto utero in abdomen prorumpente; de præcipuis partium fœtus ab illis adultorum differentiis; de morte subitanea a sanguine intra pericardium effuso; de utero geminato; de vesicæ urinariæ hernia; de glandula pineali lapidescente; de Podagra; de plurium pedis musculorum defectu. Plures etiam ejusdem Observationes lectu dignæ in *Ephemeridibus Academiæ Cæsareæ Leopoldo-Carolinæ*, a qua, ut & Regia Berolinensi, inter Socios receptus est, prostant. Inter hos labores publicos ea etiam munera, quæ in Academiæ emolumentum a Professoribus obeunda sunt, summa cum laude fideque administravit. Nimirum quater eum Academia patria Rectorem, decies septies Decanum, novies Promotorem Doctorum sui ordinis, vidit. In Capitulo Thomano ad Decani usque dignitatem, quam paucis ante obitum mensibus obtinuit, per gradus adscendit. Cum felicibus auspiciis in urbe patria sedem fortunarum invenisset, A. 1707 vitæ thorique sociam elegit *Margaretham Salomen*, natam *Zeysolthiam*, in quo matrimonio quatuor filiorum, & unius filiæ, parens factus est, quos omnes, præter unicum, vigesima statim septimana mortuum, feliciter adolescere vidit. Omnes boni cum florentissima gente omnino optassent, ut Vir tantis meritis conspicuus diutius superstes fuisset, qui, post aliquot septimanarum morbum, anno præterito, mense Februario, vitam finivit, cum annos 58, cum septem mensibus, atque sex diebus, vivendo complevisset, cujus tamen nomen laudesque grata adhuc celebrabis posteritas.

NOVA LITERARIA.

Augebit proxime, aut potius mirifice locupletabit atque exornabit, rem herbariam, nitidissime hoc tempore efflorescentem, Opus novum, dubia spe diu exspectatum, adspectu ipso magnificum, omni ex parte præclarum, nec eorum, quibus, ad hunc diem gloriatur ars Botanica, sive diligentiam Autoris, sive splendidum herbarum apparatum, spectes, ulli secundum. *Amboinense* dicimus *Herbarium*, a maximo in arte sua Viro, *Georgio Eberhardo Rumphio*, molestissimis olim itineribus studiose collectum, Belgicoque, ipsi patrio, sermone descriptum, sed, quod edi sine sumtibus prætoriis ac pæne regalibus vix posset, indignissimis huc usque tenebris sepultum, jam vero, nobili *Joannis Burmanni*, celeberrimi in Batavis doctoris, studio, & liberali Amstelædamensium Societatis Indicæ Rectorum munificentia, in publicam, qua tot eruditorum hominum fruuntur scripta, lucem proxime proditurum. Prodibit autem sic inscriptum: Georgii Everhardi Rumphii, *Med. Doct. Hanavensis, Mercatoris Senioris, & in Amboina Consulis, nomine* Plinii Indici *celebris, & Membri Illustris Societatis Academiæ Naturæ Curiosorum Germaniæ, Herbarium Amboinense, plurimas complectens Arbores, Frutices, Herbas, Plantas terrestres & aquaticas, quæ in Amboina & adjacentibus reperiuntur Insulis, accuratissime descriptas, juxta earum formas, cum diversis denominationibus, cultura, usu, ac virtutibus. Quod & insuper exhibet varia Insectorum Animaliumque genera, plurima cum naturalibus eorum figuris depicta. Omnia magno labore ac studio multos per annos collecta, & duodecim conscripta Libris. Nunc primum in lucem edita, inque Latinum versa sermonem, cura & studio* Joannis Burmanni, *Med. Doct. & in Horto Medico Amstelædamensi Professoris Botanici, qui varia adjecit Synonyma, suasque illustrationes.* Cujus instituti ut omnibus herbariarum suavitatum amatoribus ratio constaret, ipsius Operis haud ita pridem Cel. *Burmannus* specimen, Palmam Indicam vinariam secundam, *Saguerum* sive *Gomutum*, exhibens, simulque Literas ad Viros doctos, publicavit, universam Operis edendi rationem explicantes, satisque dignas, quas & nos, ad commendanda hominum doctorum salutaria consilia natura proni,

proni, in his Annalibus conſervemus. Ita vero præſtantiſſimus *Burmannus:*

Dimidium circiter lapſum eſt Seculi, ex quo Georgius Everhardus Rumphius *ſplendidum ſuum de Plantis Opus ex Indiæ parte Orientali, Amboina nempe, in Europam, & quidem Amſtelædamum, per partes Nobiliſſimis Societatis Indicæ Præfectis transmiſerit, ea ſpe & conſilio, ut hi cura ſua atque autoritate magnificum illud ac ſumtuoſiſſimum in lucem emitterent Opus, quod in hunc uſque diem ob maximos ſumtus, arduosque labores, dilatum fuit. Ne autem diuturnus continuusque ſummi & indefeſſi Senis labor (qui vehementes ſolis æſtus aliaque incommoda ad hoc perficiendum Opus adeo perpeſſus fuit, ut eo anno, quo Amboinam relinquere ipſi eſſet animus, tam vehementer cataracta fuerit afflictus, ut intra trium menſium ſpatium omnem fere amitteret oculorum uſum,) irritus foret, amicorum deſideriis, hujusque ſtudii & libri peritorum votis, impulſus, atque commotus, tandem Amſtelædamenſes Societatis Indicæ Rectores & Præfectos ſupplici rogavi prece, ut mihi ejus copiam facerent, & imprimendi ubique exoptati ac celebris hujus Libri curam mandarent: per quorum generoſam, nec ſatis laudabilem, munificentiam tandem, Deo volente, vitamque mihi largiente, hoc Opus in publicum prodibit, & cuivis inſervire dabitur. Superfluum puto, multa hic Autoris noſtri proferre præconia, cum cuivis rei naturalis perito, imo fere tironi, tam per alia ejus præclara, & inprimis* de Conchyliis, *Opera, quamplurimorum Autorum encomiis, Actorumque publicorum eruditorum teſtimoniis, ubivis ſit notus, quæ omnia citare & enarrare, non hujus eſt loci. Opus vero ipſum inſcribitur* Herbarium Amboinenſe, *non quia ſolius Amboinæ deſcribit plantas, ſed quia in Amboina eſt conſcriptum & elaboratum. Hujus enim non tantum regionis, ſed omnium adjacentium Moluccarum Inſularum, Bandæ, Ternatæ, & aliarum ad Javam uſque, continet & deſcribit plantas: dividiturque in* duodecim Libros, *quorum* quinque *priores de arboribus agunt, tam domeſticis, quæ fructus nempe, panem, vinum, veſtimenta, aliaque ad victum neceſſaria, præbent, quam quæ aromata etiam ſuppetunt; hisque ſimul ſilveſtres adduntur ſpecies. Prio-*

 rum

rum vero quædam ab aliis, præsertimque in Horto Malabarico, sed paucæ, sunt descriptæ; nusquam tamen adeo accurate, atque elaborate, cum earum usu, tam domestico, culinario, vestiario, ac mechanico, quam medico & sæpe etiam mire empirico, tam ab Autore ipso, quam a sagacissimis incolis instituto & detecto: posteriorum vero, silvestrium nempe, rarissimæ describuntur plantæ, cum nemo æque ipsas penetraverit silvas ac solitudines, atque hic Autor, vel alii, ejus cura & impensis ad hunc sustinendum laborem excitati. Sextus autem Liber omnes complectitur frutices erectos. Septimus procumbentes dabit frutices, longis prorepentes surculis vel flagellis, ac alias sese circa arbores volventes. Tres subsequentes Libri cunctas exhibent herbas, octavus nempe plantas hortenses, nonus vero convolvulaceas, decimus & undecimus sylvestres detegit herbas. Duodecimus peculiare describit lithophytorum marinorum genus, quæque mixtam ex lignea & lapidea massa habent naturam, Corallia *vulgo vocata. Plantarum vero nomina aliquando septem, imo sæpius decem, diversis populorum linguis, plurima vero tribus quatuorve denominationibus sunt notata,* Latina *nempe,* Belgica, Malaccensi, Amboinensi, Ternatensi, Bandea, Macassarensi, Baleya, & Javana, *imo quædam* Arabica & Sinensi, *&, ut ibi convenit,* Portugallica & Indostana. *Cujusque etiam generis variæ & detectæ recensentur ac describuntur species, &, si quæ sint, etiam varietates; dein locus ac solum, quod amant, cultura, anni tempus, quo flores suos proferunt, ac fructus maturescunt: quæque cum omnibus etiam subtilissimis partibus accuratissime sunt notata, vires insuper superius notatæ, quam luculentissime singulo populo usitatæ, recensentur. Quæ omnia ut evidentissime cuivis appareant, pro specimine caput quoddam,* Palmæ *describens* viniferæ *speciem, subjunxi, ut cuique constaret, quo modo, quave methodo, singulæ plantæ ab Autore nostro fuerint examinatæ atque descriptæ. Omnibus insuper capitibus descriptæ plantæ vivæ Icon accuratissima fuit juncta, ut descriptionis melior species, ac plenaria Lectori redundaret notitia: cujus & Iconem aliquam addidi, sancta fide Lectores, harumque deliciarum æstimatores, certiores faciens, reliquas figuras*

guras æque accuratas, imo sæpe magis expressas, in hoc contineri Opere: quas omnes, ne Opus hoc mutiletur, editioni nostræ inseremus. Antea autem constitueram, ob sumtus illas omittere figuras, quæ in Horto Malabarico, vel apud alios, licet paucos, occurrebant Autores; cum vero repererim, plurimas variare, imo omnes plantas, licet re vera ut eædem, ratione loci ac soli differre; nec cuivis lectori aut ad manum esse illos libros, qui sæpe laudantur, aut ex re esse, pretiosissimum emere Hortum Malabaricum, aliosve sumtuosissimos libros; ac hisce destitutum lectorem, si non simul post plantæ descriptionem videat ejus Iconem, rudem sane atque incertam sibi formare ejus figuram & speciem, qui defectus ne Operi huic inesset, per subjunctas suppleri unice potest tabulas; hinc singulis capitibus suam subnectere constitui figuram. Quod licet pretium hujus Libri aliqua ex parte augeat, non erit tamen tanti, ut hanc ob rem mutilatus ac defectu laborans prodeat liber. Cum vero ingentes ad splendidum & magnificum hoc Opus nitide imprimendum, figurasque æri artificiose & accurate insculpendas, requirantur sumtus; arduum sane foret & fere damnosum ob necessarias statim impensas, Bibliopolis, qui Operis curam susceperunt, solis sustinendas. Hinc, ut illorum justis subvenirem petitionibus ac votis, subscriptione, ut vocant, hunc Librum in lucem emittere decrevi: cui si elegantiarum harum fautores & æstimatores benigne assentiant, suaque benevola subscriptione sumtus hosce sublevent, erit, quo cito, splendide, ac magnifice, hoc absolvi poterit Opus, mihique de suscepto gratuler, quem ipsi impendo, labore & opera. Utque omni inservire posset populo seu nationi, in Latinam convertere incepi linguam, primumque *jam absolvi* Tomum, *adjectis plantarum synonymis, meisque illustrationibus. Hoc autem Opus, quam utile, jucundum, exoptatumque, sit futurum, ad plurimas non tantum illustrandas ab aliis descriptas plantas, sed quod innumeras simul detegit & exhibet plantas in hunc usque diem penitus incognitas, quodque & aliam Historiæ naturalis simul suppetit partem, ut, quod sæpe describit insectum singulis arboribus vel plantis proprium, altave in vel sub arboribus nidulantia animalia, judicent illi, qui alia Autoris hujus attento lustrarunt oculo scripta, vel qui*

æquo

æquo animo subjunctum perpendant descriptæ plantæ specimen, ita, ut magno encomio hoc Opus Lectori prædicare inutile sit. Vale, fave, promove. Subscriptionis conditiones sunt subsequentes: Totum Opus ex sex *constabit* Voluminibus *in folio, ea forma, litera, ac papyro, seu charta, impressum, ac publicatum a nobis exhibet specimen, excepto, quod nova erit litera, quæ hoc ad Opus formabitur. Continebit 500 juxta computationem circiter integras chartas literis impressas, quarum singula valebit uno, ut dicunt, stuvero, quod in totum constat florenis 25. Tabulæ* 370 *æri incisæ, quarum singula tribus valebit stuveris, valent floren. 55 st. 10; Autorum effigies, titulus, aliaque insignia, seu ornamenta, floren. 3 st. 10. Conjuncta hæc valent flor. 84. Subscriptores vero solvent tantum floren. 80. Subscriptionis tempore solventur floreni 26. Peracta primæ secundæque Operis Partis impressione, cum traditione solventur floreni 25, post tertiæ ac quartæ Partis impressionem floreni 25, finita tertia ac quarta Parte floreni 10. Quædam itidem exemplaria magna imprimentur forma, sed non plura, quam subscribentium sit numerus. Subscriptionis initio solventur floreni 30, cum prima secundaque Operis Pars tradetur, floreni 37 st. 10, cum tertia ac quarta pars sit absoluta, floreni 37 st. 10, post duarum ultimarum Partium impressionem ac traditionem floreni 15. Post subscriptionem Exemplaria minori forma impressa haud minus vendentur, quam 100, & majori forma non minus, quam 150 florenis, si supersint exemplaria, cum non plura quingentis imprimentur, nisi subscribentium copia illum excederet numerum. Si vero Opus ipsum plures paucioresve contineat chartas vel tabulas, plus minusve pecuniæ addent vel subtrahent subscriptores. Subscriptionis tempus prolongabitur ad ultimum Octobris A. 1739, hancque suscipient primarii Bibliopolæ non tantum in Hollandia, sed totam per Europam. Totum vero Opus absolutum erit, atque subscriptoribus usui dabitur, intra trium annorum spatium post peractam subscriptionem: bini nempe primi Tomi post annum, sub finem scilicet Octobris A. 1740: tertius ac quartus ultimo Octobris A. 1741: quintus & sextus demum post annum. Subscribentium nomina & numerus primæ Operis Parti præfigentur.*

(o)

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Septembris Anno MDCCXXXIX.
Pars II.

CEREMONIES ET COUTUMES RELIGIEUSES DE tous les Peuples du Monde, &c.

h. e.

RITUS SACRI OMNIUM TOTIUS ORBIS GENtium, repræsentati Figuris splendidis, in æs incisis, manu BERNARDI PICARDI. Accesserunt harum Figurarum explicatio historica, & Dissertationes aliquot lectu dignæ.

Tomus III.

Amstelodami, apud Jo. Frid. Bernardum, 1733, fol. max. Alph. 4 plag. 8, Fig. æn. 19.

Merito Latinæ Græcam Autor Ecclesiam subjungit, quæ pari certe, nisi majore, cum illa decertat antiquitate, tantoque olim splendore enituit, ut vix umbram referre nostris temporibus videatur illius dignitatis, qua se sub Imperatoribus Constantinopolitanis extulit. *Tribus Dissertationibus* ea absolvuntur, quæ Græcam fidem spectant. In fine enim adjectos esse Protestantium ritus, ut justa moles constaret Volumini, infra videbimus. *Dissertatione prima* historiam Schismatis occidentalis & orientalis Ecclesiæ e libro *Maimbourgi*, data opera id exponente, & *Fleurii* Historia Ecclesiastica, exsequitur.

Originem mali quærit in *Photio*, quem ita depingit, ut non virum egregiis meritis in utrasque literas insignem, non Præsulem amplissimi cœtus, non hominem, sed diram quandam bestiam, sed venenatam viperam, sed monstrum, quo pejus terra non aluit, intelligas. Nemo scilicet illo tempore, aut postea, Græcorum exstitit, qui, qua *Photius*, ea magni animi constantia, virtute, ac doctrina, surgentes Romæ cristas represserit, frendentemque livore ac rabie eluserit superbiam. Describit præterea Autor tentatam sæpius a Græcis Imperatoribus, sed nunquam confectam, utriusque partis conciliationem. Novimus, A. 1112 *Alexium* cum *Pascale II*, A. 1249 *Vatacem*, Imperatorem Nicænum, & *Manuelem Caritopulum*, Patriarcham, cum *Innocentio IV*, hujusque legato, *Jo. Parmensi*, Generali Ordinis Minoritarum, (quem Autorem credunt *Æterni Evangelii*,) A. 1261 & subsecutis *Michaelem Palæologum* & *Jo. Veccum* cum *Urbano IV* & *Clemente IV*, A. 1351 *Jo. Cantacuzenum* cum *Clemente VI* & *Innocentio VI*, & A. 1439 *Cantacuzeni* successorem, *Joannem VI*, nec minus *Joannem VIII*, *Palæologos*, cum *Eugenio* in Conciliis Basileensi ac Florentino id fuisse operis molitos. Sed coire nunquam poterant animi, acerrimis utrinque distracti diffidiis, cum Græci tutelam vindictamque in hostes deflagitarent, Latini contra fidei fœderisque sociis imperare ceu mancipiis, ac communem rem versare pro arbitrio, quod solebant in Occidente, cuperent. Norant Pontifices, irruente undique Tatarorum, Turcarum, ac Saracenorum, vi labascentes jam ac tremiscentes Græcæ Dynastiæ columnas brevi succussum ac eversum iri. Norant quoque scitis artibus Græcos eludere ac frustrari vana spe submittendi auxilii, cum malis patriis oppressi in Italiam confugerent, & ad Vaticani numinis pedes prostrati fidem pollicerentur. Accedebat, quod Latini Græcos vexare & contumeliis afficere nunquam dubitarent. Non obscurum est, quanta temeritate *Humbertus* Cardinalis A. 1054 cum aliis S. *Sophiæ* templum ingressus, *Michaelem Cerularium* sacrorum societate ejecerit, cum peculiari libro *Leoni IX* Pontifici panis azymi usum & jejunia Sabbathica exprobrasset. Constat, quam insolenter A. 1097 Constantinopoleos confiniis insultarint Cruciani milites.

tes. Novimus, quam impie, quam crudeliter, Latini A. 1185 in Thessalonicenses fuerint grassati. Fieri itaque aliter non poterat, quam ut animi, metu infracti sopitique, (eo præsertim Seculo, quo Latini Reges Constantinopolin tenebant,) interdum resumerent spiritus, gliscentesque sub cineribus ignes, vel levissima adspirante aura, erumperent. Latinos A. 1182 sub *Alexio Comneno* ingenti numero cæsos affirmant Annales, qui, in civitatem recepti a *Manuele*, arroganter despectos pro more Græcos afflixerunt. Legimus etiam, paulo ante captam a *Morade* Constantinopolin dixisse Græcos: se malle dominantem videre Turcarum tiaram, quam infulam Latini Cardinalis. Radices tam altas egit odium, tot Seculorum decursu, tot acceptis injuriis, tot editis documentis Christianæ in Christianos perfidiæ, ut, coemtis licet mutui consensus buccinatoribus plurimis, institutis etiam Seminariis, deleri prorsus ad hunc diem non potuerit. Sed ad alia. *Pag.* 25 faciem & conditionem Ecclesiæ Græcæ describere Autor aggreditur, duasque e *Simonio* notitias affert, quarum unam, secum communicatam a *Nilo Doxopatrio*, primus exhibuit *Allatius* in *Cons. Eccl. Occ. & Or. Lib. I Cap.* 24, alteram *Thomas Smith*, Anglus, in libello egregio *de Græcæ Ecclesiæ hodierno statu* suppeditavit. Ita autem per totum Opus partes suas agit Autor, ut *Richardi Simonii* integrum librum, *de fide & ritibus Orientalium*, in partes scilicet concisum, inserat, illustret ex aliis, quæ luce indigent, suppleat omissa, & mori suo accommodet, quo dogmata primum, deinde cerimonias, solet exponere. *Pag.* 29 locus *Simonii* legitur, quo e fide Patricii cujusdam Veneti, *Cauci* puta, Missionarii Apostolici, & Archiepiscopi tandem Corcyrani, tredecim theses recensentur, quibus Græci a norma Tridentini Concilii recedunt. Historia *Cauci* illius *de Græcorum recentiorum hæresibus* in Bibliotheca Regia Parisiensi asservatur inedita, quam, cum *Allatius* nec honeste satis, nec fideliter, impugnasset, *Simonius* vindicandam ab injuriis judicavit. Magnis quoque motibus diu fuit disceptatum, quid Græci de transsubstantiatione sentiant. Necesse ergo fuit, ut non *Simonium* tantum in scenam produceret, qui Protestantes,

præsertim *Th. Smithium*, admodum cautos & dubios hac in re, convelleret, sed & amplissimis suis notis ostenderet, multa nos affinxisse Græcis, ut nostrum simillimi viderentur. Nec minoris erat momenti, definire *pag. 59*, num Eucharistiam isti homines adorent. Ad sua compilanda Autor *Christophoro Angelo, Ricauto, la Croixio, Haberto, Dandino, Aimonio, Arnauldo, Claudio*, præter citatos, usus est. *Aimonium* tamen non adeo magni factum a Nostro fuisse, ut pluribus locis, ita *pag. 29*, apparet, ubi illum falsarium appellat. *Ge. Feblavium*, *Angeli* interpretem, *pag. 34* citat, eo addito encomio, ut hominem contentiosum dicat, loquacem, inconditum. *Covelum*, Anglum, quem semel tantum nominat, e Diariis literariis tantum cognosse videtur. *Heineccium* nostrum, ignarus sine dubio
Pag. 73. linguæ Germanicæ, neglexit. *Dissertatione secunda* ritus sacros complectitur. Patriarcharum electionem, tot tricis implicitam, tot infamem nequitiis, tot difficilem largitionibus, tot meticulosam periculis, e *Ricauto* audire, fuerat operæ pretium. Commemorat quoque, qui sint horum reditus, qui ministrorum ordo, quæ munia, synodi, liturgiæ, homiliæ, preces, missæ, communio Laicorum, & quæ sunt alia, his affinia. Quibus mysteriis templorum ponantur fundamenta, quæ sint Græcorum, quæ Turcarum, quæ Arabum, Talismanes seu **τελέσματα**, quæ **ἀντιμήνσια**, seu aræ portatiles, quæ jejunia, qui festi dies, secundum mensium ordinem recenset. *Pag. 113* Sacramenta enumerat, ubi omnia occurrunt, quæ Baptismum, sacram Cœnam, confirmationem, excommunicationem, protractionem e sepulchris, ejectionem dæmonum, **εὐχέλαιον**, seu oleum sacrum, connubium, funeralia, ministrorum munerumque sacrorum institutionem, Monachorum statuta, eorumque inprimis vivendi morem, qui celebratissimum montem Athos tenent, aliaque, quoquo possunt modo attingere. In fine addit, quæ habebat de superstitiosis quibusdam Græcorum ritibus monenda, quo pertinent oraculum illud Archipelagi non ignotum, urna scilicet Amorgos, sacer ignis, qui pridie Paschatos cœlo delabitur, aves, quæ per magnam hebdomadem in tractu Hierosolymitano obmutescunt, lapilli albi circa Bethlem, qui, lacte B.

Vir-

Virginis prognati, lacte implent siccas mulieres, terra Nilotica, quæ proximo ante Paschatos festum die (observatis prisci Calendarii temporibus,) evomere mortuos, exactoque triduo rursus absorbere dicitur. *Tertia Dissertatio* non tam de Græcis ipsis, quam eorum sectis & propaginibus, commentatur, quas multas in Africa & Asia deprehendi novimus. Primi sunt Melchitæ, quos excipiunt *pag. 149* Georgiani, e fide *Tournefortii, Zampi*, & *P. Archangeli Lamberti* in *Relatione de Mingrelia.* Sequuntur *pag. 162* Nestoriani, e *Petro Stroza*, *Bruni Liturgiis*, *Brerewoodo*, *Bessono*, *Kirchero*, & *Renaudoto*, de quo id notetur, verba *pag. 168* nota *b* Lectorem ablegare ad *pag. 228 seq.* ubi occurrere dicuntur *Renaudoti* Dissertationes quædam de *duabus antiquis Indorum & Chinarum relationibus.* Sed, consilium fuisse mutatum, judicamus; loco enim allegato tale quidquam non deprehendas. Trahunt illi *pag. 171* Christianos S. Thomæ seu Indos, e *la Croze;* quorum vestigiis *pag. 185* Jacobitæ inhærent. His *pag. 187* adjunguntur Coptæ ex ore *Wanslebii* & *Lucæ* in *Itin. Ægypti. Pag. 197* Abyssini seu Æthiopes occurrunt, e *Grandi* in *P. Lobi* Itinera Dissertationibus recensiti; in quibus majorem scilicet vim doctrinarum mireris, quam in *Ludolfi* Latinis Commentariis. E *Galani* & *Monier* testimoniis Armeni habentur *pag. 210.* Quæ de Maronitis dissereret *pag. 232*, suppeditarunt *Assemanni*, *la Rocque*, *Dandini. Pag. 242* Nasserii, Kelbitæ, Christiani S. Joannis, Drusi, ac Kurdi, (non tam Christiani surculi, quam miscella horum ac Muhammedanorum colluvies,) leguntur e *Chardino*, *Hyde*, *Thevenot*, & *Herbeloto.* Adjungere quædam voluit Autor de Abrahamitis, quos nuperum aliquod Græciæ & Ægypti Itinerarium commemoravit. Sed, cum ita illos ille descripserit, quisquis est, homo, ut a Batavorum Anglorumque consuetudine proxime abesse viderentur; Autori suspecta aliquantum illius fides fuit, ut non nisi breviter notis illa inserere voluerit. Ne tandem aut pios *Simonii* manes irritaret, aut offenderet æquitatem, quæ integra servare, non truncare, jubet doctorum hominum scripta, ultimum modo dicti *Simoniani* libri

Pag. 147.

Caput nequaquam negligendum duxit *pag. 250*, quamvis, cum de Muhammedanis agat, ultimo *Tomo* fuiſſet reſervandum. *Simonius* Ruſſos neglexit, hinc e *Perry Statu Ruſſiæ* deſignatos illos *pag. 258* videmus.

Pars ſecunda tertii hujus *Tomi* circa Chriſtianos verſatur, qui communi Proteſtantium nomine, vel ſpeciali Evangelicorum aut Reformatorum, definiuntur. Quos illis nominibus notet Autor, cuique facile intellectu erit. Sunt Lutherani, Reformati, Angli, quorum illos duos priores hoc *Tomo* exhibet, hos vero cum aliis *quarto* deſtinavit. *Prima Diſſertatio pag. 277* ortum ac progreſſum Lutheraniſmi depingit, ductu Cl. *Maichelii*, in quibus tamen ſatis obſerves, quæ ſit Autoris de fide noſtra ſententia, cum nonnulla in notis afferat, quæ *Lutheri* famæ detrahere poſſunt, neque ea tamen, qua par erat, æquitate excuſet, aut diluat. *Secunda Diſſertatio pag. 312* Albigenſium & Waldenſium, priſcorum pariter ac recentiorum, mores exſequitur, ex *Legero, Gilles, Boſſueto. Tertia* Fratres Bohemos deſcribit *pag. 325* e *Comenio* & *l' Enfant. Quarta* in Lutheranorum ſpeciales cerimonias digreditur *pag. 335. Quinta pag. 380* ultimo loco Calvinianorum ritus exponit.

JACOBI GRETSERI, SOCIETATIS JESU Theologi, Opera omnia, antehac ab ipſomet Autore accurate recognita, Opuſculis multis, Notis, & Paralipomenis pluribus, propriis locis in hac editione inſertis, aucta & illuſtrata, nunc ſelecto ordine in certos titulos revocata.

Tomus VII & VIII.

Ratisbonæ, ſumtibus Jo. Conradi Peez, & Felicis Bader, 1736 & 1737, fol.

Tomus VII Alph. 10 plag. 17, Tomus VIII Alph. 11.

Diu deliberavimus, num fas ſit nobis dicere de ſcriptis ejus hominis, quo non atrociorem *Lutherus* olim noſter, & quicun-

quicunque ab eo nomen ducimus, hostem habuimus, cujus & ferocia cum tanto divinarum veritatum contemtu conjuncta fuit, ut abolenda potius, quam conservanda, tam indigni capitis memoria videatur. Sane enim, quo longius extenditur hæc Operum *Gretseri* collectio, hoc magis effœta, in quam conjicimur, maledictorum & conviciorum latrina est, a qua, nemo est hoc tempore tam adversus rebus nostris, qui non oculos naresque removendos putet. Tandem muneris, in quo versamur, rationem expendentes, & rei judicantes interesse literariæ, librorum, quicunque exstant, omnium, a Troe Rutulove scripti sint, notitiam suppeditari, haud difficile a nobis impetravimus, ut homini, quantumvis immerenti, locum hic concederemus, inprimis cum inter recte sentientes satis jam de turpitudine dictorum factorumque blateronis Ingolstadiensis constet, penes ceteros vero parum habiturum momenti silentium nostrum videatur. Docemus igitur Lectores nostros, satis ex voto procedere Typographis Ratisbonensibus magnæ Collectionis hujus, ad amplificanda regni Pontificii pomœria susceptæ, negotium, *sex*que illis *Voluminibus*, de quibus jam olim in his *Actis* dictum est, quatuor jam alia prioribus non mole tantum, sed externo etiam splendore, prorsus simillima, accessisse. Horum singulis quid libellorum insit, summatim breviterque dicemus. Commodum in eo ordinem tenuit, quicunque colligendi operam suscepit, quod ad unum quasi caput revocavit, & eodem *Volumine* conjunxit, quicquid scriptorum convenire aut scribendi ratione, aut ipso argumento, videbatur. Inscriptus est igitur *Tomus septimus Romanorum Pontificum Defensio*, quippe quo scripta continentur, ad id composita, ut summæ Pontificis Romani in rebus Ecclesiasticis potestati novum robur ac præsidium daretur. Horum primum est: *Βασιλικὸν δῶρον, sive Commentarius exegeticus in Sereniss. M. Britanniæ Regis Jacobi Præfationem monitoriam, & in Apologiam pro Juramento fidelitatis*, Apologiæ pro Juramento fidelitatis, a M. Britanniæ Rege, *Jacobo*, editæ, oppositus, & Ingolstadii A. 1610 primum vulgatus. *Capita*, quibus Autor institutum suum exequitur, numero

XVIII

XVIII ſunt, quorum prioribus *quatuor*, *fidem*, quam Rex *Jacobus* profitetur, nec *eſſe vere Chriſtianam*, nec *Catbolicam*, nec *Apoſtolicam*, nec *primitivæ Eccleſiæ*, *aut Martyrum*, *ſanguine firmatam*, probare conatur. Inde *Capite quinto* ad exempla Regum & Principum reſpondet; *ſexto* id agit, ut, in jureſjurando, quod *Jacobus* civibus ſuis Pontificiis propoſuit, contineri vere Chriſtianæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ, fidei ejurationem & abnegationem, doceat; *ſeptimo* in originem hujus jurisjurandi inquirit, & ſententiam, qua nulla unquam prodiit monſtroſior, propugnat, *Reges hæreticos a ſummo Pontifice poſſe excommunicari & deponi*; *octavo* judicem agit quæſtionis, utrum Rex *Jacobus* ſit ſuperior Pontifice, vel eidem ſaltem par; *nono* primatum ſummi Pontificis extollit & defendit; *decimo* & ſequentibus, uſque ad *decimum quintum*, ad confutandam Regis *de Antichriſto* Diſputationem progreditur, & de *duobus teſtibus ex Cap. II Apocalypſcos*, de *perſona Antichriſti*, de *quatuor verſionibus Apocalypticis*, de *bonis eccleſiaſticis*, & *immunitate eccleſiaſtica*, denique de *electione Regum*, copioſe agit; *decimo ſexto*, falli in eo *Jacobum*, quod neminem in Anglia religionis & conſcientiæ cauſa interfectum dixerit, variis exemplis oſtendere laborat; *decimo ſeptimo* de *lectione Scripturarum* agit; *decimo octavo*, quod ultimum eſt, nihil valere tela illa, quibus Brevia Apoſtolica, & Card. *Bellarmini* Epiſtolam ad Archipresbyterum Angliæ, oppugnaverit *Jacobus*, audacter pronuntiat. Librum hunc ſequitur *Myſta Salmurienſis*, *ſeu Myſterium iniquitatis*, *editum quidem a* Philippo Mornayo, Pleſſiaci *Domino*, *nunc autem a* Jacobo Gretſero, *Societatis Jeſu Theologo*, *revelatum*, & *dilucide explicatum*. Id olim Ingolſtadii A. 1614 prodierat. Ampliſſima ei præmiſſa ſunt *Prolegomena*, meris contumeliis, ut ſolent *Gretſeri* omnia, referta. Nam dedicatoriam *Mornæi* Epiſtolam *ad Jacobum*, *M. Britanniæ Regem*, & *ad Catholicos* Præfationem, *ſeditioſam*, & *publicæ pacis turbatricem*, Præfationem vero *ad Regem ſtultitiarum pleniſſimam*, vocat, fidem ejus, &, cui ſe addixerat, eccleſiam, exsecratur ac deteſtatur, ſententiam de Antichriſto fraudis & impoſturæ poſtulat, Scripturæ teſtimoniis utendi rationem perverſiſſi-

versissimam pronuntiat, & quæ sunt alia calumniarum monstra, nemini nisi cum fastidio & sacro quodam horrore spectanda. Opus ipsum *Capita* habet *LXXVII*, de quibus si unum id dixerimus, ita hic summorum Pontificum, a *Victore* inde Martyre ad *Leonem* usque *X*, laudes celebrari, ut, quæcunque his objecerat *Mornæus*, ad calumnias & fabulas rejiciantur, tantum dixisse, quantum satis est, putabimur. Inde locum dedit Editor *Considerationum de Controversia inter S. D. N. Paulum V, Pontif. Max. & Rempublicam Venetam Libris tribus*. Satis est notum, quæ A. 1602 & sequentibus controversiæ intercesserint Senatum Venetum & Pontificem M. *Paulum V*, illo supremam sibi in rebus ecclesiasticis potestatem vindicante, & bona Clericorum suæ jurisdictioni adstringente, hoc vero ad Superos inferosque inauditum facinus deferente, & ad fulmen suum, tanquam ad sacram anchoram, confugiente. Neutri parti patroni defuerunt ac defensores sui. Nominat *Gretserus* Scriptores 67, quorum 38 pro Pontifice, ceteri 29 pro Senatu Veneto, pugnarunt. Ipse, quod facile credas, a partibus Pontificis stetit, ceteris omnibus, si non fortior, animosior tamen clamosiorque, defensor. Legitur jam *Responsum ad Theses* Ægidii Hunnii, *Prædicantis Wittenbergensis, de Colloquio cum Pontificibus ineundo*, A. 1602 editum, *in quo non pauca de proxima Disputatione Ratisbonensi, deque Controversiarum norma & judice*. Huic accesserunt *Digressiones sex adversus ejusdem* Hunnii *calumnias, quas effudit partim in Relatione sua de Colloquio Ratisbonensi, partim in Notationibus ad Epistolam Anonymi*. Præmissa est *de modo, quo Hæretici S. Scripturam citant*, Præfatio. In *Responso*, Scripturam esse unicam omnium controversiarum normam, *Gretserus* negat, pro Conciliorum & summorum Pontificum autoritate acriter pugnans. *Digressionum* prima est *de Latrone cum Christo crucifixo*; altera docet, *quo remedio peccatum originis deletum sit in infantibus sub lege naturæ, & in fæmellis post institutam circumcisionem, itemque in masculis ante octavum diem defunctis*; tertia *de Aaronis lapsu, factoque Uriæ Pontificis*; quarta *de fermento Pharisæorum*; quinta & sexta *de Judice controversiarum*, agit.

 Ejus-

Ejusdem argumenti est, quod sequitur, *Antimonium pro deliro quodam Medico, qui nominis sui oblitus se Basilium de Varna nominat, deliranti eo fine per distinctas doses porrectum, ut, expurgato cerebro, cum alia, tum etiam hoc, discat, quaenam sit controversiarum norma, & quis judex.* Discas vel ex rubro humanitatem & modestiam hominis, & quam paratum ei, cum in aciem processit, ad dicta jocularia ingenium fuerit. Nec minus ineptus est in subsequente hanc, edita A. 1705, opella: *Bavius & Maevius, ille, ut delirus Alchymista, antimonio, hic, tanquam insipiens praedicans, helleboro nigro, curatus, ut tandem, expurgato cerebro, intelligant, quis sit controversiarum fidei judex, & quae norma.* Accessit *portiuncula quadam Hellebori pro male sano capite cujusdam Paedotribae Wittebergensis, &* Lithi Miseni, *Calvinistae.* Claudit hunc *Tomum Palaemon, sive Judicium super controversia de Normae et normato inter* Rudolphum Goclenium, *Philosophiae Professorem Marpurgicum, &* Bavium, *Tubaro-Rotenburgensem Arsenicarium, propter* Jacobum Gretserum *exorta.* Arbitrum hic agit inter duos, nostris sacris addictos, viros doctos, *de norma & normato* disceptantes, talem quidem, qualem exspectabant omnes. Nam, cum facere cum ipso non una ex parte videretur *Goclenius*, non poterat non vicissim huic aequiorem se, quam *Bavio*, praebere.

Tomus octavus & nonus scripta, quaecunque spectant ad defensionem librorum *Bellarmini*, continent, inscripti ideo: *Defensio Operum Bellarmini.* Horum lectione pascat, per nos licet, ingenium suum, quisquis rudem & vix a sordidissima plebe auditam unquam verborum amat insolentiam, & conviciis delectatur non sale, sed aceto, tinctis, & tanquam ab una sororum infernalium dictatis. A nobis, cum titulos acceperis, nihil praeterea exspectes. Dicemus jam de *Tomo octavo*, *nonum* proxime addituri. Primum in *Tomo VIII* locum occupat *Controversiarum* Roberti Bellarmini, *S. R. E. Cardinalis amplissimi, defensio; Tomus primus de verbo Dei, adversus* Witackerum, Junium, Danaeum, Sibrandum, Hunnium, *aliosque sectarios.* *Tomo* hoc *priori Controversiarum*

Bel-

Bellarmini *Libri quatuor* defenduntur. Scripta, quæ hic impugnanda sumsit *Gretserus*, hæc sunt: Wilh. Witackeri *de Verbo Dei scripto & tradito Disputatio;* Sibrandi Lubberti *de Ecclesia Liber;* Lamberti Danæi *primus & secundus Tomus Operum* Bellarmini *refutatus;* Franc. Junii *Animadversiones in controversias* Bellarmini, & ejusdem argumenti liber *Ægid. Hunnii.* Accessere Defensioni *Libri primi Controversiarum* Bellarmini *Appendices quatuor*, prima *adversus Joannem Pappum, Prædicantem Lutheranum Argentoratensem,* altera *contra* Rullum, *Calvinistam Basileensem*, tertia *contra novellum quendam Prædicantem Lutheranum*, quarta *de vanitate & impudentia extrema* Sibrandi Lubberti, *Calvinistæ. Alterius Libri Defensioni* adjunxit Autor *Tractatum de novis Hæreticorum translationibus Biblicis*, quæ *insulsæ*, *insipidæ*, *profanæ*, *omni spiritu destitutæ*, & ideo *fugiendæ*, dicuntur; præterea *Appendices duas*, quarum prima *in* Savobrandum Lubbertum, *Calvinistam*, altera *adversus patellarios quosdam Prædicantes*, Gripum, Lawinganum, Labracem Wittebergensem, Mortonum Mortualem, & similes, arma stringit. *Libri tertii Defensioni* addidit *Gretserus Appendices duas*, alteram contra Rullum Basileensem, & Pareum Heidelbergensem, Calvini sectatores; alteram contra Gripum Lavinganum, Labracem Wittebergensem, & Mortonum Anglicanum, directam. *Libri quarti Defensionem* comitatur *Tractatus de Quæstione, unde scis, Scripturam cum generatim, tum speciatim hanc vel illam ejus partem, canonica autoritate constare? adversus* Pareum, Rullum, Pappum, *aliosque Calvinianos & Lutheranos Prædicantes, illustrissimi Cardinalis* Bellarmini *calumniatores;* tumque alius *Tractatus de Quæstione, unde scis, hunc vel illum esse sincerum & legitimum Scripturæ sensum?* quem excipit *Examen secundæ Disputationis* Pappicæ, *de S. Scripturæ versionibus, & de ejusdem necessitate.* Finem huic *Tomo* imponit libellus, ita inscriptus: *Trophæum Pappicum constat quinquaginta axiomatis, quorum pleraque sunt mendacia: quibus post verba D. Augustini subjunguntur semper alia mendacia, ut principium respondeat fini.*

VIE DE L' EMPEREUR JULIEN, &c.

h. e.

VITA IMPERATORIS JULIANI, CUM DUAbus Tabulis Geographicis, ad intelligenda eventa inibi enarrata.

Partes II.

Amstelodami, typis Francisci Honorati, 1735, 8.
P. I plag. 8, P. II plag. 9.

Autor hujus Commentationis, adhuc incognitus, *Tomum I Libris III*, totidemque *Tomum II*, *sex*que adeo *Libris* universum Opus, distinxit. Ipse, *Juliani* Opera editurus, hoc præmisso opere viam Præfationis loco sibi ut pararet, studuit. *Cunaeus* in Præfatione ad Satyras de Cæsaribus *Julianum* ex professo defendit, quas *Spanhemius* in sermonem Gallicum transtulit, ac docto exornavit Commentario. *Leunclavius* in Apologia pro *Zosimo*, nec non *Gothofredus Arnoldus*, malis patrocinans, bonos notans, *Hæresiologiæ Lib. IV Cap. I pag. 132*, eundem callem institerunt. In omnia alia ivit *Petavius* in *Præfatione* ad Opus Imperatorum *Juliani*, nec non *Rupertus* in *Observationibus ad Synopsin Besoldi pag. 436 seq. Philippus Beroaldus* scripsit *Julianum Imperatorem Philosophum* Pisis A. 1641, 4, recusum in Meuschenii *Vitis summorum Virorum Tom. II pag. 65 seq. Observator Halensis* studuit eis, quæ *Sozomenus* de *Juliano* memoriæ prodidit, fidem detrectare *Tom. I Obs. XXII §. 1 pag. 376*, negans, *Julianum* a religione Christiana descivisse, quam quippe nunquam fuerit amplexus, *Tom. III Obs. IX.* Cui opposuit M. *Joannes Joachimus Weidnerus* Rostochii A. 1703 per modum Dissertationis *Julianum ex Historicis genuinis vere Apostatam.* Præter scripta *Juliani Ammianus*, *Zosimus*, *Zonaras*, *Libanius*, *Theodoretus*, & *Sozomenus*, hic solent consuli. Opera *Juliani Ezechiel Spanhemius* A. 1696 Lipsiæ curavit pulchre edenda. Apostasiam *Juliani* Autor Cl. in dubium haud revocat, credens, vitam ejus esse complexum virtutum perquam eminentium, defectibus nævisque insignem, ac male conformatum, siqui-

siquidem nec religio, nec ratio, actionibus ejus præsederit, sed
vanitas & ostentatio. Historici duobus sese immerserunt præ-
cipitiis, de *Juliano* commentati. Alii enim panegyrico sermo-
ne eum extulerunt, alii eum accusationibus continuis fœdarunt.
Hos inter medius incedit Autor, cujus Librum in compendium
sumus redacturi. Ipse in expeditionibus *Juliani* militaribus
delineandis non est multus, id potissimum respiciens, ut cha-
racteres animi vitæque ejus exponat, quem putat fuisse homi- Pag. 2.
nem, non magnum, sed singularem. Tanto gloriæ æstu fla-
gravit *Julianus*, ut ad eam non trahi, sed fanatico furore rapi,
videretur. Notabilibus sese subtraxit vitiis, delectatus subtili-
bus, quæ amor sui immodicus non nisi in aliis observat. Genea- 3 seq.
logiam ejus ita instruxit Autor:

Eutropius, uxor Claudia

Constantius Chlorus, ux. 2 Theodora

Julianus Constantius, ux. 1) Galla, 2) Basilina, filia præfecti Juliani, Christo addicti, cito mortua.

1.	1.	1.	2.
Filia, nupta Constantio Imp.	Filius.	Gallus, Cæsar A. 351, ux. Constantina, Constantii soror.	Flavius Claudius Julianus, natus A. 331 d. 6 Decembr. † A. 363 d. 26 Jun. ux. Helena.

Quod *Juliano* sincerus erga Christianam religionem amor haud 6 seq.
fuerit instillatus, id ex variis rationibus deducit ipse. Inprimis
Mardonius, eunuchus & Scytha, qui mores illius formavit,
Homerum ac Philosophiam ei potius ingessit, quam Christi do-
ctrinas. Ingenium inerat *Juliano* vivax, indoles promta, & me-
moria prodigiosa. Latine loqui & scribere norat; Græcam
linguam callebat; Musicam magni æstimabat. In Macello, ar-
ce Cappadociæ, Christiana religione fuit diligenter imbutus, ac
ipse cum fratre *Gallo* Nicomediæ in Ecclesia publice egit Lecto-
rem. Cum vero magis ad doctrinam Christi cogeretur, quam
duceretur, fastidire eam cœpit, homo quippe ingenii liberioris. 11.

Gallum Constantius appellavit Cæsarem A. 351 d. 15 Martii, elocata ei in matrimonium sorore sua *Constantina*. *Gallus* itaque
Pag. 13. cum *Juliano* ivit Constantinopolin. *Julianus* in disciplinam Christiano Sophistæ, *Ecebolo*, traditus, minarum sensit impedi-
16. menta, ne *Libanio* auscultaret, cujus nihilo minus scripta clanculum legit. Controversiæ Christianorum de Trinitate, *Constantii* ardor in Arianismo defendendo, amor scriptorum ve-
18. terum, mens admodum scientiarum cupida, *Julianum* a Christiana religione reddere alienum valebant. Adde, quod plerique Grammatici, Poetæ, Sophistæ, & Philosophi, paucissimis exceptis, simulacrorum cultui erant adhuc addicti, qui fabulis stolidissimis sensus reconditos, physicos, morales, & theologi-
20. cos, adjungebant. Platonici eam fingendi artem jam tentarunt, ut absurda popularium dogmata emollirent. Sed expositiones eorum mysticæ destituebantur omni fide historica, nec quem-
24. quam reddebant meliorem. Platonici, qui *Juliani* ætate florebant, Orientalium emblemata adsuerant suæ Philosophiæ in-
26. star centonum. *Ædesius*, princeps Platonicorum, discipulus
28 seq. ac successor *Jamblichi*, Pergami, urbe Mysiæ, agebat. Ejus fama allexit *Julianum*, ut in senis hujus decrepiti colloquium veniret, ac ab eo reciperet consilium, audiendi discipulos *Ædesii*, *Eusebium* & *Chrysanthum*, qui ex composito alter al-
32. terius gloriæ serviebant. *Maximus* vero, Ephesi Sophista, oculis ac voce adeo ad sese traxit *Julianum*, ut ipse, perhibente *Libanio*, oraculo hoc novo impulsus, instar leonis omnia, quibus adhuc religioni Christianæ erat adstrictus, vincula rumperet. Quo facto, *Julianus* mysteriis Platonicorum theurgi-
33. cis, præeuntibus *Maximo* & *Chrysantho*, fuit initiatus, ac *Maximus* ei imperium prædixit. Hæc ejus fuit *apostasia*, quam tamen studiose dissimulavit, siquidem ad cutem usque capitis tonsus, vitam coluit monasticam, ac explevit munia Lectoris in Ecclesia Nicomediensi. Inter hæc *Constantius Gallum*, *Juliani*
36. fratrem, quasi rebus novis studentem, perire jussit. *Julianum* ni Imperatrix *Eusebie* texisset, aulicorum delationes etiam ipsum
46. morti addixissent, cui eum jam reddiderant vicinum. *Julianum Constantius* paullo post Cæsarem appellavit. Atque hoc est

primi

primi Libri argumentum. Fuimus copiosi, ut naturam apostasiæ exponeremus, tantis obseptam difficultatibus. *Libro secundo* Cæsaris novi exercitationes, expeditiones, obsidiones, & victoriæ bellicæ, enarrantur. *Juliani* de bello Gallico Commentarios interiisse, dolemus, opus tam insignis Historici. Pag. 68. Adversus Gallos, Salios, Alamannos, & Germanos, insignis illius emicuit virtus, qui in egenos misericordiam, in oppressos clementiam, in omnes æquitatem, ostendit. A militibus ipse proclamatus fuit Imperator A. 360 ineunte vere, cum tertium esset 97 seq. Consul. *Constantius* hæc tulit ægerrime, sed mutare haud valuit. *Libro tertio* Autor id ipsum copiosius exposuit, studiose admonitans, 104 seq. *Julianum* huc usque sese Christianæ religioni addictum simulasse. Uxore *Helena* mortua, *Julianus* creditur inviolata castitate enituisse, nec venereum quidquam agitasse. Sed falso. Ipse 109. enim, sibi spurios fuisse, non abnuit. Cum arma in *Constantium* 116. sumeret, bellumque aggrederetur intestinum, publice professus est idololatriam. *Gregorius Nazianzenus*, *Constantium* a *Juliano* fuisse veneno sublatum, tradidit, quam narrationem Autor 124 seq. ostendit esse penitus vero absimilem. Reducere cœpit *Julianus* religionis idololatricæ specimen, sed non aperta violentia, usus potius astu & artificiis occultis, quorum expositione ad- 136 seq. modum pragmatica concluditur *Tomus primus*, ejusque *Liber tertius*. *Liber quartus* a Calendis Januarii A. 362 procedit, ac a sacris inchoatur Calendarum, in quibus *Mamertinus* in *Juliani* honorem publice dixit panegyricum. *Maximus*, qui 154. *Julianum* ad Græcam Philosophiam amplectendam, & a religione Christiana discedendum, sollicitaverat, in aulam vocatus superbe egit, a *Valente* postea in vincula conjectus, liberatus 160. tandem, ad ultimum capitis supplicio plexus interiit. Epistolæ *Juliani* ad *S. Basilium*, & hujus ad illum, datæ, suppositionis nota laborant. Non vacat, persecutionis momenta, quam *Julianus* Christianis intentavit, repetere, egregie hic exposita & deducta. Divi & Serendivi, qui ex India ad *Julianum* miserunt Legatos, 198. judice nostro Autore, fuerunt incolæ Insularum Diu & Ceylan, quarum posteriorem Arabes vocant *Serandib*. Justitiam de cetero *Julianus* exercuit æquali temperamento, urbium privilegia

legia & florem instauravit, delatores fecit parvi, patronis caussarum dedit multum licentiæ, munimenta reparavit, copias firmas instruxit, terroremque nominis sui ad barbaros usque
Pag. 199 seq. disjunctissimos transmisit. Bellum vero in Persas suscepit, magis vana gloria impulsus, quam solida ratione. Iter ejus per Asiam, Syriam, ac porro, confectum, Autor, diligentia non vulgari adhibita, egregie exponit, ac eleganter exequitur.
220 seq. Eventuum futurorum series ex extis *Julianus* noscendi cupidus, dicitur homines enecuisse, quód Autor in medio relinquit. Christiani Antiocheni certe sævitiam *Juliani*, philosophicam moderationem alioquin affectantis, senserunt haud mediocrem,
228 seq. nec obscura ibi erat Dei, Christianos tegentis, gloria. Nec minus insignis emicabat veritatis divinæ honor, cum *Juliani* con-
248 seq. silium, templo Hierosolymitano in gratiam Judæorum reædificando intenti, ignis eluderet. De expeditione ejus Persica ac fatali nihil addimus, id unice adjungentes, Autorem erudite ac solide prostravisse famam illam vulgarem, qua permulti per-
319 seq. hibent, *Julianum*, mortifero jaculo ictum, exceptum sanguinem versus cœlum projecisse, ac exclamasse: *Vicisti tandem, Galilæe.* Tria *Juliani* capita, ex numis rarioribus desumta, libro sunt præfixa. De cetero ingenue fatemur, Autorem tam solide, tamque venuste & pragmatice, vitam *Juliani* pinxisse, ut operis gloriosi ac pulchri ipsum nec pœnitere, nec pudere, queat unquam, tantum abest, ut ratio ulla sit reliqua, cur nomen suum debeat dissimulare. Est ipse quidem Parisiensis, ac Pon-
117. tificiæ religioni addictus, siquidem Apostolicis Seculis doctrinam, sacrificio incruento faventem, tribuit; ita tamen sese in describendo *Juliano* gessit, ut nec veritati per partium studia nocuerit, nec fidei Christianæ per laudes nonnullas in *Julianum* collatas detraxerit.

TRAITE' DU VRAI MERITE DE L' HOMME, &c.

h. e.

TRACTATIO DE VERO MERITO HOMINIS, consideratì secundum singulas ætates & conditiones.

Acce-

Accedunt principia educationis recte inſtituendæ, adoleſcentibus ad virtutem formandis accommodata, Autore LE MAITRE DE CLAVILLE, *Theſaurario Franciæ Rothomagi. Editio altera, reviſa, correcta, & ab Autore aucta.*

Pariſiis, ſumtibus Salgranii (Saugrain), 1736, 8.
Alph. 1.

Facetum & jocoſum eſt libri exordium, licet in hac editione paulisper immutatum. Tractatio ipſa eſt de re ſeria ac minus jocoſa ſic inſtituta, ut ad converſationis honeſtæ ac virtutis commercia excolenda nullus facile liber amœniorem aperiat aditum. Educationis principia libro non ſunt ſubjuncta, ſed per librum omnem diſſeminata. Ipſe Autor Illuſtris *mores ridendo caſtigat*, ac, dum adoleſcentes ad virtutem adducere ſtudet, ſtilum adhibuit, retinendis teneris mentibus attemperatum.
Quo fine interſtrepunt ſubinde verſus Gallici venuſtiores ſer- Pag. 5.
monem pedeſtrem, inprimis ex *Horatio* deſumti, quem ſummi
æſtimat. Hiſtoriam inprimis excoli legique vult ab eis, qui 20.
honeſte & cum gloria meritorum florere cupiunt. Ipſe credit,
Deum inde ex ultimis temporibus Romam voluiſſe efficere 23.
Hieroſolymam doctrinæ Chriſtianæ ac ſedem ſuæ religionis
primariam. Exprobrat deinde conterraneis ſuis neglectum, 25.
quo feruntur erga reliquas Europæ linguas. Addit egregie:
Germanis profundam eruditionem denegare non poſſumus. 27.
Si ipſorum lingua paulo eſt difficilior, neceſſitas eo eſt major, non ſolum ob orbis Chriſtiani caput inter Germanos commorans, ſed etiam ob varias Principum Germaniæ potentiorum aulas, in quas Rex Galliarum nonnunquam Legatos dimittit. Nobilibus ac genere excelſo editis viris ex favore quodam natali attribuit ſanguinem puriorem ac limpidiorem, quocum judicii lumen purius, quantum ad facultatem attinet, ſoleat eſſe con-
junctum. Virtutem ac veri meriti naturam pro rebus eis- 38.
dem reputat, quarum fons & ſcaturigo ſit ſtudium ſapientiæ. 51.
Virtus, ipſo judice, eſt exercitium vivendi ſecundum æquitatem,
fortitudinem, & ſapientiam. Galli diſcernunt *homme galant* & 57.

Pag. 63. *galant homme*. Prior est nugivendulus, amoris studiosus, & ardelio; posterior est limatus homo & expolitus, cujus destinationes sunt certæ & jucundæ, cui sunt dotes nativæ & adscitæ, quibus nævi insunt nulli. Autor Illustris, postquam ea, quæ ad hominem meritis gravem attinent, delineavit, nulli parcit operæ, ut adolescentes a vitiis revocet, & ad virtutes amplectendas invitet, quem in finem momenta ingenii suavis, docilis, mode-
87 seq. sti, taciturni, exponit. *Caput III* lectioni recte instituendæ est proprium, quam non exigit continuam vel prægravatam, sed ad bene vivendum, recreandum, & conservandum, accommo-
134. datam. Poetica lecturis commendat opera *Boilavii*, *Molierii*, *Cornelii*, *Cercavii*, Abbatis *Regnerii*, illustris fœminæ *des Hou-*
138. *lieres*, *Quinalti*, *Pavillonii*, ac *Fontanii*. Oratores suadet legendos *Flechierium*, Sermones R. P. *Cheminais*, Telemachum *Fenelonii*, opera *Fontenellii*. Versus, quos *Cornelius* ætate media scripsit, imitationem respuunt, reliqui sunt vix mediocri
143. pulchritudine. *Boilavii* poemata senilia sapiunt ætatem imbe-
193. cillem & decrepitam. *Capite quarto* agit Cl. Autor de utilitate seligendi ac adhibendi voluptates, de lusu, de differentia inter lusores, de venatione, saltatione, spectaculis, musica, mensa, de cura valetudinis, deambulatione, refugio opportuno, ac de
253 seq. commercio cum fœminis honeste instituendo. *Capite V* disserit de excellentia voluptatum animi ac mentis præ voluptatibus corporis, de justitia, grati animi officio, ac generosa animi indole. *Capite VI* pertractat cautiones, iniquitati hominum, avaritiæ, & immoderatæ cupiditati, opponendas. Addit certi vitæ generis delectum necessarium, parallelismum seu compara-
341. tionem inter eloquentiam & fortitudinem instituit, luxum dissuadet, animi constantiam, intrepidumque ejus robur, celebrat.
400 seq. *Capite VII* differit de matrimonio, modisque eo feliciter utendi, de conjugio secundo, officiis parentum & liberorum mutuis, de officio patrumfamilias educandis liberis proprio, de testamentis, de fortuna familiarum conjunctarum prospera, de officio erga vicinum, quemvis alium, & amicos, de amicitia. Ad ultimum exponit *Capite octavo* officia moralia, de tempore recte locando, de excellentia religionis catholicæ, de observan-

tia

tia erga honoratiores, de favore, de ira & vindicta, de maledicendi studio & calumnia, de gulæ studio, de hyprocrisi, de lectione sacrorum librorum, de Protestantibus, de bonis operibus ac eleemosynis, de precibus, verbo Dei, Missa, & observantia Sacerdotibus Clericisque exhibenda, de meditatione, de miseriis ac dignitate hominis, de fastu & impietate, ac de morte citra pavorem exspectanda. Sed quid de Protestantibus disserit? Dabimus ejus verba Latine reddita: *Deploremus illos, qui improspere nos dereliquerunt. Amisimus homines excellentes, quorum ardor pietati infixus ac eruditio religioni Christianæ potuissent insigni esse ornamento, ac quorum vis haud fuit tanta, ut novitatibus, quæ Europam diviserunt inde a Seculis duobus, resistere valuerint.* Abadius, *cujus nomen est ipsa eloquentia, qui tantum poterat, qui tantum ardoris susceperat pro causa communi, quique excellentiam religionis Christianæ tam præclare habuerat cognitam, nobis fuit elapsus.* Addit plura, quæ ponuntur, non comprobantur, nec ad arcem causæ ipsius pertinent. Deprecantur Protestantes novitatem dogmatum, ipsis vulgo tribui solitam, detestantur ea, quæ oraculis Dei sunt adversa, & eandem Symboli Apostolici, Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, ac Chalcedonensis, fidem tenent. Si qua de interpretatione locorum difficiliorum, & de modis adminiculorum gratiæ, inter ipsos est varietas, ea non est tanta, quantam Patres sancti & orthodoxi per singula Secula, ac inprimis Ordinum monasticorum sectæ, Scotistarum, Thomistarum, Jansenistarum, & aliorum, familiæ, amplectuntur. Pag. 477.

Zusammentrag der Stadt Nürnberg ertheilten Freyheiten, rc.

h. e.

HISTORIA NORIMBERGENSIS DIPLOMATICA, Prodromo instructa, ac in tres Partes divisa, nec non Annotationibus referta, ad illustrandam Historiam medii ævi, & inprimis Reformationem Noricam.

Norimbergæ, apud Jo. Andr. Endteri hæredes, 1738, fol.
Præf. Alph. 4 plag. 4, P. I Alph. 3 plag. 9, P. II Alph. 5 plag. 7,
P. III Alph. 3 plag. 1.

In Præfatione Autor instituti sui, ut moris esse solet, reddit rationem, simulque, si veritati quædam in hoc Opere deprehendantur contraria, pro non scriptis habiturum declarat, ac colligendi Acta publica necessitatem & utilitatem generatim
Præf. commendat. Sequitur Prodromus, sive introductio in Historiam Noribergensem Diplomaticam, quasdam continens animadversiones in Privilegium, a *Friderico II* Imp. Noribergensibus A. 1219 concessum. Hujus autem Prodromi initium facit hoc ipsum Privilegium, figura ænea in fronte exornatum. Illud excipiunt animadversiones, quarum præmonita, ut vocare solet Autor, *X* inclusa *Sectionibus*, primo loco comparent. Ho-
Sect. I rum *Sectio I*, quæ de eo privilegio generatim, & circa illius in-
pag. 17-38. troitum & subscriptiones speciatim, notari merentur, persequitur. Ostendit e. g. in *Wagenseilii* Commentatione de Noriberga Cap. XXVII sub annum 1209 illud locari, & in *Limnæi* Jur. publ. Lib. VII Cap. 3, *Goldasti* Constit. Imper. Tom. I pag. 291, *Knipschildii* Tract. de Juribus & privilegiis Civitatum imperialium Lib. III Cap. 38 n. 56, & *Lunigii* Archivi Imper. Vol. XIV pag. 85, deprehendi quidem, sed ex parte mancum ac muti-
17 seq. lum. In annotatione adjecta prima Autor copiose de Imperatorum veterum sigillis, nec non aquilæ bicipitis signo, ejusque ori-
22-25. gine, disserit. Ipsis Observationibus insertæ leguntur *Henrici VII*, *Ludovici IV*, & *Caroli IV*, confirmationes illius privilegii Norici. Generatim adeo multa in his annotationibus deprehenduntur, quæ forsan nemo hic quæsiverit, vel divinando etiam facile quæret, ut ea ne in compendio quidem commode sisti queant.
24 seq. Ita verbi causa e *Zschackwitzii* notitia mercaturæ omnem pæne
26 seq. mercaturæ Germanorum historiam Autor dedit. Quid? quod
30-37. neque porro Statuum Imperii notitiam, & civilem Germaniæ originem, & quæ super *Wittichindi* sede, ubi *Henrici* Saxonis de urbibus instituta exponit, a Juris publici Doctoribus, magno numero excitatis, & a *Zschackwitzio* potissimum, disputari solent,

lent, prætermisit. Hac quippe via ipsi incedendum fuit, ut tantæ molis opus conscriberet. *Sectio*, quæ sequitur, *secunda* privilegii, de quo diximus, argumentum exponit, ac rationibus sat validis comprobat, esse illud fundamentum omnium reliquorum privilegiorum Noricorum. Ex illa autem tantum adduxisse sufficiat, Autorem sub ejus inprimis initium, in causas, quæ Noribergenses impulerint, ut id ab Imperatore peterent privilegium, cum tamen eo jam tempore immediate imperio subjecti fuerint, quis porro sensus verborum, *quilibet ejusdem loci civis*, & quæ vocis *Advocatus* genuina sit indoles, inquirere. *Sectio III* exhibet argumenta, quæ comprobant, Noribergam inter civitates imperiales debere referri antiquissimas; ubi quidem Autor ostendit: 1) Noribergam ante *Caroli M.* tempora jam conditam, ibique partim repetita, quæ in notis ad Cod. Statut. dicta sunt, partim fusius explicata, deprehunduntur; 2) Noribergam *Henrici I* ævo civitatis jura vel obtinuisse, vel jamjam habuisse; 3) Noribergam *Henrici IV & V*, nec non *Lotharii II*, ætate infelicissimam obsidionem & excidium pæne perpessam; ac 4) *Friderici II* tamen tempore ita rursus floruisse, ut Imperator ille eam civitatem carissimam sibi nominaverit. *Sectio IV* monstrare debet, Noribergam semper tractum terrarum peculiarem, Cæsari & Imperio immediate subjectum, sub se continuisse. Quem in finem tres statuit periodos Autor: primam a *Carolo M.* ad *Fridericum II*, secundam a *Friderico II* ad *Carolum IV*, & tertiam denique a *Carolo IV* ad nostra usque tempora. *Sectio V* Advocatiæ Noricæ (*Land-Vogtey*) antiquæ naturam & indolem describit, Advocatorum imperialium conditionem generatim, & Noribergensium speciatim, horumque historiam & singularia jura, explicans. *Sectio VI* de Burgwardiis (*Burg-Hütten*) & feudis castrensibus, quæ olim ad castrum imperiale Noricum pertinuere, agit, & quæ 1) generatim hic notanda occurrunt, nec non 2) Burgwardiorum Noricorum rationem, eorumque 3) jura, persequitur, feudorum pariter, & inprimis eorum, quæ a castris nomen accepere, originem indolemque sistit. Quæ sequitur *Sectio VII*, summatim omnia documenta, in hac Historia diplo-

[Margin notes: Sect. II pag. 38-67. — 39 seq. — 40-43. — Sect. III pag. 67-128. — 68-87. — 87-94. — 94-107. — 107-128. — Sect. IV pag. 128-151. — Sect. V pag. 151-163. — Sect. VI pag. 163-177. — Sect. VII]

Pag. 177-238. diplomatica collecta, & quæ illustrationi privilegii Norici, A. 1219 concessi, ejusque penitiori cognitioni, & veræ territorii Norici rationis dijudicationi inservire possunt, prout illius inscriptio docet, enumerat, eorum argumenta exponit, & notis illustrat copiosissimis. Sed hic nihil tamen aliud Autor agit, nisi ut, præmissa tractatione generaliori, doctrinæ de territoriorum clausorum & non clausorum in Germania indole sequentia expendat momenta:
181-191. I) Noribergam ante, nec non ipsius *Friderici II* Imp. & post ejus ævum, territorium clausum ignorasse; quod assertum inde probat, quod jam A. 1219 ea civitas juribus mox enarrandis gavisa sit, quæ id, de quo sæpe diximus, privilegium tantum confirmarent. Immediatam puta erga Imperium qualitatem, & plenam immunitatem ab omni advocatia, jus porro monetæ, telonii, mercatus, immunitatem a jure feudali, judiciis provinciali & duellico, & quæ sunt
191-217. alia XII numero adducta. II) Noribergam ab A. 1273 ad 1427 pariter territorio clauso fuisse destitutam, idque locis nonnullis,
217-233. ex publicis Actis excerptis, probare Autor annititur. III) Noribergam ab A. 1427 ad 1587 territorii clausi naturam non induisse, suamque hic sententiam Autor firmam reddere allaborat ex venditione jurium *Friderici*, Burggravii Norici, civitati facta, & quidem 1) ex ejus occasione, 2) Cæsaris consensu & confirmatione, 3) venditione ipsa, 4) desuper confectis do-
232-238. cumentis, 5) venditis, & 6) reservatis juribus. IV) Noribergam & totam Franconiam omni tempore territorium clausum abhorruisse, & adhuc abhorrere, idque evincere studet Autor antiquorum Ducum & Comitum hujus terræ indole, & quod districtus non a Comitum nominibus, ut alibi, sed a limitibus suis, signati fuerint, ac aliis denique ejusmodi argumentis,
Sect. VIII quæ non adeo firmo semper talo stare solent. *Sectio VIII*
pag. verba privilegii: *Item, quicquid aliquis Noribergensis ibidem*
238-258. *delinquat, pro quo delicto puniendus esset, in persona aut rebus, si satisfecerit Sculteto nostro, nulli amplius respondere debet de hoc delicto, & gratiam nostram percipiet*, explicat, simulque ostendit, quis eo ævo magistratus & jurisdictionis criminalis *(der Fraißlichen Obrigkeit)* status fuerit. Docet nimirum

rum Autor hoc loco 1) nexum cum superioribus articulis, & quæ hic veluti sint præsupponenda, 2) exponit judicem, 3) locum judicii, 4) reos, 5) delicta, ac denique 6) horum pœnas. *Sectio IX* huc usque (scilicet in omnibus antecedentibus *VIII Sectionibus*) deductorum cum aliis scriptis harmoniam, si ita dicere fas est, ostendit, vel ostendere debet. Hoc enim ut probet Autor, sequentia momenta affert & explicat, ac suse quidem satis: I) in *Gylmanni* & *Tilemanni* scriptis statum controversiæ & causæ (nimirum civitatis Noricæ cum Sereniss. Marchionibus Brandenburgicis lineæ Franconicæ) nec integre adductum, nec accurate tractatum, tam quoad formalia, quam materialia; II) dictos scriptores præcipua & antiquissima Noribergensia documenta vel prorsus omittere, vel falsa & a veritate aliena ratione citare; e. g. eos tot vicibus laudatum privilegium, Noribergæ A. 1219 datum, plane ignorare; & in investitura prima Burggravii Norici de A. 1273 & 1282 plura se reperisse credit Autor, e. g. Advocati officium (*Schultheisen-Amt*) Burggraviatui subordinatum fuisse, de quibus tamen ibidem ne hilum quidem reperiatur, ubi simul Autor in adjecta nota quam amplissima varios scriptorum recentiorum modos explicandi dicta monumenta de A. 1273 & 1281 persequitur; III) loca indicat, ex quibus, ut asserit, patet, excitatos scriptores contra jura & constitutiones Imperii generales scripsisse. In quo quidem momento Autor fundamenta jurium Burggraviorum Noricorum contra civitatem, & hujus contra illos, summatim indicat, expendit, &, quæ sunt pro civitate, susius explicat, priora, Sereniss. scilicet Marchionum, ubique refutans, simulque catalogum proscriptionum ex agro Noribergensi, ex antiquo libello, *Acht-Büchlein* dicto, ab A. 1308 ad 1359, & longam seriem casuum jurisdictionis criminalis, a civitate Norica in agro Noribergensi ad nostrum usque ævum exercitæ, affert. IV) Exponit ea, quæ tot vicibus memorati scriptores contra Historiæ antiquæ & novæ fidem protulerunt, e. g. Burggravium Noribergæ in causis criminalibus judicasse. V) Enumerat loca, quæ testari ex mente Autoris debent, illos Scriptores documentis ab utraque parte in lucem editis adversari. Ita ab illis

Sect. IX pag. 258-314. 260-262. 266-270. 270-291. 271. 278 seq. 279-286. 291-295. 291. 295-297. 296.

adduci

adduci scribit verba *Burggraffthums - Herrlichkeit auswendig der Stadt*, quæ tamen in nullo edito documento comprehendantur.
Pag. 297-305. VI) Notat loca dictorum scriptorum, quæ Autor sibi ipsis
305-314. contradicere credit, ac denique VII) exhibet compendium eorum locorum, in quibus memorati scriptores Sereniss. Marchionibus, inprimis præsentibus ipsorum principiis, & publicæ tam in *Actis*, quam aliunde, confessioni prolatæ, prorsus adversarentur.
Sect. X pag. 314-384. *Sectio X* historiam status rei monetariæ, & juris numi percutiendi, apud majores nostros tradit, simulque monstrat, illud non a jure status vel territorii derivandum, sed ex sola gratia Imperatorum, & Regum Germaniæ concessione, fluere. Suam autem thesin ut firmam reddat Autor, repetit 1) generatim ex Illustriss. Domini *de Bünau* Dissert. *de Jure monetandi in S. R. I.* originem tam juris monetandi, quam usus pecuniæ & monetæ signatæ in Germania, ejusque progressum & rationem, intuitu Cæsaris & Statuum; 2) speciatim jus monetandi civitatis Noricæ persequitur, & exinde & aliis argumentis ac testimoniis conclusionem elicit, jus monetandi, ut dictum, semper gratiæ Imperatorum & Regum Germaniæ fuisse adscriptum, nec a jure territorii aut status depen-
319. disse. Deprehenditur hic quoque in *nota 1* copiosissima narratio de loco *Furth*, in quibusdam Diplomatibus occurrente.
320. Quem sine dubio in finem Autor integra *Henrici II* de A. 1007, & *Henrici IV* de A. 1072, documenta, in quibus hic locus occurrit, inseruit, iisque alias quasdam chartas, e. g. ejusdem *Henrici*
321. *IV* privilegium, Wormatiensibus super immunitate a teloniis in civitatibus regni assignatis de A. 1073 datum, *Henrici V* privile-
322. gium, dictæ civitati in teloniis & re judiciaria, cum formula de
326-380. non revocando, concessum, de A. 1112, &c. adjunxit. Sequitur, ut ita dicamus, in textu, *Mülleri* Relatio seu notitia juris monetandi & status rei monetariæ, Advocatiæ Imperialis, Burggraviorum, & civitatis Noribergensis, a *Caroli IV* ævo ad A. 1626, Cel. *Jo. Dav. Koleri* Operi, cui titulus *Müntz-Belustigungen*, maximam partem inserta, hic vero integre descripta, notisque Autoris illustrata, quæ cum ex subsidiis aliis plane incognitis sit composita, utilitate
380-384. sua & laude non videtur defraudanda. Coronidis loco Autor brevissimam

Digitized by Google

vissimam continuationem relationis, seu notitiæ *Mullerianæ* ad nostra usque tempora, ac summam libri, Ratisbonæ A. 1665 in lucem editi, *de nævis monetarum in Imperio nostro*, apponit, simulque Prodromum claudit, addita pariter, ut in fronte, figura ænea. Prodromum excipit Diplomaticæ Noricæ Historiæ *Pars* vel *Periodus I*, continens 116 documenta, ad annum usque 1347, seu initium imperii *Caroli IV*. Periodi seu *Partis* hujus initium denuo exornat figura ænea. Inter Documenta autem primo comparet *Copy eines alten Pergamenen Salbüchleins, worinnen verzaichnet ist, was zu des Reichs-Vesten zu Nürmberg vor Jaren gehærig gewest, und woraus zugleich erhellet, das zu und um Nurmberg ehehin eine Kayserliche und Reichs-Landvogtey angeordnet sich befunden, das seind die Guter, die zu dem Reich gehærend auf die Burg zu Nurmberg.* In adjectis annotationibus Autor de Præfectis provincialibus generatim agit, in tempus conscripti hujus Documenti inquirit, & loca ibidem contenta fuse describit. Diplomatum hujus *Partis* agmen claudit *num. 116*, vi cujus *Conradus ab Asche*, judex provincialis Noricus, *Albertum*, Episcopum Eychstadensem, ab intentata contra eum actione absolvit. Sequitur *Pars* vel *Periodus II* Historiæ Diplomaticæ Noricæ, sistens Acta publica ab A. 1347, *Caroli* scilicet *IV* imperio, ad tempora usque *Caroli V*. Sub initium statim rursus conspicere licet figuram æneam. Documentorum autem primum est *num. 317* in ordine, *Caroli* scilicet *IV* confirmatio omnium privilegiorum & immunitatum, Noribergæ a suis antecessoribus Imperatoribus & Regibus Romanorum collatis, de A. 1347. In annotationibus Autor, quæ sub regimine *Caroli IV* & *Wenceslai* filii notatu inprimis digna, tam intuitu totius Imperii, quam Noribergæ, acciderunt, persequitur, & potissimum, quot vicibus *Carolus IV* & *Wenceslaus* Noribergam venerint, fuse exponit. Periodum claudit *num. 323* summa sententiæ, A. 1518 inter *Fritzen, Koler, Cunzen, Humbser*, & *Hansen*, rusticos *de Elltersdorff*, & *Hansen Sauern* ac *Barbaram Staudacherin*, latæ, quam Autor annotationibus destitutam reliquit. Huic Periodo adjecta est Appendix, indicis veluti loco, summatim indicans, quæ in Prodromo, nec non

[Margin notes: Pars I. — Pag. 1-7. — 7-22. — Pars II. — Pag. 315 seq. — 316-323. — 318-323. — 783 seq. — 785-800.]

I & II Periodo hujus Historiæ, dicta sunt. Quæ autem hanc ex-
Pars III. cipit Periodus vel *Pars III* Historiæ Diplomaticæ civitatis Noricæ, Documenta a *Caroli V* imperio ad nostrum usque ævum
Pag. comprehendit, in fronte pariter atque in fine figura ænea, ut
803 seq. in usu esse solet, exornata. Documentorum quasi exercitum ducit *num. 324* in ordine Charta *Caroli V*, qua omnia ab antecessoribus suis Noribergensi civitati concessa jura & immunitates confirmat, de A. 1520. Annotationes seriem de religionis
806-877. negotio & reformatione in politicis ecclesiasticis, intuitu totius Imperii ab A. 1517, Noribergæ autem ab A. 1431, & ratione utriusque ad A. 1650, ductu relationum quarundam MStarum, ob oculos ponunt, amplissimis instructam notis, in quibus, quæ in modo citatis relationibus MStis breviter dicta sunt, fu-
1071-1076. sius deducuntur. Postremum vero in hac Historia Diplomatica occupat locum *num. 471* confirmatio præsentis Imperatoris *Caroli VI* privilegii divi *Leopoldi*, senatui Noribergensi A. 1697 de usu tituli *Edel* concessi, in qua simul tribus supremis Præfectis (*Obrist-Hauptleuten*) titulus Consiliariorum Cæsaris actu talium, cum juribus huic annexis, gratiosissime confertur, de A. 1721. Operi finem imponit Index, pro libri mole, brevitate pæne laborans. Sicuti autem in vasto illo Annotationum ad Codicem Statutarium Noribergensem Opere, ita & hic, plurima deprehendere licet, a scopo prorsus aliena, haud pauca quoque vulgaria, levia, & parum accurate dicta, ut adeo vel solo multa congerendi studio sese commendare Autor iste videatur. Nec genus dicendi denique ita comparatum est, ut ad præsentis Seculi palatum esse queat.

GOTTFRIDI MASCOVII, D. NOTITIA JURIS & Judiciorum Brunsuico-Luneburgicorum. Accessit Notitia Juris Osnabrugensis & Hildesiensis, ad usum Auditorum.

Gottingæ, apud Abramum van den Hoeck, Academiæ typographum, 1738, 8.

Alph. 1 plag. 14.

Læto

Læto serenoque vultu res JCtorum publica tollit eruditum hunc Musæ *Moscovianæ* partum, tanto amplioribus commendandum ornandumque laudibus, quo clarius nemo non perspicit, qui Germanicæ Jurisprudentiæ studio delectatur, quantum lucis ex ejusmodi scriptis capiant complures majorum nostrorum Constitutiones. Occasionem scribendi hujus dedit Compendii nova Academia, quæ Gottingæ nuper ritu solenni inaugurata est. Cum enim docendi Juris provinciam in ea suscepisset Celeberrimus Autor; prima hæc ipsi cura, primus labor fuit, ut cives Academicos, in terris Brunsuicensibus & Luneburgensibus natos, ejus, quod receptum ibi est, Juris notitia probe imbueret, eorumque animos ad recte gerenda aliquando civitatis negotia præpararet. Sed circumspicienti undique, quem commode sequeretur in Prælectionibus suis ducem, invenire plane neminem licuit, eamque ob caussam ipse manus admovere operi instituit, in quo concinnando nec diligentiæ pepercit ulli, nec ceteras boni laudandique scriptoris virtutes neglexit. In Præfatione periculum fecit præstantissimus *Moscovius* tradendi instituta Luneburgensium & Ultzensium, qui Statutum quidem Luneburgense sequuntur, ita tamen, ut singularibus consuetudinibus ab eo nonnunquam recedant. Ante vero, quam ad enarrandam ipsam Juris Brunsuico-Luneburgici notitiam se converteret Vir Amplissimus, præmittere ipsi visum est Prooemium, in quo copiose eleganterque docet, in Ducatu Luneburgico, aliisque terris omnibus, eo comprehensis, per longum temporis spatium servatas custoditasque fuisse leges Saxonum, quas illibatas iis *Carolus M.* reliquerat. Hoc tamen non inficiatur, pagis, vicis, & oppidis, sensim sensimque crescentibus, id concessum datumque fuisse, ut suis, non aliorum, adstringerentur Constitutionibus, id quod ex Statutis Luneburgensibus & Sosatensibus luculenter apparet, quorum illa sponte recepit Ultzena civitas, hæc Lubecæ, recens conditæ, tributa ab *Henrico Leone*, cujus urbis leges ultro deinceps receperunt civitates Vandalicæ, Hamburgum, Wismaria, Rostochium, Stralesunda. Prætèrea invaluit quoque Jus Romanum atque Pontificium, Sacerdotibus pro hoc, amicis

 vero

vero Principum pro illo, mascule pugnantibus, usque dum ipsis tandem Principum Constitutionibus peregrina Jura patriis anteponerentur. Ad Feudorum quod attinet jura, quæ in terris Saxonicis antiqua sunt, illa magnam partem consuetudinibus cesserunt Langobardicis, ita quidem, ut ad Jus provocanti Saxonicum incumbat probatio, Jus Feudale Saxonicum hac in re ab usu non recessisse, nisi observantia unicuique fuerit cognita, qualis in simultanea investitura est, ceu novissime adhuc pronuntiatum refert Doctiss. Autor in supremo, quod Cellæ est, Provocationum tribunali. Non pauca etiam Recessibus Provincialibus, pactis hæreditariis, & Ordinationibus judicialibus, fuisse immutata, exemplis quibusdam confirmat. Jam ipsum ædificium, ex atrio velut egressi, contuebimur. *Pars prima quatuor* distincta *Capitibus* est, quorum *primum* de *Jure* agit *Brunsuico-Luneburgico in Calenbergico Principatu & Gottingensi.* Sublata Principum Calenbergicorum stirpe A. 1584, Principatus Calenbergicus Guelpherbytano accessit, & sic ipse quoque, Jurium Saxonicorum loco, peregrinis fere solis uti cœpit, litesque, inter cives motæ, in Cancellaria, &, ut suspicatur Ill. Autor, in Curia etiam Guelpherbytana, ad Juris Civilis regulas compositæ fuerunt. Postquam deinceps a Principatu Guelpherbytano separatus fuit A. 1636 Calenbergicus, ex autoritate Ordinationis Judicii Aulici, a Duce *Georgio*, atque Ordinationis Cancellariæ Calenbergicæ, a *Georgio Guilielmo* latæ, soli communi Juri Cæsareo, aut, si mavis, Justinianeo & Canonico, locus fuit concessus. Obtinet ibidem, ut & in Principatu Gottingensi, Comitatu Spiegelbergensi & Hohensteinensi, in Ecclesiasticis *Corpus Julium*, a *Chemnitio & Andrea*, Doctoribus Theologis, confectum, porro *Julii*, Ducis, Ordinatio Ecclesiastica, A. 1569 promulgata, Recessus Gandersheimensis Articulus I, Recessus Elzensis de A. 1614, Recessus Hannoveranus de A. 1639 & 1642, & Constitutiones aliæ complures. Reliqua, notatu in hoc *Capite* dignissima, instituti nostri memores prætermittimus, paucis ex eodem Collegia, quæ in his terris florent, juridica enarraturi. Pertinet huc Cancellaria justitiæ Hannoverana, quæ in prima, ut vulgo dicunt, instantia in omnibus causis, contra Officia-

Officiales Regios, Præfecturas Regias, Capitula & Monasteria, Nobiles, & majores omnes, quasdam etiam minores, civitates, Procuratores Cancellariæ, & alios, jurisdictioni ejus subjectos, institutis, jus dicit. Eodem in altera devolvuntur instantia appellationes quæcunque ex Præfecturis Regiis, judiciis Nobilium, civitatibus, aliisque primis instantiis, in quibus tamen omnibus Cancellaria concurrentem habet jurisdictionem cum Regia & Electorali Curia Provinciali, exceptis tantum Criminalibus & Grubenhagensibus causis. Ad Consistorium referuntur omnes Clericorum causæ, res causæque spirituales & ecclesiasticæ, tam ex Principatu Luneburgico, quam Calenbergico, cujus postremi nomine Principatum quoque Gottingensem & Grubenhagensem Cel. Autor complectitur. Ab his vero judiciis, si summa appellabilis fuerit, provocationes ad supremum Cellensium tribunal devolvuntur. Res metallicæ in saltu Hercynio a Præfectura metallica, & res forestales a forestali, curantur. In montanis civitatibus civili non minus ac criminali jurisdictione gaudet Senatus in officiales suos, scansores, cives, fossores metallicos, & reliquos incolas & peregrinos. Concurrunt tamen in criminalibus causis rei metallicæ Præfecti, seu Capitanei, qui in civilibus etiam Acta poscere ad inspiciendum, & mandata dare possunt de justitia administranda. Provocare autem licet ad Cancellariam justitiæ Hannoveranam, & Supremum Appellationum tribunal, Cellæ constitutum. Quibus erudite traditis, de jure Comitatus Hojensis, cum ecclesiastico, tum seculari, itemque Comitatus Diepholtini, potiora subjecit capita Amplissimus *Mascovius*, tandemque inter scriptores Calenbergicos *Jo. Stuckium* laudat, cujus *Consilia* Francofurti A. 1666 in folio edita sunt. *Caput II de Jure Brunsuico-Luneburgico in Principatu Cellensi* inscribitur. Jus in his terris Saxonicum jam Seculo XVI videtur abolitum, ejusque loco introductum est, quod hodie quoque ibi servatur, Civile Jus atque Canonicum, quamvis nec desint singulares Principum Constitutiones, & Statuta Civitatum quarundam, quæ hic diligentissime commemorantur. Ut ex *Capite III* intelligimus, quod *de Jure Brunsuico-Luneburgico in Principatu Grubenha-*

genſi exponit, Juri quoque communi locus in eo eſt relictus; ideoque ſeparatim de hoc Ducatu agitur, quod ejus cauſa Sereniſſimæ Domui Hannoveranæ votum & ſeſſio in Comitiis Imperii competat. Quod ſequitur, *Caput IV Jus Brunſuico-Luneburgicum in Principatu Guelpherbytano & Blanckenburgico* ante oculos Lectorum ponit. Refert in eo Ill. Autor, Ordinationes, Conſtitutiones, & Edicta, cum Receſſibus Provincialibus, vim legis habentibus, nondum in unum collecta corpus eſſe, datumque id aliquando Illuſtri *Leyſero*, lucido Leucoreæ ſideri, ut cum aliis quibusdam JCtis ejusmodi in ſe laborem ſuſciperet; quæ vero tela, ob diſceſſum forte eximii Viri ex Academia Helmſtadienſi, ad hunc usque diem non fuit abſoluta. Pars hujus *Libri Juris Lauenburgici* notitiam complectitur.[1] Sub initium ſtatim monet Noſter, non id accurate vulgo dici, quod in hoc Ducatu ex priſtino more Juris Saxonici inſtituta vigeant, cum id non ſine reſtrictione quadam ſit intelligendum: fuiſſe enim olim his in terris hujus Juris uſum obſervantiæ quaſi limitibus circumſcriptum. Succedit *Pars III de Jure Brunſuico-Luneburgico in Ducatu Bremenſi & Verdenſi*, qui uterque non multo ante terris feliciter acceſſit Luneburgicis. Intentatum ab aliis opus hic aggreſſus eſt Illuſtris *Maſcovius*. Tenuerunt vero has terras, *Caroli M.* ævo, Saxones, & ante illos Cauci, de quibus Commentarium, *duobus* abſolutum *Libris*, *Jo. Schildius* evulgavit. A Francis devicti Saxones, & Chriſtianorum ſacrorum manſuetudini aſſueti, Epiſcopum inter ceteros Bremenſem acceperunt, cui poſtea Archi-Epiſcopi dignitas conceſſa. Illius ſedes primo fuit Hamburgi, tum Bremæ, tandem, Eccleſia Cathedrali Hamburgenſi pariter ac Bremenſi *a Nicolao*, Pontifice, A. 858 ita unitis, ut utraque unam efficeret Eccleſiam, Bremevordæ; hac tamen conditione, ut Bremæ etiam Palatium eſſet Archi-Epiſcopale. Creati primum ab Imperatoribus, deinde poſtulative ab Eccleſiæ Cathedralis Capitulo electi ſunt Archi-Epiſcopi. Nec ſuis deſtitutus fuit Epiſcopis Epiſcopatus Verdenſis, qui non, ut Epiſcopatus Bremenſis, ad Saxoniæ inferioris, ſed ad Weſtphaliæ, Circulum pertinet. Inter hos vero Epiſcopos ſæpe fuit Archi-Epiſcopus

Bre-

Bremensis; donec tandem in Pace Osnabrugensi hic Episcopatus, una cum Archi-Episcopatu Bremensi, & uterque quidem Ducatus titulo, tanquam perpetuum Imperii Feudum, ad Suecos perveniret. In utroque adhuc consuetudines & leges servantur, quæ antea in usu fuerant, & ideo tantum Juri annumerantur Brunsuico-Luneburgico, quia ab Augustissimis Magnæ Britanniæ Regibus sunt confirmatæ. At eo solum casu vigent adhuc illæ leges, cum a recentioribus non fuerint abrogatæ, facilique negotio ad statum hodiernum applicari queant. Ex Jure Bremensium militari illud videtur notatu dignissimum, quod miles, extra expeditionem constitutus, tam in criminalibus, quam in civilibus, causis judici subsit ordinario loci, in quo degit miles, id quod moris etiam esse apud Belgas, subjicit Celeberrimus Autor. *Pars IV, de Jure & judiciis Episcopatus Osnabrugensis*, prioribus longe fusius ab eodem, pluribus Documentorum subsidiis instructo, pertractata est. *Capita* hujus *Partis* hæc sunt: ***Caput I de Jurisdictione Ecclesiastica Episcoporum Osnabrugensium in genere***, in cujus limine *Carolus M.* Episcopatus Saxoniæ conditor laudatur; ***Caput II de Jurisdictione Archi-Diaconali; Caput III de Judicio Officialatus; Caput IV de pristina Jurisdictione seculari Episcoporum Osnabrugensium in genere; Caput V de Judiciis hominum propriorum, & liberorum Ministerialium; Caput VI de Gojudiciis; Caput VII de Judiciis Forestalibus; Caput VIII de Judicio Feudali; Caput IX de Judicio Advocatiæ; Caput X de Judicio Vehmico; Caput XI de Statutis & Ordinationibus Osnabrugensibus Ecclesiasticis; Caput XII de Legibus Secularibus Osnabrugensibus; Caput XIII de Privilegiis, Statutis, & Consuetudinibus civitatum Episcopatus Osnabrugensis; Caput XIV de statu Jurisdictionis hodierno in Episcopatu Osnabrugensi; Caput XV de Scriptis ad Jus Osnabrugense pertinentibus.*** *Partem* denique *V* conficit doctrina *de Jure judiciisque Episcopatus & Urbis Hildesiensis*. Mantissæ loco adjecit Amplissimus Autor ***notitiam de Scriptoribus, qui Jus Brunsuico-Luneburgicum generatim attigerunt***, item prisci Juris partem, ***das Wietzen-Mühlen-Recht***, & ***Ordinationis Vehmicæ Osnabrugensis*** exemplum, quod

quod ſupra promiſerat. Totum denique Opus, docte ac ſumma diligentia compoſitum, longe reddit aptiſſimum legentibus accuratus præcipuarum rerum Index, quem unum ſi perluſtraverit Lector, complura deprehendet, non obvia ubivis, aut vulgaria, magnisque ſtimulis agitari ſe ſentiet ad legendum relegendumque Opus hoc egregium Celeberrimi *Maſcovii*, de Academia Gottingenſi & univerſis terris Brunſuico-Luneburgenſibus præclariſſime merentis, cui hoc cultiſſimæ doctrinæ ſpecimen ex animo gratulamur, acclamantes eidem, ut, quo dudum bene cœpit, ſic pede ſemper eat, nobisque occaſionem ſuppeditet, alia utiliſſima ingenii monumenta, quæ jam ſub lima habere ipſum certo ſcimus, quamprimum his noſtris Annalibus, cum debita laudis præfatione, inſerendi.

OPUSCULORUM VARIORUM, QUÆ AD LITES & contentiones, inter Medicos & Chirurgos Pariſienſes ſuperioribus annis de dubia utriusque partis dignitate & prærogativa motas, ſpectant, brevior recenſio.

Incidit nuper in manus noſtras, Excellentiſſimi cujusdam Viri inſigni humanitate, horum Opuſculorum, ſparſim ab aliquo inde tempore editorum, integra collectio; unde ut fructus aliquis ad Lectorem redundet, & titulos ſingulorum hic apponemus, & ſumma argumenta indicabimus. Scripta igitur, quæ ab utraque parte evulgata conſtat, hæc ſunt: 1) *Guil. de Magny* Quæſtio medico-chirurgica, an Chirurgus in arte ſua Medico certior? Pariſiis, 1737, 4, plag. ½; 2) *Ludovici de Santeul* Quæſtio medico-chirurgica: Eſtne Chirurgus Medico certior? Gallice & Latine, Pariſ. 1736, 4, plag. 2; 3) Memoire, ou l'on fait voir, en quoi peut conſiſter la preeminence de la Medecine ſur la Chirurgie, Pariſ. 1736, 4, plag. 2½; 4) Queſtion de Medecine, dans laquelle on examine, ſi c' eſt aux Medecins, qu'il appartient de traiter les maladies veneriennes, & ſi la ſureté publique exige, que ce ſoient des Medecins, qui ſe chargent de la cure de ces maladies, par *M. B. L. F.* à Paris, 1735, 4, plag. 4; 5) Lettre d'un Docteur en Medecine a un maitre Chirurgien, 4, plag. 1; 6) le Baillon,

lon, ou Reflexions adreſſées à l' Auteur de la Lettre inſerée dans le Mercure du mois d' Août dernier, au ſujet de la diſpute qui s' eſt élevée entre M. *Maloet* & un Quidam ſoi-diſant Médecin Anglois d' une part, & les Chirurgiens de l' autre part, par *M* *** Médecin du Roi, â Amſterdam, chez Pierre Mortier, 1737, 4, plag. $1\frac{1}{2}$; 7) Réponſe de *Mr. D** Maitre Chirurgien d' Orleans, au Médecin Auteur du *Baillon*, 4, plag. $1\frac{1}{2}$; 8) Second Mémoire pour les Chirurgiens, à Paris, 1737, 4, plag. $4\frac{1}{4}$; 9) Lettre de M. *Aſtruc*, Médecin Conſultant du Roi, & Profeſſeur Roial en Médecine, à Mr. *N* . . . Docteur en Médecine de la Faculté de Montpellier, ſur un Ecrit intitulé, Second Mémoire pour les Chirurgiens, à Paris, 1737, 4, plag. $2\frac{3}{4}$; 10) Seconde Lettre de M. *Aſtruc* à Mr. *N* . . . &c. ſur un Ecrit intitulé, Second Mémoire pour les Chirurgiens, à Paris, 1737, 4, plag. 2; 11) Réponſe d' un Chirurgien de S. Coſme à la premiere Lettre de M. *Aſtruc*, au ſujet du Mémoire des Chirurgiens ſur les Maladies Veneriennes, à Paris, 1737, 4, plag. $12\frac{1}{2}$; 12) Troiſiéme Lettre de M. *Aſtruc* à Mr. *Delaire*, ſur un Ecrit intitulé, Réponſe d' un Chirurgien de Saint Côme, à Paris, 1737, 4, plag. 5; 13) Quatriéme Lettre de M. *Aſtruc* â Mr. *Delaire*, &c. à Paris, 1737, 4, plag. 7; 14) Lettre de *Jean Louis Petit* à M. *Aſtruc*, 4, plag. 1; 15) Cinquiéme Lettre de M. *Aſtruc* à Mr. *Delaire*, ſur l' Extrait, que l' Auteur des Obſervations ſur les Ecrits modernes a fait de ſa IV Lettre, dans la feuille CLXII, à Paris, 1738, 4, plag. 1; 16) Lettres ſur les diſputes, qui ſe ſont élevées entre les Médecins & les Chirurgiens par M** Chirurgien de Rouen, à M*** Chirurgien de Namur, & Docteur en Médecine, 1737, 4, plag. 21; 17) Lettre d'un Médecin de la Faculté de Paris, ſur ce que c' eſt que le Brigandage de la Médecine, à Paris, 1736, 8, plag. 1; 18) Lettre de *M.* *** à un Ami de Province, à Paris, 1736, 12, plag. 1; 19) Lettre à l' Auteur des Obſervations ſur les Ecrits modernes, ſine loci & anni indicio, 8; 20) Cléon à Eudoxe, touchant la preéminence de la Médecine ſur la Chirurgie, par Mr. *Andry*, &c. à Paris, 1738, 8, plag. 16; 21) Réponſe a l' Ecrit intitulé Cléon à Eudoxe, touchant la preéminence prétendue des Médecins ſur les Chirurgiens, à

 Paris,

Paris, 1738, plag. $7\frac{1}{4}$; 22) le Brigandage de la Chirurgie, ou la Médecine opprimée par le Brigandage de la Chirurgie, Ouvrage posthume de Mr. *Philipp Hecquet*, &c. T. I, à Utrecht, 1738, 8, plag. 18; 23) accessit le Brigandage de la Pharmacie, &c. par Mr. *Hecquet*, &c. Tome II, à Utrecht, 1738, 8, plag. 9.

Jam dudum gliscebant Chirurgorum Parisiensium odia, qui, rerum suarum successibus elati tumidique, ex quo Collegium Chirurgorum, a Cosmo dictum, instauratum fuit, & Regis indulgentia eo res devenerat, ut artem docere ipsi publice auderent suos, effrænata libidine grassari cœperunt in dominam Facultatem Medicam Parisiensem. Acerbius haud raro castigati, cumprimis in libello, *le Chirurgien moderne*, ab instituto tamen haud destiterunt, & nunc potissimum cœlum terramque movent, quo sperato fine, imperio Medicorum sese subtrahendi, potiri possint. Sunt, quæ Chirurgorum societati favent: sinistra Medicis fata; Aulæ favor; Chirurgi cujusdam primicerii, quem *Astrucius* castigavit, immensæ opes, quibus pauperculi alii in odia dominorum incenduntur; Chirurgorum quorundam insignis eruditio & in arte dexteritas, quam paucissimi Medicorum, si principes viros excipias, sunt assecuti; Medicorum denique plurium oscitantia, & rerum ad Chirurgiam spectantium neglectus. His omnibus effectum fuit, ut Chirurgi in rebus artis suæ nunc libere agant, imperent, &, sicut nova omnia plebeculæ placent, ita fieri aliter haud potuit, quam ut his, pro se, dum tondent, radunt, obligant, perorantibus, majora & mendicata suffragia aulæ urbisque sorte caderent. Nunc pulpita S. Cosmi jubilis strepunt; audias, qui Physicam, Philosophiam, Mechanicam, doceant; proponuntur ei, qui optime de argumento quodam dixerit, præmia; jam de Doctoribus publice enuntiandis cogitant; nec dubium est, imperaturos proxime, quibus obedientiæ gloria suffecerat. Libelli, quibus Chirurgi rem suam acriter defendunt, id unicum persuadere imperitis laborant, Medicos morborum externorum, quos chirurgicos appellant, indolem ignorare; Medicos facienti Chirurgo a consiliis esse haud posse; Chirurgiam Medicina esse & antiquiorem & nobiliorem, eandemque, omni ætate suis

ſuis propriis legibus & privilegiis uſam, Medicinam dominam haud agnoviſſe; Chirurgum certitudine majore, quam quæ Medicorum, interna curantium, eſt, agere; Chirurgiam adeoque imperare Medicinæ. Nec in eo acquieſcunt, quod Medicos a limine corporis humani averterint, ipſi nunc ſe internis corporum affectibus immiſcent, diætam ordinant, purgant, vomitum movent, clyſterium adminiſtrant. Maximum id eſt & primarium, in quo totius contentionis cardo vertitur, mali Gallici medicationem ad Chirurgos pertinere. Lucri cupidine illecti, quæſtuoſam mali curationem nollent Medicis relinquere. Non deſunt argumenta, Chirurgorum quæ pro cauſa militant. Gloriantur omnes, ſed, paucos jure gloriari poſſe, putandum, ſe Anatomes & ſtructuræ corporis peritiſſimos, œconomiæ animalis haud ignaros, morborum ipſorum internorum & ſymptomatum, quæ externis morbis accidunt, conſcios eſſe. Latina a ſe ignorari, ſe ab omni humanitatis ſtudio alienos eſſe, ſponte fatentur in libellis; aſt, multum intereſſe, negant, an ſciantur illa; ſe naturæ ſimpliciſſimum ductum ſequi, clamant. Non ineleganter pro ſe perorarunt in libellis allegatis; omnis antiquitas in conſilium adducitur; Chirurgia Medicina potior priorque omni ævo exſtitit; *Philoxenes*, *Ammonius*, *Gorgias*, *Soſtrates*, *Apollonii*, quos *Celſus* adducit, omnes Chirurgi ante *Hippocratem* fuerunt; morbi externi ipſi ſollicitum magis, quam interni, auxilium poſtulant; *Archagathus* Romæ artem profeſſus eſt, & inconſultis Medicis ſecuit, uſſit: quam quidem, *Archagathi* fortuna uti poſſe, voluptatem nemo Medicorum in votis unquam habuit; nam ob urendi ſecandique libidinem Roma exul factus eſt. Ipſa denique inſtrumentorum adminiſtratio pro Chirurgis cauſam dicit. Aut enim Medico faciendum eſt ipſi, aut Chirurgo fides habenda, quem, dum ſerram ducit, modiolum circumagit, cathederem immergit, vulnus dilatat, tendinem proſcindit, adjuvare in negotio Medicus nequit, cui in Chirurgi dexteritate unice acquieſcendum eſt. Quod luis Venereæ medicationem attinet, urgent, Chirurgum fuiſſe, qui inunctionem ſeu Hydrargyroſin invenerit, Chirurgos Pariſiis jus, venereos adminiſtrandi omni tempore exercuiſſe. Con-

 temtui

temtui habitos fuisse garrulos a primatibus Medicis, quorum fama ab obtrectatoribus secura est, res loquitur; nam Facultas ipsa medica armis cum hoste congredi dignata non est. Discipulis, ex cathedra disputantibus, rem reliquit. Interea, mala fortuna, Chirurgi blaterantes excitaverunt contra se eruditissimum magnæque inter omnes famæ Virum, *Joannem Astrucium*, Medicum & Chirurgum & scientem & facientem, qui mire depexos eosdem reddidit, exemplis docens, immerenter Chirurgorum nomine uti plurimos; barbitonsores esse plerosque, aut levis armaturæ milites; Chirurgos antiquorum temporum & Medicos eosdem fuisse, nec Medicum se esse gloriari hodie, qui non, quæ Chirurgi sunt, absente Chirurgo præstare audeat; *Berengarium Carpensem*, *Vigonem*, eruditissimos fuisse Medicos, nec Chirurgos simpliciter dictos; *Thierre de Heri* & *Pareum* imbelles esse rerum ad Chirurgiam spectantium doctores. Respondet *Petitus*, breviter admodum & dira comminatus, sed nihil effatur; prudenter admodum negat, se conscripsisse, quæ defendere non poterat.

ANIMALIS RARIORIS, CHIMPANZEE DICTI, ex regno Angola Londinum advecti, brevior descriptio.

TAB. V. Spectandum in Tabula, quam hic adjecimus, Lectori nostro exhibetur miri & valde tetrici adspectus, formæ & staturæ humanam referentis, naturæ ferocissimæ, animal, vix ulli civium nostrorum visum unquam, auditum forte paucissimis. Patriam agnoscit Angolam, Africanum regnum, a cujus incolis nomen *Chimpanzee* accepit. Ex illis oris allatum est anni 1738 mense Augusto Londinum ab *Henrico Howero*, magistro navis, *Speaker* dictæ. Sexus est fœminei, altum pedes duos quatuorque pollices, incedens corpore erecto, aliqua membrorum parte hirsutum, cetera robustum & musculosum. Ex stercore suo alimenta petit; sed amat etiam potum Theæ, quam hominum more ex vasculo bibit. Horum præterea somnum imitatur, nec prorsus ingenio caret, ipsa etiam voce garrulitatem huma-

nam

Digitized by Google

nam exprimens. Mares, cum ad ætatem adultam venerunt, fœminas humanas ſtupro petunt, & viros, etiam armatos, ad pugnam provocant. Idem ſæpiſſime ab hujus, in ære expreſſi, matre, pedum quinque altitudinem æquante, factum, quam niſi telo ſuſtuliſſet Maurus quidam, vix in ejus unquam manus fœtus hic veniſſet. Hujus, menſes unum & viginti nati, imaginem Londini affabre in ære inſculpſit *Scotinus*, artifex peritus, conſilium, ſi recte ſuſpicamur, ſecutus *Joannis Sloanii*, Regiæ Scientiarum Societatis Præſidis, cujus etiam nomini, quicquid eſt peregrini hujus monſtri, inſcriptum videmus. Cujus imaginis nuper exemplum nacti, ut regni etiam animalis hiſtoria hinc lucem acciperet, eam dextra quadam manu repetendam hic curavimus.

MECHANICK DIALLING, &c.
h. e.
GNOMONICA MECHANICA, SIVE ARS NOVA umbrarum; Autore CAROLO LEADBETTER, Mathematico.

Londini, typis Eduardi Wickſteed, 1737, 8.
Plag. 13, Tabb. æn. 11.

In Tractatu hoc, erudite ſcripto, id inprimis agit Autor, ut artem Gnomonicam ab iis, quæ apud pleroſque Scriptores obſcura, ſuperflua, atque erronea, viſa fuerunt, omnino liberam ſiſtat, methodoque tam plana ac facili exponat, ut a quovis promte addiſci, & ope ſimpliciſſimorum quorundam inſtrumentorum, præceptorum, ac tabularum, exerceri poſſit. Præmiſſa ſunt pauca quædam Problemata geometrica. Deinde ad rem ipſam accedit Autor, variiſque exemplis præcepta & uſum Tabularum illuſtrat. Adjecta etiam eſt Tabula ſatis ampla & correcta, de elevatione poli & differentia Meridianorum in variis urbibus: denique nec methodum omittere viſum fuit pingendi atque exornandi ſciateria.

MEMOIRES POUR SERVIR A L' HISTOIRE, &c.
h. e.

COMMENTARII, HISTORIÆ CELEBERRIMOrum in Republica literaria Virorum inservientes. Accedunt Catalogi librorum, a singulis scriptorum, de iisque judicia.

Tomus XXX & XXXI.

Lutetiæ Parisiorum, apud Briassonium, 1734 & 1735, 12.
Tomus quisque habet plag. 18, & totidem plag. dimid.

Post tot Vitas literatorum hominum, a doctissimo *Niceronio*, de cujus morte tristissimus nobis haud ita pridem nuntius venit, curate eleganterque expositas, sequitur nunc Vita *Joannis Jocundi*, Veronensis, Dominicani, qui & Græcæ linguæ præter suæ ætatis morem peritissimus, & magnus architectus, fuit, ac propterea versatus aliquot annis in aula Imperatoris *Maximiliani I*, posteaque in aula Regis Gallorum *Ludovici XII*, cujus cum jussu exstruxisset pontes duos, ita lusit *Sannazarius:*

Jocundus geminum imposuit tibi, Sequana, pontem.
Hunc tu jure potes dicere Pontificem.

Discipulos habuit *Jul. Cæs. Scaligerum* Viennæ, & *Guilielmum Budæum* Lutetiæ. Utrobique enim & Latinas & Græcas docuit literas. A. 1514 eum Romam evocavit Papa ad perficiendum templum *Petri*. Mortuus est non ita multo post annum 1517. A. 1498 edidit *Plinii Epistolarum Libros decem*, a se e Codice MSto recognitos. Edidit item emendata a se & *Vitruvii* & *Julii Cæsaris* Opera, & Scriptores Romanos *rei rusticæ*. Quorum nunc Vitæ sequuntur, eorum sola indicabimus nomina. *Joannes Dartis*, JCtus Parisiensis, mortuus A 1651; *Guilielmus des Autels*, Poeta Gallus, sed illaudatus, m. circa annum 1584; *Philippus Bonannus*, Jesuita Romanus, scriptor Operis magni *de Paparum numismatibus*, m. A. 1725 octogesimo septimo vitæ anno; *Joannes Revius*, Theologus Leidensis, m. A. 1658; *Carolus Clusius*, Medicus Leidensis, m. A. 1609 octogenario major; *Bonus de Merbes*, Concionator Gallus, m. A. 1684 octogesimo sexto ætatis anno; *Alamannus Rinucci-*

nuccinus, Florentinus, m. A. 1504; *Josephus Acosta*, Hispanus Jesuita, m. A. 1600; *Thomas Reinesius*, m. A. 1667; *Domitius Calderinus*, Italus Philologus, m. A. 1477; *Petrus Lambecius*, m. A. 1680; *Eduardus Bernardus*, Anglus, m. A. 1697; *Bernardinus Telesius*, Physicus Neapolitanus, m. A. 1588; *Christianus Daumius*, m. A. 1687; *Suffridus Petri*, Historiographus Frisius, m. A. 1597; *Michael Neander*, Rector Scholæ, non Isfeldensis, uti Noster scribit, sed Ilfeldensis, m. A. 1581; *Lucas Gauricus*, Astrologus, m. A. 1558; *Scipio Claramontius*, m. A. 1652, septem & octoginta annos natus; *Ciccus Æsculanus*, Astrologus, ob hæresis crimen combustus A. 1327; *Jacobus Lectius*, JCtus Genevensis, m. A. 1611; *Nicolaus Catherinotus*, JCtus Gallus, m. A. 1688; *Nicolaus Camusatus*, Canonicus Trecensis, m. A. 1655; *Elias Vinetus*, Philologus Burdigalensis, m. A. 1587. Adjectus est huic *Tomo* Index alphabeticus Autorum, in *decem* ultimis hujus Operis *Tomis* descriptorum.

Accedimus ad novæ *Decadis* hujus Operis *primum Tomum*, qui totius Operis est *trigesimus primus*. Cognoscemus ex eo, quam vitæ cursum peregerit, quidque librorum composuerit, *Robertus Bellarminus*, mortuus A. 1621; *Thomas Creechius*, Anglus, m. A. 1700 morte voluntaria; *Christianus Kortholtus*, m. A. 1694; *Lancelotus Addisonus*, Theologus Anglus, m. A. 1703; *Josephus Addisonus*, prioris filius, Poeta excellens, & Regius Secretarius Status, m. A. 1719; *Petrus Bertius*, e Theologo Leidensi Geographus & Historiographus Regis Galliæ, m. A. 1629; *Petrus Marcassus*, Prof. Eloquentiæ Parisiensis, m. A. 1664; *Paganinus Gaudentius*, m. A. 1659; *Claudius Perigardus*, m. Patavii, ubi Philosophiæ doctor fuerat clarissimus, A. 1663, anno ætatis 85; *Joannes Marius Crescimbenus*, celebris Academicus Arcas, cujus Academiæ ipse fuit conditor, m. A. 1728; *Augustinus Lubinus*, Geographus in Gallia Regius, m. A. 1695; *Olaus Rudbeckius*, Autor *Atlanticæ*, m. A. 1702; *Hieronymus Amaltheus*, Medicus Italus, m. A. 1574; *Remigius Bellaqueus*, Poeta Gallus, m. A. 1577; *Balthasar Beckerus*, scriptor *Mundi fascinati*, m. A. 1698; *Joannes Eduardus*

Mo-

Moninus, Poeta Gallus, m. A. 1586; *Joannes Buxtorfius*, m. A. 1629; *Jo. Buxtorfius*, filius, m. A. 1664; *Michael Hospitalius*, magnus ille Galliæ Cancellarius, m. A. 1573; *Lucas Holstenius*, m. A. 1661; *Otto Menckenius*, conditor æterna laude dignus illius Collegii, a quo inde ab anni 1682 initio usque ad hoc nostrum tempus describuntur, descripta publicantur, totumque literatum orbem pervagantur, *Acta Eruditorum*, m. A. 1707; *Joannes Burchardus Menckenius*, filius, & Collegii modo laudati felicissimus propagator, m. A. 1732; *Salmonius Macrinus*, Poeta Gallus, m. A. 1557; *Renatus Cartesius*, m. A. 1650; *Franciscus Macedus*, Polyhistor Italiæ gloriosus, dignusque, *Niceronii* nostri judicio, quem in suo *de Charlataneria Eruditorum* libro non præteriret silentio B. noster *Menckenius*, m. A. 1681; *Conradus Lycosthenes*, m. A. 1561; *Emanuel Maignanius*, Philosophus eclecticus, m. A. 1676; *Gulielmus Gratarolus*, Medicus Basileensis, m. A. 1568; *Samuel Guichenonius*, Historiographus Ducis Sabaudiæ, m. A. 1664; *Wolfgangus Lazius*, Historiographus Cæsareus, m. A. 1565; *Franciscus Garassus*, Jesuita Gallus, m. A. 1631; *Carolus Sorellus*, scriptor Bibliothecæ Gallicæ, m. A. 1670; *Andreas Duvallius*, Doctor Sorbonicus, m. A. 1638. Hactenus hic *Tomus*. Qui post eum jam prodierunt in lucem, eorum recensionem non diu exspectabunt Lectores nostri.

NOVA LITERARIA.

Cultissimæ illi amabilique Gallorum genti, cui uni tantum debent, quantum aliis vix omnibus, elegantiores literæ, acceptam propediem ferent suavitatum literariarum & Historiæ antiquioris studiosi novam *Scriptorum Galliæ*, ævi a nostro remotioris, Collectionem, quæ quin dubiam thesauro *Chesniano*, *Pithœano*, aliisque, palmam sit factura, vel ipsa hujus instituti publica significatio, a præstantissimis Autoribus, quorum adhuc ignorantur nomina, copioso nuper Programmate facta, dubitare neminem patitur. Videmur igitur rem nec Lectoribus nostris, nec ipsis illis, in labore hoc egregio & salutari occupatis, Viris politissimis, ingratam præstituri, si, quæ ex ipsa Gallia

Gallia nuper ad nos transmissa est, comtam hanc, nec parum suavitatis Gallicæ habentem, ad cultiores gentes Epistolam, huc, more nobis alioqui satis familiari, transscribamus. Ita vero docentem audi, quisquis est, elegantissimum Autorem:

Opus aggredimur a Viris non vulgariter doctis jam diu tentatum, variis subinde probatum regni Ministris, qui ei patrocinium impertire honori duxerunt, novis tamen impedimentis semper retardatum. Opus sane tam in se utile, quam per se late patens; cum Regum nostrorum celebritate, nec non & cum gentis Francicæ laude, tam conjunctum, quam quod maxime. Exeunte Seculo XVI *Petrus Pithæus* præcipuos Franciæ Historicos, cum typis editos, tum manu scriptos, in unum corpus cogendi consilium cepit; quod quidem annis 1588 & 1596 executus est. Verum, perinde ac si Francia vicinis regionibus exemplum, quod illico imitatæ sunt, dedisse satis habuisset, Seculi sequentis pars effluxit, nemine viam, quam *Pithæus* aperuerat, insistente; nemine vel supplere, quod ille omiserat, vel continuare, quod inchoaverat, tentante. *Andreas Chesnius*, quem veluti nostræ Historiæ parentem merito suspicimus, libellum A. 1635 in lucem edidit, in quo novæ Collectionis, priori amplioris, ratio ac forma describitur. Prior *duo* tantum *Volumina*, alterum in 8, alterum in folio, complectebatur, atque in anno 1285 desinebat; cum posterior *quatuordecim Voluminibus* in folio ea omnia continere deberet, quæ ad generalem Franciæ historiam attinent, a gentis origine ad finem usque regni *Henrici II.* Priora *duo Volumina* publicavit *Chesnius* A. 1636; *tertium* vero & *quartum* prelo dum subjicit, fato fungitur, ea ætate, qua, gloriam tanto dignam molimine se collecturum, sperare poterat. Prodiere hæc duo A. 1641; *quintum* vero non nisi A. 1649, editionem accurante *Francisco Chesnio*, *Andreæ* filio. Nulla hactenus visa est amplior Collectio. Anno duntaxat 1676 *Colbertus*, literarum patronus, pro ea ingenii præstantia, quæ virum prodit ad reipublicæ administrationem natum, multos eruditos Viros apud se congregavit, ut, ipso præsente, simul consilia conferrent, ac vias reperirent, quibus opus ab *Chesnio* inchoatum absolvi pos-

possset. Sed quonam fato sæpe sæpius usu venit, ut nimia sui fiducia ac invidia scientiæ sint comites, atque vel in eos ipsos, a quibus exulare deberent, imperium exerceant? Adeo difficile est, sive in sua tuenda, sive in aliorum impugnanda sententia, moderationis terminos non excedere! Suam improbari moleste tulit *Cangius*, nec unquam ad aliorum sensum adduci potuit: quæ quidem pervicacia voluntatem ac studium *Colberti* penitus rescidit. *Tellerii*, Remensis Archiepiscopi, conatus, quos juvabat Illustrissimi *de Louvois* gratia & autoritas, in irritum quoque cecidere, sed dissimili prorsus ratione. Celeberrimus *Mabillonius*, humiliter de se sentiens, sibique ipsi diffidens, onus detrectavit, cui forte solus par erat ferendo, & vehementissimis Præsulis efflagitationibus constanter refragatus est. Ut primum ad Cancellarii dignitatem promotus est Vir Illustrissimus, *Daguesseau*, literati viri, qui non minori plausu, quam Justitiæ Ministri, ejus promotionem comprobarant, suas vires simul cum spe senserunt accrescere. Quorum ardor ne tepesceret, ipsis nostrorum Historicorum Collectionem, velut opus plane dignum, ad quod operam, laborem, ac vires, conferrent, proposuit. In conventibus, quibus ipse præerat, de modo, quo hoc propositum ad exitum perduceretur, diu deliberatum est: expensis atque ad trutinam revocatis variis doctissimorum Virorum ea de re scriptis, tandem unanimi omnium consensu nova Collectionis forma delineata est. Rem exequendam susceperat Vir doctissimus æque ac laboriosissimus, *Jacobus le Long*, Oratorii Presbyter. Quis Historiæ nostræ fontes, quos in sua Bibliotheca historica ipse indicarat, melius noverat? Sed, dum operi totus incumbit, dum monumenta undequaque colligit, A. 1721 moritur. A. 1723 *Dionysius de Ste. Marthe* a regni Administris obtinuit, ut in Congregatione S. *Mauri*, cujus erat Præpositus generalis, operi, quod quasi derelictum videbatur, manus admoverentur. Quam quidem provinciam nobis imposuit; nec ulla alia re, quam flagrantissimo in laborem studio, spem de nobis conceptam implere poteramus. Ex quo enim id oneris nobis impositum est, (liceat hoc de nobis proferre testimonium,) nunquam ardor ille

le deferbuit, nunquam manus ab opere continuimus. *Primum Volumen* jam typis est editum, *secundum* intra paucos menses edendum. In conventibus, tam apud *Colbertum*, quam apud Cancellarium *Daguesseau*, habitis, convenerat inter eruditos, præmittenda esse Collectioni ea prorsus omnia, quæ perfectam Gallorum, ante Francorum in Gallias adventum, cognitionem nobis dare possent. Hinc censebat *Cangius*, Historiæ, a *Scipione Dupleix* conscriptæ, primam Partem iterum edendam, prius Latinitate donatam. Verum, quantumvis accurata ea Pars videatur *Cangio*, non certe digna est, cui tantus honor habeatur. Præterea, ut optime notat Abbas *Gallois*, non hic condenda Historia, sed ea colligenda instrumenta, quibus Historia condi possit. Inde initium ducemus. Excerpetur itaque e Latinis & Græcis Scriptoribus, quicquid de Gallis dixerint: Græca Græce cudentur cum interpretatione Latina. Hac ratione omittentur, quæ sunt ab recentioribus tractata de Gallorum origine, legibus, institutis, &c. At, si quid habent, uti sane habent, quod veterum Scriptorum verbis lucem afferat, hoc imis paginis annotabitur. Locum sibi vindicant in priori hac Parte *Cæsaris* de bello Gallico Commentaria: eorum vero interpretationem, Græce a *Planude* factam, non videmus, quorsum *Cangius* censuerit edendam simul cum *Commentatoribus*, a *Jungermano* editis, & aliis, ab ipso non visis. Quibus ducti rationibus hac in re *Cangio* non assentiamur, dicere supervacaneum est; ipsæ per se patent. In eam partem, quæ veteres Gallos spectat, si *Cangium* & Abbatem *des Thuilleries* audimus, referenda essent vetera eorum monumenta, Obelisci, Aquæductus, Amphitheatra, Arcus triumphales, Balnea, Sepulcra, Inscriptiones, Nummi. Quod quidem eo facilius esset, quod hæc pleraque jam collecta, & in æs affabre incisa, repræsentent Antiqaitates, a *Bernardo de Montfaucon* editæ. Verum, cum pars esse videantur Historiæ Provinciarum, in quibus reperiuntur, ea ad acta Historiæ singularis amandamus. *Primi Voluminis* fronti præfigetur Tabula geographica Galliarum Cisalpinæ & Transalpinæ, prout a veteribus Scriptoribus & Geographis describuntur. E Tabula *Peutingeriana* pars, Galliam

 con-

continens, ſcalpetur, & ſuo loco collocabitur. Volumen claudent quatuor Indices: primus urbium, locorum, & populorum, nomina continebit; ſecundus urbium nomina Gallica & Latina repræſentabit; tertius hominum nominibus, quartus rebus ipſis, inſerviet. Non deerunt notæ criticæ, ubi res poſtulabit. In marginibus, quantum fieri poterit, anni annotabuntur, quibus geſta ſunt ea, quæ narrantur. In computandis annis ab Roma condita, non *Varronis* cum *Petavio*, ſed *Verrii Flacci*, Faſtorum Capitolinorum Autoris, calculum cum *Sigonio* ſequimur. Quæ quidem ſententiæ unico anno diſcrepant, adeo, ut, qui *Varronianam* numerandi rationem adhibent, Romam a Gallis captam dicant anno ab urbe condita 364; qui vero *Flaccum* ſequuntur, hanc Romæ expugnationem ad annum præcedentem retrahant. In Præfatione multa ad Gallos ſpectantia tractabuntur. Præfationem ſubſequetur Index Chronologicus, ſeu Annales Gallici & Francici, in quibus præcipua facta, huc illucque diſperſa, temporum ordine collecta exhibebuntur. Hactenus de Collectionis proluſionibus; nunc de ipſa Collectione paucis agendum. Notum nobis erat, *Cheſnii* Collectionem, præterquam quod ultra *Philippi Pulcri* regnum non progrederetur, mancam eſſe in multis, atque ab ejus obitu innumera antiquitatis monumenta, quæ ejus oculos fugerant, e Bibliothecarum pulvere eruta fuiſſe. Nemo neſcit, quantum Francorum Hiſtoriam locupletaverint *Labbei*, *Acherii*, *Mabillonii*, *Martenii*, *Baluzii*, & *Bollandianorum*, haud pœnitendæ Collectiones. Ex variis Voluminibus, quæ hi Autores publicarunt, quicquid eſſet uſui noſtro, ſumma cura excerpſimus: & ſucceſſus, quem ex ſuo labore perceperant, adeo nobis addidit animos, ut & alias Bibliothecas, quas intactas reliquerant, perluſtraverimus. In iis permulta repertum iri, quæ eos prætereierant, ſpes erat non modica, nec fuit irrita. Nam vel juvantibus amicis, vel faventibus eruditis, quibus nos multum debere, confitemur non inviti, modo Codices manu exaratos, ab Editoribus non viſos, modo Opera, nondum typis edita, deprehendimus. Adeo tandem aſſiduus fuit labor noſter, ut Acta Hiſtoriæ primæ & ſecundæ ſtirpis jam in gerifoliis collecta, & ſuo

ſuo quæque loco diſpoſita, prelo parata ſint; Actorum vero tertiæ ſtirpis Collectio eo uſque proceſſerit, ut, eam ad *Francisci I* regnum productum iri, ſpondere non vereamur, ſi tamen Deus dies, quos tenet pro manibus, nobis non fecerit breviores. Ut noſtra fiducia animo par eſſet, opus erat, ut quis nobis lucem præferret, viamque monſtraret, quam ſequeremur. Verum quam præclare nobiſcum actum eſt! Franciæ Cancellarius & Operi & nobis patrocinium dignatur impertire: atque hac in re plus acceſſit auxilii, quam ſperare licitum erat. Primarius regni Magiſtratus nos ad ſe vocavit, viros doctrinæ conſpicuos congregavit, qui totius Operis formam, a nobis adumbratam, recognoſcerent. In his doctis congreſſibus variæ ſunt coram eo propoſitæ & expenſæ rationes: ac tandem, eo vel ſuggerente, vel indicante, monſtrata via eſt, quam inſiſteremus, regula præſcripta, ad quam greſſus noſtri dirigerentur. De Chronicis, inter ſe plane convenientibus, aut certe parum diſcrepantibus, quid facto opus ſit, varie pronuntiant eruditi. Placet aliis, integra dari, aliis vero, recentiora ſic truncari, ut ea demum edantur loca, in quibus ab vetuſtioribus diſcrepant. Videtur hæc quidem ſententia longe potior, eamque ſequimur. Hujusmodi enim fœtus quid aliud poſſunt, quam aut tædium afferre ſtudioſis, aut Volumini fruſtra molem addere? Quid ex eis fructus capi, quid extrudi novi, poteſt? Annales, exempli cauſa, qui *Eginhardo* tribuuntur, in initio nihil aliud quam transſcribunt *Loiſellianos* Annales: item Annales S. *Bertini Loïſellianos* & *Eginhardianos* ad verbum exſcribunt. *Loiſellianos* edi, ſatis erit, & in imis paginis varias annotari lectiones, quæ in aliis occurrunt. Idem de Hiſtoria Epitomata, ſeu de Epitome Hiſtoriæ, a *Gregorio Turonenſi* conſcriptæ, idem de *Aimoini* Hiſtoria ex *Gregorii*, *Fredegarii*, aliorumque Autorum, verbis confecta, factum voluiſſemus: ſed, cum plurimi ſint, qui parcitum velint Chronicis omnibus, a *Cheſnio* editis, cumque pauca ſuppetant inſtrumenta, ad primam noſtrorum Regum ſtirpem ſpectantia, viſum eſt, multis ſuadentibus atque hortantibus, utramque Hiſtoriam iterum vulgare. *Cheſnius*, quo commodior foret Collectio, Chronica quædam in varias ſecuit partes, quarum ſingulas iis aptavit regnis, ad

quæ ſpectarent. Diviſionem hanc, ſat ſcimus, probant non pauci: quippe hac ratione, quæ cuique regno congruunt, in unum collecta corpus reperiuntur. At, in eo quicquid eſt commodi, certe non tanti aliis videtur eſſe, ut ſcripta, continenti orationis filo texta, fruſtatim diſcerpi conſcindique debeant, maxime cum hoc alioqui ſuppleri abunde poſſe putent Indice, temporum ordini accommodato. Utrinque ſunt incommoda; verum in poſtrema opinione majora occurrunt. Si enim Chronica intacta relinquantur, atque ad regna, in quibus deſinunt, collocentur, inter Acta cujuslibet ſtirpis noſtrorum Regum nulla prorſus erit diſtinctio. Nam, cum Chronica ab una ſtirpe ad alteram tranſeant, in ſecunda multa occurrent Acta, quæ primæ conveniunt, in tertia nonnulla etiam reperientur, quæ primæ & ſecundæ congruunt. Cui malo ut medeamur, Chronica ſecamus, at non tam frequenter, quam *Cheſnius*. Primo ex Chronicis, quod ad primam, ſecundo, quod quadrat ad ſecundam ſtirpem, excerpimus, omiſſis iis omnibus, quæ noſtræ Hiſtoriæ præcedunt initium. Ad tertiam ſtirpem quod attinet, quasdam Epochas ſtatuemus, ad quas Chronica ſecabimus; ut, exempli cauſa, ab *Hugone Capeto* ad finem usque regni *Ludovici VII*, id eſt, ab A. 987 ad annum 1180. Hac ratione minus ſecabuntur Chronica, nec tot erunt ſectiones, quot regna. Nec eſt, quod objiciatur, Chronica ſic diſcerpta plurimum de pretio deperdere; in iis enim facta duntaxat quæruntur, ac ſæpe ſæpius hæc facta nullam habent inter ſe connexionem. Præterea ex his Chronicis bene multas res exoticas, atque a noſtra Hiſtoria alienas, detrahi erit neceſſe: quodſi nonnihil reſecari de Chronicis poteſt, cur ipſa ſecari non poſſint, non videmus. Gallica *S. Dionyſii* Chronica edentur e regione Latinorum Scriptorum, quorum interpretationem continent. Deſinet in *Franciſco I* Actorum Hiſtoriæ generalis Collectio. Primæ & ſecundæ ſtirpi, & in tertia cuilibet Epochæ, ſubjicientur Appendices quatuor. Prima illud omne continebit, quod e Vitis Sanctorum excerpetur, in quibus bene multa, & quidem optima, reperire eſt, quæ fruſtra alibi quæras. *Sigiberti* Regis, *Pippini* Ducis, *Leodegarii*, & quorun-

rundam aliorum, Vitæ, quæ directam habent cum Historia cognationem, integræ dabuntur, atque inter Historicos collocabuntur. Secunda Appendix historicas Regum, summorum Pontificum, Episcoporum, Abbatum, &c. Epistolas complectetur, secundum temporum ordinem dispositas, nisi forte satius sit, ejusdem Autoris Epistolas simul conjungi. Cuilibet Epistolæ summarium præmittetur. Tertia capiet Leges, Formulas, Regum Constitutiones, & quædam ex Conciliis & Capitularibus excerpta, quæ ad mores, vel ad historiam, pertinent. In prima stirpe edentur tantum Leges Salicæ & Ripuariorum: Burgundionum ac Wisigothorum Leges prætermittentur. Quarta Appendix Regum nostrorum Diplomata exhibebit, quæ proferentur tantum ad exitum usque regni *Philippi Augusti:* ex sequentibus vero seligentur, quæ præcipua sunt atque historica, ut Ecclesiarum & Monasteriorum fundationes, Regum ac Principum matrimonia, Fœdera pacis, alia Pacta atque Conventa, Donationes, ad Regium patrimonium Additiones, Possessiones fiduciariæ, Testamenta Regum, Reginarum, ac Principum, atque alia hujusmodi. Diplomatum vero, quæ in iis regionibus emissa sunt, quæ Monarchiæ Francicæ pars esse desierunt, inscriptio duntaxat & subscriptio exhibebuntur. Videntur sane Diplomata Historiis Provinciarum singularibus accenseri debere; satius tamen fore ducimus, si ad cujusque stirpis finem simul colligantur. Cum ad Historias singulares ventum erit, Lectorem admonere sufficiet, quo sint Volumine ac loco edita Diplomata, ad illas spectantia. Est enim illud ab Abbate *des Thuilleries* sapientissime observatum, Historiæ generalis Acta ita cum Actis Historiarum singularium apta esse atque conserta, ut unum in corpus coalescere debeant, & vicariam sibi operam impendere. Augebitur unumquodque *Volumen* Præfationibus, Notis criticis, & Indicibus. Anni in marginibus apponentur, quando ab Autoribus omittentur; vel, si quid erratum est, emendabitur. Quæ quidem omnia in editione *Chesnii* desiderabantur, si tamen Indices exceperis, sed quos indiligenter factos judicant harumce rerum æstimatores. Præter Indices, quos *Volumini primo* subdendos diximus, hic & adjici possent alii duo, quorum

rum primus exoticas obſoletasque voces contineret, addita earum explanatione; alter Principum ac aliorum Procerum genus deſcriberet, deductis ex ipſo Volumine probationibus. Cuique Regum ſtirpi præfigetur Tabula geographica, quæ ditionis ejus fines exhibeat. Titulus Operis, Præfationes, Annales ſeu Indices Chronologici, atque alia nonnulla, Latine & Gallice edentur. Bellorum ſacrorum actis poteſt ſuus in Hiſtoria generali locus dari. At vero qui locus, quive ordo? Si ſuis quæque regnis illigantur, ſane, quot regna ſunt, totidem in partes Acta diſtrahentur. Annon convenientius eſt, ea ſimul colligi, maxime cum in eodem verſentur argumento, ac præterea ſatis multa ſint, ut in unum corpus, idque ampliſſimum, coaleſcant. Plura quidem & *Bongarſius* Volumine duplici, & *Cheſnius* in *quarto* Collectionis ſuæ *Tomo*, edidere; latent vero in Bibliothecis alia bene multa, ſpemque adeo non mentitur ſeges, ut *Voluminibus quatuor* vel *quinque* complendis jam ſufficiant. Reſtant Francicæ Antiquitates; Imagines, dico, Regum Francorum, Reginarum, Principum, Optimatum, quas etiamnum aſſervant Eccleſiæ, Monaſteria, Ædes publicæ, Sepulcra, Libri veteres; dico & Annulos, inſculptas Gemmas, Sigilla, Nummos, & alia id genus, quæ Collectioni noſtræ non uſui minus, quam ornamento, forent. Verum hanc laboris noſtri partem occupavit *Bernardus de Montfaucon*, editis quinque Voluminibus de Monumentis Monarchiæ Francicæ. Quid jam ſupereſt, niſi eruditos rogemus, ne ſuum nobis ingenii lumen, ſua conſilia, ſuum favorem, invideant. Quod ut nobis impertiant, videtur non ſuus modo literarum amor, ſed ipſa Regum celebritas, atque univerſa prorſus Gallia, poſtulare. Typographi, *G. Martin*, *Coignard*, *Mariette*, ambo fratres *Guerin*, qui hujus magnæ Collectionis impreſſionem curant, nec labori, nec ſumtibus, parcunt, ut jam partam in ſua arte famam retineant, imo & augeant. Sive chartam, ſive typos, inſpicias, nihil fere melius. Cui rei fidem facit *primum Volumen*, jam impreſſum, quod omnibus hac in parte probatur.

Cum *altera* hac *Menſis Septembris Parte* prelo noſtro exit *Tomi tertii Supplementorum ad* hæc *Nova Acta Sectio XII*, cui acceſſerunt titulus *Voluminis* univerſi, Præfatio, & Indices neceſſarii.

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Octobris Anno MDCCXXXIX.

HISTOIRE DE L' ORIGINE ET DES PREMIERS progrés de l' Imprimerie, &c.

h. e.

HISTORIA ORIGINIS ET PRIMORUM PROgressuum Artis Typographicæ, Autore PROSPERO MARCHANDO.

Hagæ Comitum, apud Viduam Vieri & Petrum Paupie, 1740, 4 maj.

Alph. 1 plag. 20.

Vix literarium ullum est argumentum, in quo illustrando plus a Viris doctis sit laboris atque studii consumtum, quam in præclaro illo & jucundo de artis typographicæ, magno hominum bono inventæ, originibus, autore primo, patria, progressibus lætissimis, felicissimisque a superiori ætate ad hoc usque tempus incrementis. Videbatur enim horum, quicunque vetera rei typographicæ monumenta vestigarunt, nobilem industriam excitare publica hominum noscendi literariæ Historiæ partem hanc suavissimam cupiditas, quæ omni tempore tanta fuit, ut nunquam satis doctissimorum Virorum studio restingui potuerit. Auxit hanc inprimis ipsius ratio argumenti, copiosi admodum, plenissimique earum rerum, quæ cum voluptate cognoscuntur. Vix enim, qui de arte typographica diligentissime scripserunt, in his unus est, cujus, si non omni, saltem aliqua, ex parte industriam non vicerint, quicunque subsecuti sunt, scriptores, in eo prioribus feliciores semper, quod

in monumenta aut numero plura, aut magis singularia, inciderint. Erunt igitur, qui, novi Operis, de quo jam dicere instituimus, inspecto saltem rubro, nec Autoris adhuc nomine audito, non hinc trita aut omnibus dudum nota, sed nova & lectissima quæque, exspectent, & præclarum hoc, rem literariam ditandi, institutum omni dignum plausu & approbatione judicent. Sed major horum confirmatiorque spes erit, cum eum Operis Autorem cognoverint, qui, præter alia cultissimæ doctrinæ specimina, *Pereyræ* olim Cymbalo mundi, denuo a se edito, doctissimam de Autore hujus libri Præfationem præmisit, novas, easque politissimas, Commentarii *Baliani* in verba: cogite eos intrare, *Roquianæ* variorum de Eucharistia Scriptorum Collectionis, & *Chardiniani* in Persiam Itineris, rariori libello, *Couronnement de Soliman III*, insigniter aucti, editiones curavit, *Balii* item Gallicas Epistolas, a Cl. *Des Maizeaux* olim publicatas, in concinniorem ordinem redegit, & doctrinæ non vulgaris annotationibus instruxit, nuper etiam Historiam admirabilis Equitis *Inigo de Guipuscoa*, Hagæ A. 1738 iterum vulgatam, notissimo illo scripto eristico, *l' Anti-Cotton*, & eleganti Dissertatione, præcipua libelli hujus capita illustrante, locupletavit, inprimis vero, *Baliani Lexici* eam editionem, quæ A. 1720 prodiit, diligenter adornando, & novis ipsius Autoris Supplementis adaugendo, insignem a bonis omnibus gratiam laudemque tulit; porro, cum in Opere hoc conscribendo non, quod multi solent, leviter, sed a viginti inde annis diligentissime, versatum, idque unum egisse curis omnibus, didicerint, Autorem, ut anno proxime secuturo, typographorum filiis solenni maxime ac seculari, justam hi quandam elaboratamque artis suæ, jam jure suo inter florentissimas numerandæ, historiam haberent. Sed huic deinde, quanta quanta fuerit, exspectationi satisfactum omni ex parte judicabunt, cum ad ipsius lectionem Operis se converterint, viderintque ea omnia, quæ a scriptore diligentissimo præstari possunt, plenissime ab Autore præstita. Si quid enim in hoc genere tractationum aut pertinax legendi optimos scriptores, & colligendi undique selectiora monumenta, studium, aut in æstimandis his, & ad usum aliquem accom-

modan-

modandis, criticum acumen, aut denique in ipsis rerum narrationibus solertia & fides, valent, hic certe valuisse plurimum cognoscimus, nec erit Lectorum unus, qui non, insigni illo rerum minime vulgarium selectu, & narrationis suavitate, captus, omnibus Cl. *Marchandum* scriptoris accurati & plausu digni publico defunctum partibus existimet. In eo ipse sibi præstiturus parum videbatur, si, quæ obvia sunt vulgo, & scriptoribus sexcentis memorata, ea tantum dicendo repeteret, & volumine rem literariam oneraret, præter formam & Autoris nomen novi nihil habituro. Est enim hæc inutilis diligentia, parum laudis acquirens, si cum fructu, inde ad lectores redundante, comparetur. Illud potius ad gloriam laudemque comparatum recte judicavit, si, non prætermissis iis, quæ a ceteris scriptoribus vere sunt ac diligenter memorata, suumque adeo in artis typographicæ historia pondus ac momentum habent, certioribus hæc ipsa testimoniis firmaret, tum præcipuum in his, quæ satis adhuc obscura, & paucis cognita, putari poterant, industriam illustrandis poneret, collectas undique ex veterum librorum apparatu annotationes singulares expromeret, perperam ab aliis narrata ita emendaret, ut quilibet agnoscere veritatem posset, dissidia scriptorum, intempestivo sæpe gloriæ inanis studio coorta, tanquam ad id constitutus arbiter componeret, inprimis vero dirimendæ, quam magnis sæpe animorum motibus agitatam constat, nobili de artis loco natalitio controversiæ curam studiumque adhiberet. In quibus omnibus cum satis ingenium & doctrinam suam Lectorum unicuique approbaverit; erunt etiam, qui præcipuas quasdam ipsi dicendi rationi, & aptæ rerum narratarum dispositioni, laudes decernant, bene in eo commodeque factum judicantes, quod ipsa rerum inter typographos gestarum narratio continua quadam, quam *textum* vocant, oratione fluat, singulorum autem plenior probatio ac disputatio in subjectas paginæ cuique annotationes, non præter rem accumulatas, nec lectorem fatigantes nimium, sed, quantum fieri potuit, restrictas, & tanquam in nervum contractas, sit rejecta. Quo genere scribendi imitatus Autor felicissime exemplum *Balii* videtur, a cujus quippe *Lexico*, si

formam externam, & hanc tractandi rationem, spectes, Cl. *Marchandi* Historia ne minimum quidem discrepat. Tantis ac tam eximiis dotibus, quæ requiri facilius in nostri Seculi scriptoribus historiarum, quam inveniri, solent, præclare exornato homini, si ad illustrandum rei literariæ argumentum nobile & tempore hoc opportunum se converteret, metuendum minime fuit, ne fiducia majore virium, quam facultate, accessisse ad id operis cuiquam diceretur. Commodum inprimis visum est Autori, dicendorum apparatum omnem *tribus Partibus* distinguere, sicque institutum suum exequi, ut primo ipsam artis originem, & ut passim hæc in justam formam sit redacta, adductis simul vetustissimis editionibus, & suppeditata typographorum principum notitia, describeret; tum, quo successu postea, ad decimi usque sexti Seculi initia, cœleste hoc inventum sedem fixerit in plurimis Europæ cultioris civitatibus, doceret, &, quæ dispellendæ urbium quarundam, maxime Harlemi & Argentorati, artis penes se inventæ ostentationi sufficerent, rationes afferret; his denique Scriptorum, qui de artis typographicæ historia ex instituto tradiderunt, quorum ipse circiter tercentum & quinquaginta collegit, Bibliothecam amplissimam, non mera nomina ac titulos, sed accurata etiam de singulis judicia, exhibentem, subjungeret. Insignem, Lector, rerum scitu maxime utilium varietatem cognoscis, unde jam specimina selecturi, continebimus nos intra fines quosdam; cumque in tanta opinionum de primo artis inventore diversitate nemo futurus sit Lectorum, qui non ipsam Autoris ea de re cupiat sententiam cognoscere, jucunda *Capitis prioris*, tanquam omnium præcipui, & annotationum singularium plenissimi, paululum nos lectio mora-

Pag. 4 seq. bitur. Qui artis typographicæ originem ad *Saturnum*, aut ad *Adamum*, aut ad ipsum Deum. retulerunt, nec obscura rei tam novæ in *Boetio*, *Ausonio*, & ipso *Cicerone*, invenisse sibi sunt vestigia, argumentis illi valde nugatoriis nituntur, & ingenio fabularum studioso nimium indulgent. Prima inventionis gloria debetur sine dubio *Joanni Guttenberg*, cognomine *Gens-*

5. *fleisch*, antiqua *Zumjungiorum* domo nato, quem, valde probabilis est opinio, ortu Moguntinum, domicilio Argentinensem, fuisse.

fuiſſe. Equeſtrem ei dignitatem tribuere vel ideo non dubitat *Marchandus* noſter, quod alius quidam *Joannes de Guttenberg* ab A. 1485 ad 1538 Canonicus fuiſſe templi Cathedralis Moguntini, Capituli Herbipolitani Decanus, & Præpoſitus *S. Albani* & *S. Victoris* Moguntiæ, ab anno vero 1517 ad 1529 *Petrus de Guttenberg* Canonicatum tenuiſſe templi Cathedralis *S. Albani* in urbe Moguntia, legatur. Pag. 6. Is *Joannes* circa A. 1440 prima artis hujus quaſi rudimenta animo concepit; quam cum perficere diu fruſtra laboraſſet, adſcivit tandem in laboris atque ſumtuum ſocietatem nobiles aliquot urbis Moguntinæ cives, inprimis *Joannem Meydenbach* & *Joannem Fauſt*, quem, ſunt, qui, *Guttenbergio* excluſo, primum ſalutare illud libros prelo excudendi 7. cepiſſe conſilium, nos doceant. His adjunxit ſe poſtea *Petrus* 8. *Schoifferus*, unus ex *Fauſti* famulis, hujusque deinde gener, quem inter majores ſuos *Jo. Schefferus*, magnum illud Sueciæ & literarum ornamentum, numeravit, cujus & inter typographos principes nomen poſtea factum eſt clariſſimum. Hi propoſito ſuo exequendo conſilia & ſumtus contulerunt, remque generi humano tam auſpicatam a tenuiſſimis initiis ad juſtam maturitatem, ſed lento, ut fit, ſucceſſu, deduxerunt. Id ipſum extra omnem poſiturus dubitationem Autor, certiſſimis utitur Scriptorum ſeptem, illi tempori æqualium, teſtimoniis, ipſi *Mallinkrotio*, quo nemo diligentius artis typographicæ hiſtoriam deſcripſit, aut ignotis prorſus, aut non ſatis accurate adductis. Ex his unum, ab ipſo *Schoiffero* verſibus, ſed, ut tulit ætas illa, ſatis barbaris & inficetis, expreſſum, & *Inſtitutionibus Juſtiniani*, quæ *Schoifferi* hujus prelo Moguntiæ A. 1468, iterumque A. 1472, exierunt, ſubſcriptum, partim quod in argumento iſto ponderis non parum habeat, partim quod ingenioſæ obſcuritatis laudem aliis omnibus præripiat, dignum nobis, quod hic repetatur, viſum eſt. Ita vero ille:

Scena tabernacli Moiſes, Salomon quoque templi, 10.
Haud preter ingenuos perficiunt Dedalos.
Sic Decus Eccleſie majus major Salomone
Jam renovans renovat Beſelehel & Hyram.

 Hos

Hos dedit eximios ſculpendi in arte magiſtros,
Cui placet en mactos Arte ſagire Viros.
Quos genuit ambos urbs Moguntina Johannes,
Librorum inſignes Protocaragmaticos:
Cum quibus optatum Petrus venit ad Poliandrum,
Curſu poſterior, introeundo prior;
Quippe quibus preſtat ſculpendi lege ſagitus
A ſolo dante lumen & ingenium.
Natio queque ſuum poterit repetere Caragma
Secum, nempe ſtilo preminet omnigeno.
Credere difficile eſt Doctores quam precioſa
Pendat Mercede Scripta recorrigere.
Orthoſyntheticum cujus Syntagma per Orbem
Fulget, Franciſcum preſto Magiſtrum habet.
Me quoque conjunxit illi non vile Tragema,
Publica ſed Commoda, & terrigenum Columen.
O! utinam exſcobere falſis moliantur Ideam,
Qui Syntagma regunt, & Protocaragma legunt!
Aureola indubie premiaret eos Logothece,
Quippe Libris Cathedras mille ſuberudiunt.

Prima artis ſpecimina in tabulis ligneis inciſos literarum typos exhibebant, & ob id difficultatis plus, quam elegantiæ & uſus, habebant. Conſtat, in hac typographiæ infantia prodiiſſe *Alphabetum*, & *Donatum*, in ſcholarum uſum, *Grammaticam* etiam, *Rhetoricam*, *Poeticam*, *Joannis Januenſis Catholicon*, *Confeſſionalia*, *Breviarium*, *Pſalterium*, *Horologium Beatæ Virginis Mariæ*, a *Joſephi Scaligeri* avia adornatum, *Artem memorandi notabilem per Figuras Evangeliſtarum*, librum *Figurarum Biblicarum*, *Canticum ſeu Hiſtoriam B. Mariæ Virginis in Figuris*, *Hiſtoriam S. Joannis Evangeliſtæ in Figuris*, *Artem moriendi*, *Speculum humanæ ſalutis*, aliosque plures libros, nullum anni, quo excuſi ſunt, indicium præbentes, ſed probabiliter circa annum 1450 publicatos. Sed, hæc cum plurimis laborare defectibus primi illi artifices intelligerent, quippe deſtituti adhuc arte illa ſeparandi literas, easdemque librorum

Pag. 13 ſeq.

uno

uno plurium editioni adhibendi, longius progreſſi meditando ſunt, idque inprimis operam dederunt, ut modum fabricandi typos literarum plumbeos, æneos, & cupreos, hosque apte componendi, invenirent. Sed horum fortaſſis nihil effectum unquam fuiſſet, niſi rei pæne deſperatæ ſubveniſſet ingegenium *Schoifferi*, hominis ad nova excogitanda nati, qui ſolus Pag. 19 ſeq.
tandem formas illas, quibus literarum typi cuduntur, omnemque prelorum fabricam, & quicquid ad artem univerſam inſtrumentorum pertinet, invenit, integrumque Alphabetum in æs inciſum *Fauſto* obtulit, qui, auſpicato rei diu fruſtra tentatæ ſucceſſu mirifice exultans, præmii loco filiam ei ſuam in matrimonium dedit. Huic igitur *Schoiffero* vera inventæ, aut, ſi mavis, plane perfectæ, & ad uſum communem accommodatæ, typographiæ laus debetur. Comparatis igitur jam rebus omnibus, ſuæ artis nobiles quatuorviri, excudendo libri omnium ſanctiſſimi, Scripturæ nempe ſacræ, interpretationem 22.
Latinam, periculum fecerunt, & illuſtre hoc dignumque memoria æterna opus, majori literarum genere expreſſum, foras prodire anno circiter 1450 juſſerunt. Sed, quod facile credas, tanta poſtea cimelii hujus literarii raritas eſt facta, ut nusquam ejus noſtro tempore veſtigium appareat, nec, præter *Zach. Conr. Uffenbacchium*, qui, ſi ipſum teſtem audias, vetuſtiſſi- 23.
mam hanc editionem inter librorum ſuorum ornamenta numeravit, unum oſtendas, qui aut ſibi unquam, aut aliis, inſpectam hanc teſtetur. Æque incognitum multis eſt typographiæ veteris monumentum alterum, *Joannis Januenſis Catholicon*, cujus mentionem faciunt *Jac. Quetif* & *Jac. Echardus*, notiſſimi Scriptores, & quod, parum abeſt, quin in ſuis eſſe manibus ipſe credat *Marchandus* noſter. A duabus his editionibus, omni ſive anni, ſive loci, natalis indicio deſtitutis, quicquid librorum ab illo tempore evaſiſſe prela conſtat, originem ſine dubio genusque ducit. Officinam ſuam, 24 ſeq.
unde exierunt nobiles hi partus, inſtruxerunt illi artis inventores Moguntiæ in domo *Guttenbergi*, *Zumjungen* dicta, quæ poſtea nomen *Impreſſoriæ* obtinuit ad annum uſque 1508, quo eam habitare cœpit JCtorum ordo, & ab

Ivone

Yvone Wittigise, Juris Canonici Doctore, Inscriptione hac ornata est:

Joanni Guttenbergensi
Meguntino
Qui primus omnium
Literas ære imprimendas invenit
Hac arte de orbe toto bene merenti,
Yvo Witigisis
Hoc Saxum pro monumento posuit
M. D. VIII.

Hujus inscriptionis nihil hodie superest, sed in ejus locum successit alia, longe plenior & elegantior, non *Guttenbergi* tantum, sed *Fausti* etiam & *Schoifferi*, laudibus consecrata, quam, qui scire cupit, ex ipso Autore, qui diligenter eam descripsit, petat.
Pag. 26. Inventum novum diu in arcanis habuerunt Moguntini Socii, omnemque familiam suam, huic rei operantem, ne tale quidquam divulgaret, sacramento obstrinxerunt. Nata hinc est fabula, *Joannem Faustum*, Lutetiæ Parisiorum commorantem, a civibus illius urbis, quibus novum Bibliorum opus venale obtulerat, rei novitatem & singulorum inprimis exemplarium inter se similitudinem mirantibus, criminis Magiæ postulatum, ejectumque urbe, primum Moguntiam, postea Argentoratum, consugisse; quam idoneo carere teste, confidenter negat Autor, &, ad supremos usque vitæ dies rei typographicæ in urbe Moguntina operam dedisse *Faustum*, lectoribus persuasum cupit. A *Kælero* inprimis, Altorfino olim, nunc Gottingensi, Professore, culpam adducti in magiæ suspicionem *Fausti*
27. in monachos conjiciente, quos, in describendis olim libris occupatissimos, non mediocri lucro novum typographiæ inventum privaverit, adeo dissentit, ut, primos potius fuisse monachos, qui acceptam a *Guttenbergo* & *Schoiffero* artem modis omnibus sint prosecuti, nec nisi tum typographiæ nomen monachis invisum factum, cum exstiterint homines, qui, sacris instaurandis ab ea occasionem suppeditatam, dicerent, ostendat. Rupit tandem trium, quos diximus, artificum societatem commune

mune lucri ſtudium, optimis plerumque hominum conſiliis inimicum. Nam, cum partem impenſarum, quas ex lege ſocietatis communes ferebant, *Fauſto* reſtituere *Guttenbergus* recuſaret, isque tandem autoritate judicis impoſitam ſibi ſolvendi neceſſitatem videret, tædio ſocietatis A. 1455 Argentoratum abiit, novæ hic officinæ fundamenta poſiturus. Sed, ea urbe, in qua non ſatis res ſuccedere ex voto videbatur, paulo poſt relicta, typographicam ſupellectilem Harlemum ſecum abduxit, librisque hic excudendis ab A. 1459 operam navare cœpit. Scriptores, qui illas *Guttenbergi* cum *Fauſto* lites & contentiones memorarunt, nullam mereri fidem, oſtenſurum ſe libello integro, *Kœlerus* promiſit; de cujus labore quid ſperandum ſit, vel ex eo poſſe colligi exiſtimat *Marchandus* noſter, quod *Trithemium* hæc narrantem ſomniet, cui nihil unquam ea de re in mentem venerit. Novæ, Harlemi inſtitutæ, officinæ fama cum ad aures perlata eſſet *Thomæ Bourchieri*, Academiæ Oxonienſis Cancellarii, miſit is civium ſuorum duos, æque nobiles ac callidos, *Robertum Tournour*, *Henrico IV* a veſtimentorum cura, & *Guilielmum Caxton*, tunc mercatorem, poſtea typographum, in Belgium, inde, ſi fieri poſſet, artis arcana ſecum in Angliam abducturos. Nec hi diu fruſtra laborarunt; quandoquidem unus operarum *Guttenbergi*, *Fridericus de Corſelles*, pecunia Anglorum facile ſe paſſus corrumpi, clam Harlemo ſe ſubduxit, artemque ſatis adhuc occultam Oxonium transportavit; unde factum, ut inter primas fuerit hæc civitas, quæ libros ſuis prelis excuſos ad poſteros transmiſerunt. Harlemi minime ſubſiſtendum ratus *Guttenbergus*, aliquot annos poſt urbem patriam Moguntiam repetiit; ſatisque conſtat, A. 1465 inter Aulicos *Adolphi* Electoris locum tenuiſſe, ibidemque d. 24 Februarii A. 1468 mortuum. Inſcriptionem ſepulcralem, memoriæ ejus poſitam, alii Moguntiæ, alii Heidelbergæ, oſtendunt. Utramque profert Autor noſter, Moguntinæ majorem, quam Heidelbergenſi, fidem habens. Dum ita per nobiles quasque urbes artem ſuam *Guttenbergus* circumferret, Moguntiæ conſtantem ſedem *Fauſti* & *Schoifferi* tenuit typographia, qui, minime dubitantes, a *Guttenbergo* dudum cum aliis communicatum hoc inventum, & ipſi ſenſim de occultan-

Pag. 28. 30. 31. 32. 33.

do eo laborare desierunt, suisque libris notas subscripserunt, non obscura artis & supellectilis typographicæ indicia præbentes. Primus, quod constat, tali signatus nota, A. 1457, Augusto mense, prodiit *Psalmorum Codex*, liber paucis notus, cujus hodie non nisi duo exstant exemplaria, alterum in scholæ (Academiam non satis accurate dicit Autor noster) Freibergensis, alterum in Cæsarea Vindobonensi, Bibliotheca. Huic verba notatatu prorsus digna sunt inscripta; *Presens Psalmorum Codex, venustate capitalium decoratus, rubricationibusque sufficienter distinctus. Adinventione artificiosa imprimendi ac characterizandi, absque calami exaratione, sic effigiatus. Et ad eusebiam Dei industrie est ɔsummatus. Per* Joannem Fust, *civem Moguntinum, &* Petrum Schoiffer de Gernszheim. *Anno Domini Mil-*
Pag. 34. *lesimo CCCCLVII. In vigilia assumcõnis.* Librorum, quos Argentorati aut Harlemi excuderit *Guttenbergus*, nihil est cognitum; illorum vero, quos aut ipse cum sociis *Fausto* & *Schoiffero*, aut hi soli, absente *Guttenbergo*, Moguntiæ publicarunt, quatuor & decem collegit Autor noster, qui, cum re vera sint omnium, unquam editorum, vetustissimi, quidni hoc in loco nominari mereantur? Sunt autem horum priores quinque omni sine typo-
35. graphorum indicio ante annum 1455 editi. Et quidem in tabulis ligneis impressos, librum *Alphabeti*, *Donatum*, & *Catholicon Joannis Januensis*, typis vero mobilibus excusos *Bibliorum Latinorum* Codicem, & *Catholicon Joannis Januensis*, supra diximus. Ceteros novem soli *Faustus* & *Schoifferus* ediderunt:
36 seq. *Psalmorum Codicem*, 1457, in folio minori; *Durandi Rationale divinorum Officiorum*, 1459, in folio; *Clementis V, P. M. Constitutiones*, 1460, in folio; *Catholicon Joannis Januensis*, 1460, in folio; cujus libri editionem hanc fuisse tertiam, præter ratio-
37. nem *Jo. Alb. Fabricius* negaverat; porro *Dietheri, Electoris & Archiepiscopi Moguntini, Scriptum publicum in causa sua adversus Adolphum, Comitem Nassovium*, exiguæ molis libellum, cujus vix usquam hodie vestigium appareat; *Bibliorum Latinorum editionem secundam*, duorum formæ majoris Voluminum, 1462, Opus elegantissime excusum, & ad hunc diem vix simile sui habens; *Bibliorum Germanicorum* editionem Moguntinam, 1462,

1462, in folio, quam omnes Bibliographi & artis typographicæ Scriptores tacent, unus vero copiose describit *Jo. Alb. Bengelius* in *Apparatu Criseos sacræ*, nuperæ *Testamenti Novi Græci* editioni subjuncto; *Bonifacii VIII Sextum Decretalium Librum*, 1465, in folio, quem an, præter Scholæ Freibergensis Bibliothecam, usquam invenire liceat, incertum est; denique *Ciceronis Officia & Paradoxa*, in folio minori, aut quarto majori, 1465 & 1466, quam utramque annorum notam diversa Operis hujus exemplaria ostendunt. Addit his libris alios *Marchandus* noster, nec annum indicantes, nec *Fausti* & *Schoifferi* nomine signatos, sed, quod chartæ & typorum similitudo docet, horum omnino prelo emissos. Sunt hi *Liber Regule pastoralis Sti. Gregorii Papæ ad Johannem Archiepiscopum Ravennensem*, in 4, antiquissimum sine dubio rei typographicæ specimen; *Magistri Mathei de Cracovia Dialogus Rationis & Conscientie, an expediat vel debeat quis raro vel frequenter celebrare vel communicare*, & *Magistri Henrici de Hassia Expositio super Orationem Dominicam, super Ave Maria, & Speculum Anime*, in 4; *Vincentii Beluacensis*, *Fratris Ordinis Predicatorum*, *Speculum Hystoriale*, in *quatuor* formæ majoris *Tomis*, quorum quisque *octo Libros* continet; *Liber Sermonum sancti Leonis primi Pape*, *Doctoris floridissimi ac eloquentissimi*, in folio; & *Augustini de vera vite cognitione Libellus*, in 4, quem Ulmæ Bibliotheca *Krafftiana* asservat. Cum post annum 1467 editioni nulli adscriptum sit *Jo. Fausti* nomen, & prima harum, quas solus curavit *Schoifferus*, d. 8 Octobr. A. 1467 prodierit, hinc facile colligitur, anno aut 1466, aut 1467, diem suum obiisse *Faustum*, cujus posteros, muneribus publicis insignes, scriptisque clarissimos, hic & accurate nominat, & copiose laudat, Autor noster. Defuncto *Fausto*, solus artem exercuit Moguntiæ *Schoifferus*, ad annum usque 1492, ipsi, ut videtur, vitæ ultimum, librosque prelo suo emisit complures, quorum primum, *Clementis Quinti Opus Constitutionum clarissimum*, 1467, in folio, & postremos duos, *Psalmorum Codicem, cum Prophetarum Canticis, Musicis Notis illustratum*, 1490, in folio, & *Cronik der Sassen*, 1492, in folio, hic adductos legi-

Pag. 40.

46.

47.

mus. Filios reliquit tres, non minorem, quam parens olim, artis diligenter excultæ famam consecutos. Primus horum, *Joannes*, officinæ paternæ successor, ab anno inde 1503 ad 1533 prelo suo exire libros & numero multos, & eleganter excusos, jussit, quorum indicem sat accuratum, sed ab Autore nostro
Pag. 48 seq. aliis sex locupletatum, nobilis Annalium Typographicorum scriptor, *Mattarius*, dedit. Alter, *Petrus*, Moguntiæ pri-
50. mum, postea Wormatiæ & Argentorati, tandem Venetiis, typis exscripsit aliquot Opuscula, quorum hic septem nominantur. Tertius, prænomine *Ivo*, & ipse substitit Moguntiæ, sed libros non nisi quinque edidit; saltem plures in notitiam Autoris nostri non venerunt. Qui deinde ex gente hac *Schoifferiana* prodierunt nobiles typographi, maximam partem penates suos in Belgium transtulerunt. Horum multos ex vetustis mo-
51 seq. numentis diligenter collegit *Marchandus* noster, &, varia de his singularia afferendo, memoriam eorum æternitati consecravit.
49. De *Joanne Meydenbachio*, quem supra diximus a *Guttenbergo* in artis societatem adscitum, quid factum fuerit, haud satis constat; librorum enim, nomine ejus signatorum, nihil usquam apparuit. Sed legitur filii aut cognati ejus, *Jacobi Meydenbachii*, nomen inscriptum libro huic valde memorabili: *Hortus Sani-*
50 seq. *tatis, id est, Liber de Herbis, Animalibus, Avibus, Piscibus, &c. cum eorum Figuris in Ligno incisis*, Moguntiæ A. 1491 in folio excuso, de cujus Autore & Germanica interpretatione, Lubecæ A. 1492 edita, æque diligenter, ac de multis aliis typographiæ monumentis vetustissimis, hic differentem videas Autorem. Pulcherrimam coronidem ipsi de ortu artis typographicæ narrationi impositurus Autor præstantissimus, rem facturum se lectoribus suis satis gratam & jucundam putavit, si, per nobilissimas quasque Europæ cultioris civitates eundo, quo anno unaquæque harum cœlesti illo viderit se munere donatam, & quam editionem paraverit primam omnium, indicaret. Dedit igitur locupletissimum urbium 187, totidemque librorum,
54 seq. quibus antiquiores non viderunt urbes illæ, Indicem, literariis annotationibus, mira eruditione refertis, tanquam gemmis quibusdam, exornatum. Eorum, quæ de ipsa artis typographicæ origi-

origine & tanquam incunabulis copiose attulit Cl. *Marchandus*, momenta hic præcipua summatim attigimus, quibus plura addere, observatione nostra æque digna, angustia nos spatii, & instituti nostri leges, prohibent; quæ nisi essent, ceterorum etiam libri elegantis capitum, in quibus non minorem diligentiam, quam acumen criticum, ostendit Autor, recensione, tanquam pabulo quodam, ingenium Lectorum pasceremus. Sint igitur illa omnia, quæ nos inviti prætermittimus, Lectoris, harum suavitatum cupidi, non lectioni tantum, sed approbationi etiam, relicta, quæ, si Operis insigne merita spectentur, prorsus summa est futura, atque satis ad id valebit, ut ingenio exculto & polito porro Autor doctus ad ornandas bonas literas utatur, &, cui nostro tempore delicati quidam subliniorum studiorum sectatores parum solent pretii statuere, Historiæ literariæ honorem tueri atque dignitatem pergat.

HISTOIRE DE L' EGLISE GALLICANE, &c.

h. e.

HISTORIA ECCLESIÆ GALLICÆ, AUTORE JACOBO LONGUEVAL, e Societate Jesu.

Tomus V & VI.

Lutetiæ, apud Franc. Montalantium, 1733, 4 maj.

Tom. V Alph. 3 plag. 9, Tom. VI Alph. 3 plag. 11½.

Hujus splendidissimi Operis, cujus *quatuor* jam *Tomos A. 1734 Mens. Nov. pag. 495 seq.* recensuimus, *quintum* nunc *Tomum sextum*que recensituri, initio docemus Lectores nostros, eandem, quam prioribus in *Tomis*, servatam esse methodum, singulosque & hic *Tomos tribus* constare *Libris*, singulorum Conciliorum hic exhiberi Canones præcipuos, historias Episcoporum hujus ævi & Abbatum describi diligenter, itemque de Scriptoribus ecclesiasticis, eorumque scriptis, curate disseri, nec silentio prætermitti traditiones de miraculis, hoc ævo frequenter patratis a Sanctorum emortuis ossibus. Servat item Autor ordinem Chronologicum, progressus in *Libro XIII* ab

 anno

anno 788 ad 814; *XIV* usque ad annum 829; *XV* ad annum 849; *XVI* ad annum 866; *XVII* ad annum 899; *XVIII* ad annum 987. Noſtrum nunc eſt, ex hoc hiſtoriarum cumulo ſeligere, quæ Lectori noſtro putaverimus cognitu jucundiora. *Libro* igitur *decimo tertio* deſcribere pergit Noſter Eccleſiæ Gallicæ ſub *Carolo M.* ſtatum, totum hunc *Librum* conſumens hujus Regis & Imperatoris hiſtoria. Ac initio eum hoc laudat nomine, quod ſe præſtiterit obedientiſſimum Epiſcopis in opprimendis hæreſibus, ac ſtrenuum ſe præbuerit *executorem ſententiarum*, ab ipſis in hæreticos latarum. Nata hoc tempore erat *Elipandi Toletani* & *Felicis Urgelitani* hæreſis, Chriſtum habentium pro filio Dei adoptivo. Quod hac in cauſa A. 788 Narbone habitum fuiſſe perhibetur Concilium, ejus Acta Noſter exiſtimat eſſe corrupta, nec aſſentitur ſecus ſentientibus *Baluzio* & *Fleurio*. Certiora ſunt acta Concilii, Ratisbonæ A. 791 juſſu *Caroli M.* habiti, in quo præſens *Felix* ſuum ipſe errorem condemnavit. At, quanquam Romæ, quo ipſum *Carolus* ire juſſerat, condemnationem illam & abjurationem repetiit, redux tamen in Epiſcopatum ſuum perrexit errorem ſuum tueri & propagare. Cumque nec *Elipandus* deſineret idem facere, ſcriptis etiam ad ipſum *Carolum* literis, hic A. 794 ſenatum ſacrum vocavit Francofurtum: ubi *Paulinus*, Aquilejenſis Patriarcha, librum compoſuit, huic errori oppoſitum. Eodem in Concilio cum actum fuerit de cultu imaginum; Noſter primo laudat Concilium Nicenum ſecundum ob reſtitutum confirmatumque cultum illum, condemnatamque Iconoclaſtarum hæreſin. Quorum veſtigia cum poſtea inſtiterint Reformati, feliciter, ſi Diis Criticis placet, conjicit, nomen *Hugenot* ortum eſſe ex *Iconoc*, priori parte nominis *Iconoclaſtarum.* Deinde factum eſſe judicat partim ex odio erga Imperatricem *Irenen*, partim ex Græcæ linguæ imperitia, ut damnaretur Francofurti Nicenum illud Concilium. An *Libri quatuor Carolini contra cultum imaginum*, qui ſuperſunt, ab *Alcuino* ſint compoſiti, & a *Carolo M.* comprobati, *pag. 39* & *43* dubitat, creditque, alind fuiſſe ſcriptum, quod ad Papam miſerit *Carolus* adverſus Concilium illud Græcum. Non tamen

men ſibi conſtat, *pag.* 40 agnoſcens, ad libros *Carolinos*, quos adhuc habemus, accurate reſpondiſſe *Hadrianum* Papam. Hinc reliqua hiſtoriæ Adoptianæ, ut ita loquamur, perſequitur, ac libri, contra *Felicem* ab *Alcuino* ſcripti, recenſionem exhibet. Cetera omittimus, indicaſſe contenti, hiſtoriam hujus controverſiæ vel, ut nonnulli arbitrantur, logomachiæ eccleſiaſticæ, uberrime eſſe ab Autore noſtro expoſitam. *Pag.* 69 refert, hoc ipſo temporis tractu docuiſſe quosdam, confeſſionem peccatorum non eſſe edendam ad ſacerdotem, ſed ad ſolum Deum: commemoratque epiſtolam *Alcuini*, errorem hunc refutantis. Cum autem inde concludit, erraſſe *Chemnitium* noſtrum, docentem, ante decimum tertium Seculum confeſſionem illam non fuiſſe habitam neceſſariam, nos reſpondemus e *Chemnitiani Examinis Concilii Tridentini Part. II Lib. IX §. 40,* hanc ejus fuiſſe ſententiam, *ante illud tempus* (en ipſius verba!) *non exſtitiſſe præceptum in Eccleſia de enumerandis ſacerdoti omnibus delictis, quorum quis remiſſionem a Deo quærat.* Seditionem, adverſus Papam *Leonem III* excitatam Romæ, Noſter *pag.* 77 *ſeq.* commemorat, traditionemque, quod tum Papæ eruti fuerint oculi, & abſciſſa lingua, quodque paulo poſt miraculo eximio recuperarit & oculos & linguam, ita defendit, ut indignetur Criticis, eam inter fabellas referentibus. Ac ſane pluribus documentis Noſter in hoc Opere docet, ſe non eſſe Hiſtoricum criticum, ſed eas habere pro veris narrationes, quæ ſuæ Eccleſiæ videntur utiles ac glorioſæ. *Pag.* 88 referens, *Carolum M.* a morte uxoris *Luitgardis* quatuor ſucceſſive habuiſſe concubinas, has putat (id quod *pag.* 145 & *pag.* 211 & *pag.* 314 repetit,) veras fuiſſe uxores, ſed non ſolenniter ab eo ductas in matrimonium. Hinc deſcribit iter a *Carolo M.* Romam A. 800 ſuſceptum, poſtquam ad ipſum Paderbornam veniſſet Papa *Leo III.* Hic quoque Noſter credit, *Carolum* renuntiatum a Papa fuiſſe Imperatorem & ignarum conſilii Papæ, & invitum. Poſtea, quæ a *Carolo* Imperatore, & ſub eo Imperatore, geſta ſunt in Eccleſia, enarrat, leges inprimis *Caroli* recenſens illas, quæ pertinent ad Clericos. Deſcribit hic item *Alcuini* & eruditionem & mores,

res, ſimul ſcripta ejus commemorans cum genuina, tum ſuppoſititia.

In *Libro XIV* multa exhibentur Conciliorum, ſub *Ludovici Pii* regno habitorum, decreta, Statuta item, ad reformandum ſtatum monaſticum edita: ubi & commemoratur monachorum, in pluribus monaſteriis irregulari vitæ aſſuetorum, tumultuoſa contumacia. Alia quæque Statuta hic occurrunt, ſtatum reformatura eccleſiaſticum. Inter hæc Noſter *pag. 323 ſeq.* agens de legatione Imperatoris *Michaelis* ob cultum imaginum, omni cura cauſam agit ſuperſtitionis orientalis, ſacrarumque imaginum cultores ſollicite defendit. Ac de Concilio agens, hac in cauſa Pariſiis A. 825 habito, ubi cultus imaginum & ſimul Concilium Nicenum II damnatum fuit, defenſique *Libri Carolini* contra *Hadriani* Papæ Epiſtolam; imperitiæ accuſat & præcipitantiæ (utriusque vitii ipſe reus) Patres Pariſienſis Concilii. Faſſus præterea *pag. 333*, hoc tempore Epiſcopos Galliæ ſtatuiſſe, ſacras imagines non eſſe confringendas, ſed retineri in templis poſſe, ita tamen, ut nullus iis exhibeatur cultus religioſus; id ægerrime ferens, atro carbone notat *Claudium*, Taurinenſem Epiſcopum, acriorem ſuperſtitionis iconolatricæ inſectatorem. Nec proinde placent ipſi ſcripta *Jonæ Aurelianenſis* & *Agobardi* de imaginum cultu, Pontificiæ quippe, quæ poſtea invaluit, de ſacris imaginibus doctrinæ minus faventia. Imo *pag. 346* docet, cultum Sanctorum hoc tempore a Deo confirmatum fuiſſe plurimis miraculis, preces ad eos emiſſas ſecutis: quorum multa recitat, noſtram quidem fidem excedentia.

Quæ *Libri XV* initio narrantur fuſe de rebellione filiorum adverſus patrem *Ludovicum Pium*, prætermittimus, magis quippe ad Hiſtoriam civilem pertinentia, quam ad eccleſiaſticam. *Pag. 453 ſeq.* recitat Noſter Canones Concilii Aquisgranenſis, A. 836 habiti, pulchre obſervans, ſolere ſub Principe tali, qualis *Ludovicus Pius* fuit, plurimas dari leges, ſed ſervari pauciſſimas. Quæ deinde tradit de reliquiarum translatione hoc tempore facta, e. g. S. *Liborii* Paderbornam, S. *Viti* Corbejam, merito præterimus. Delatus ad mortem *Ludovici Pii*,

ejus

ejus indolem ita deſcribit, ut, ipſum ſolo zelo religioſo fuiſſe ſimilem patris, pronuntiet, bonosque inter Chriſtianos, non item magnos Imperatores, numerari poſſe. Quæ poſt ejus mortem in Gallia geſta hic deſcribuntur ad Hiſtoriam pertinentia civilem, omittentes, docemus, *pag. 512 ſeq.* copioſe agi de *Hincmari*, Rhemenſis Archiepiſcopi, fatis, moribus, & ſcriptis. Noſter eum vocat *gloriam Eccleſiæ Gallicæ, ſive eruditionem ſpectes, ſive zelum, terrorem hæreticorum, animam & eccleſiaſticorum & politicorum conſiliorum in aula Regia.* Pluribus hic etiam agitur de *Paſchaſio Ratberto*, & ejus ſcriptis.

In *Libri XVI* exordio multis exponitur hiſtoria *Gotheſchalci*, errantis graviſſime in doctrina de prædeſtinatione. Simul pergit Noſter acta eccleſiaſtica deſcribere *Hincmari Rhemenſis*. Hic *pag. 89* agnoſcit ingenue fabulam, hoc Seculo ditam, de æterna *Caroli Martelli* damnatione ob occupata bona eccleſiaſtica. Singulari ſtudio *pag. 115 — 152* perſequitur, quæ acciderunt ob *Lotharii* Regis ſeceſſionem ab uxore *Teutberga*, digna ſane lectu vel propterea, ut cognoſcatur, quam miſera tum fuerit Regum conditio ſub imperio vel potius tyrannide ſacerdotali.

Initio *Libri XVII* laudatur *Nicolai I* Papæ fortitudo & prudentia, in ſchismate *Photiano* luculenter oſtenſa, ſimulque ejus, A. 867 d. 13 Nov. exſtincti, acerrimus prædicatur zelus tuendi autoritatem ſive majeſtatem Papalem. Poſtea *pag. 219* exemplo quodam docet Noſter, quæ hoc tempore fuerit ratio examinis, ei ſubeundi, qui creandus eſſet Epiſcopus. Diſcimus inde, tantum eruditionis in eo requiſitum fuiſſe, ut legere & intelligere poſſet unum Caput e *Gregorii M.* Paſtorali, & unum item Canonum eccleſiaſticorum. Et tamen Noſter *pag. 226* miratur & laudat circumſpectionem, hac tempeſtate adhibitam, ut bonos acciperet Eccleſia Epiſcopos. Singulari etiam diligentia hic deſcribit ritus ordinationis Epiſcoporum. *Pag. 241 ſeq.* perſequitur bellum ſacrum, ut ſic loquamur, ſive concertationem duorum *Hincmarorum*, Rhemenſis & Laudunenſis: quorum prioris a partibus Rex ſtabat, & Concilium, ea de cauſa habitum. Exauctorationem Laudunenſis cum non

 appro-

approbaret Papa *Hadrianus II*, quia ſcilicet facta eſſet non expetito ipſius conſenſu, atque ideo acerbiores literas mitteret in Galliam; Rex inter alia ipſi ita *pag.* 273 reſpondit: *Rogamus te per Deum & per Apoſtolos, ut in literis, ſive ad me, ſive ad Epiſcopos, ſcribendis, poſthac abſtineas ſtilo duriore, nec nobis cauſam præbeas literas tuas pariter & Legatos excipiendi contemtu.* Noſter addit, Papam paruiſſe conſilio huic, & poſtea ſcripſiſſe mollius. *Pag.* 321 *ſeq.* adventus *Joannis VIII* Papæ in Galliam memoratur, & habitum ibi ab eo Concilium. Accidit hoc in itinere Papæ, quod nec *Petro*, nec ulli Apoſtolorum, acciderat, ut ei furto ſurriperentur equi ſui, & præterea ſcutella argentea: quos profaniſſimos fures juſta ira incenſus Papa confeſtim devovit Diris. Tum Concilium habuit in urbe Trecenſi, quod hic deſcribitur. Inito jam Concilio, acceſſit Rex *Ludovicus*, quem Papa tum coronavit. Venit huc etiam oculis privatus *Hincmarus* Laudunenſis, ſuas ad Papam deferens querelas de Rhemenſi *Hincmaro*. Ac ei Papa poteſtatem largitus eſt Miſſas faciendi in cœcitate ſua, & ex Epiſcopalibus vivendi reditibus. Ibi etiam Papa excommunicavit uſurpatores Eccleſiaſticorum bonorum. Poſtea Noſter *Hincmari* Rhemenſis, A. 882 d. 7 Dec. mortui, poſt geſtum 37 annis, ſeptem præterea menſibus & quatuor diebus, Epiſcopatum, tum morum, tum ſcriptorum, vitia pariter & virtutes indicat ingenue.

Seculum decimum exordiens Autor *Libro decimo octavo*, non ſolum fatetur, recte id vocari *ferreum* atque *obſcurum*, ſed dolet etiam, hoc Seculo a meretricibus fuiſſe creatos pariter ac depoſitos *Vicarios Chriſti*: gratulans tamen ſimul Eccleſiæ de miraculo divinæ providentiæ, quæ tam miſera tempeſtate religionem conſervarit incorruptiſſimam. *Pag.* 409 *ſeq.* deſcribit tranſitum Normanicæ gentis ad religionem Catholicam; commemorans etiam ortum & proſperos ſucceſſus monaſterii Cluniacenſis. *Pag.* 484 – 515 deſcribitur concertatio duorum Archiepiſcoporum Rhemenſium, quorum alter quinquennis puer fuerat electus, alter poſtea Canonice in locum prioris. At pater hujus, Comes *Herbertus*, bello propterea ſuſcepto cum Rege, qui puerum nolebat eſſe Archiepiſcopum, valde

valde afflixit Galliam: quanquam tandem justioris causa fuit victrix. *Pag. 532 seq.* exhibet Noster *Ratherium*, Episcopum Veronensem, postea Leodiensem, sed utroque exutum: quem ait non indoctum, nec sancti zeli expertem, fuisse, sed prudentia caruisse rectoria. Ejus fatis mirabilibus descriptis, scripta quoque recenset ejus: quorum vel tituli produnt mirum Autoris ingenium. *Pag. 555 seq.* de *Flodiardo* agitur, hujus temporis bono Historico, & Monacho præclaro, deque ejus scriptis, e quibus se fatetur Noster multa hausisse ad rite componendam hujus ætatis historiam. Claudit *pag. 576* hunc *Librum* Noster mentione *Hugonis Capeti*, conditoris familiæ Regiæ, quæ adhuc regnat, nullum tam longæ successionis exemplum habente historia omnis ævi.

RECENSIO CHRONOLOGIÆ SACRÆ ET profanæ VIGNOLIANÆ continuata & finita.

Vide *Nova Acta Anni* præsentis *Mensis Martii P. I pag. 97, Mens. Aug. pag. 438, & Mens. Sept. P. I pag. 494.*

Quam *Libro V Chronologiæ* suæ *sacræ* Venerandus *Vignolius* de *Regibus Babyloniæ* nobis exhibet elaborationem, eam, non dubitamus, in tanta scribentium multitudine, qui circa hoc argumentum calamos exercuerunt, reliquis palmam prærepturam esse. Nobis, qui jam aliquoties recensioni hujus non satis prædicandi Operis Chronologici vacavimus, summas rerum hic attigisse suffecerit, ut Lectorum sitim non tam restinguere, quam augere potius & incendere, videamur. Quoniam vero Regibus Babyloniæ ex *Canone Ptolemæi* lux lucidissima oritur, hic autem *Canon* ad Æram *Nabonassaream* constructus est; Autor primo agit de *Æra Nabonassari*, tum quoque de ipso, quem diximus, *Canone*.

Postquam docuit, exiguum aliquod esse discrimen inter *Æram* & *Epocham*, quæ vulgo vocabula inter se confundi solent, videlicet, *Æram* esse rationem annos numerandi, & *Epocham* initium, unde anni numerantur; ostendit ex *Ptolemæo*, *Æram Nabonassari* certum & fixum habere principium in *Anno Per. Jul.* 3967, ejusque *Febr.* 26, & hinc facillimo ne- CAP. I pag. 328.

gotio omnium annorum principium in annis *Jul. Per.* reperiri. Cum autem nonnulli viri docti exstiterint, qui negarent, ante *Claudium Ptolemaeum*, Scriptorem Seculi post Christum natum secundi, hanc Epocham fuisse usitatam, eorum argu-
Pag. 332. menta Autor ordine expendit, &, amotis scrupulis, concludit, *Alexandri Magni* aetate hanc Æram a Babyloniis excogitatam,
CAP. II sensimque adhiberi coeptam esse. Accedit deinde ad ipsum
pag. 346. *Canonem Regum*, cujus primo editiones *Scaligeri*, *Overalli*, *Calvisii*, *Bainbridgii*, *Dodwelli*, enumerat. Atque utinam licuisset conferre observationes de *Canone Regum Astronomico*, ejusque Autoribus, Editionibus, MStis, & quae eo pertinent, a doctissimo Chronologo in lucem emissas Amstelodami A. 1735. Hinc enim hanc pertractationem non tam locupletare, quam
348. ornare magis & confirmare, potuisset. *Secundo* exhibet ipsum *Canonem*, in sex columnas distinctum, quarum 1 annos Periodi Julianae; 2 annos Christi; 3 dies annorum primos; 4 nomina Regum Assyriorum, Persarum, Graecorum, Ægyptiorum, Imperatorum a *Nabonassaro* ad *Antoninum Pium*; 5 annos regni cujuscunque Regis; 6 summam annorum, repraesentant. *Ter-*
351. *tio* inquirit in hujus Canonis Autorem, & probabili conjectura assequitur, eum fuisse *Berosum* Babylonium, ex ejus tempore &
357. studiis, ex *Josepho*, ex *Hipparchi* observationibus. *Quarto* declarat methodum hujus *Canonis*, eamque plurimis exemplis illustrat. Quae res, cum debeat esse Chronologis notissima, hic nos ulterius non morabitur. Saltem hinc constat, nos tuto vestigiis *Canonis* insistere, in quo errores calculi locum habere non possint. Adstructa hunc in modum *Canonis* autoritate & veritate, Reges ipsos perlustrandos suscipit Venerabilis *Vignolius*, illos praecipue, quorum nomina in sacris monumentis reperiun-
CAP. III tur, facto tamen exordio a *Nabonassaro* omnium primo, cui
pag. 367. *Æra* nomen, & forsitan originem, debet. De hoc *Nabonassaro* cum taceant Annales, & de quo nihil prorsus sciremus, absque hac esset Epocha, merito quaeritur, quis fuerit, & cur ab ipso Epocha, quam diximus, exordium ceperit. Statuit Autor cum viris doctissimis, post exstinctum antiquissimum Assyriorum imperium in *Sardanapalo*, apud Medos Asiae principatum

rese-

resedisse: Babylonios autem præfectis Regis Mediæ paruisse, donec, excusso Medorum jugo, *Nabonassarus* primus Regium sibi nomen vindicaverit. Accessisse restitutionem scientiæ Astronomicæ, diu in his turbis neglectæ, & postea a Babyloniis majorem in modum excultæ, quod fusius ab Autore probatur. Ceterum, ut diximus, annus *Nabonassari primus* est *Periodi Julianæ* annus 3967, & annus ante Christum 747. Sacræ literæ, regnante *Ezechia*, Regem nobis inducunt Babyloniorum *Merodach Baladanem*, quem nihil differre a *Mardocempado*, *Canonis* Autor lucidissime demonstrat. Cumque *Mardocempadi* annus primus incidat in A. P. J. 3993, & A. C. 721, manifestus est synchronismus *Merodaci* & *Ezechiæ*. Hac occasione obiter agit de retrocessione Solis an Umbræ, deque causa legationis Babylonicæ ad *Ezechiam*, quæ melius in ipso Libro legentur. Interjectis duobus interregnis, & Regibus aliquot, sequitur in Canone *Assaradinus*. Quod viri docti dudum conjecerunt, *Assaradinum* ab *Assarhaddone* Sacræ Scripturæ non discrepare, illud synchronismus mirifice confirmat. Iisdem enim annis floruerunt; quandoquidem ex *Canone* primus *Assaradini* est Per. Jul. 4034, A. C. 680, qui ipse annus incidit in ætatem *Manassis*, quem synchronum fuisse *Assarhaddoni*, suo loco *Libro III* demonstratum est; ubi quoque vidimus, quomodo *Assarhaddon*, Rex Assyriæ, reperiatur in *Canone* Regum Babyloniorum. Hac occasione Autor brevibus disserit de Coloniis in Palæstinam missis, & existimat cum *Clerico*, *Asnapparem*, *Esræ* IV memoratum, non ipsum *Assarhaddonem*, sed ejus fuisse præfectum ac belli ducem. Qui sequuntur in Canone *Saosduchinus* & *Ciniladanus*, neque in Sacris, neque alibi, memorantur. Itaque, postquam in transitu aliter sentientem *Pezronium* correxisset, ad *Napolassarum* transit Autor, patrem *Nebucadnezaris*, Regis Babyloniæ, & rebus gestis & fatis in S. Scriptura illustrissimi. Ut autem eo melius intelligantur ea, quæ de hoc Rege, ejusque successoribus, in compendio dicemus, inserenda est Tabella ex *Canone*, cum annis Regnorum, annis ante Christum, & annis Periodi Julianæ.

CAP. IV pag. 376.

CAP. V & VI pag. 385-388.

CAP. VII pag. 391.

CAP. VIII pag. 397.

	A. Regn.	A. C.	A. P. J.
Nabopollaſſar	21	625	4089
Nabocolaſſar	43	604	4110
Ilvarodomus	2	561	4153
Niricaſſolaſſar	4	559	4155
Nabonadius	17	555	4159
Cyrus	9	538	4176

CAP. VIII pag. 397. Principium *Nabopollaſſari* incidit in annum P. J. 4089, & ante Chriſtum 625, quod non ſolum ex *Canone*, ſed & ex memorabili Eclipſi Lunæ, confirmatur, cujus veritatem Autor pluribus adſtruit. Hinc autem ſequitur, *Nabopollaſſarum* cœpiſſe cum anno *Joſiæ* XV; &, etiamſi ejus nomen in Sacris non reperiatur, celebre tamen fragmentum nobis *Beroſi* conſervavit *Joſephus*, in quo pater *Nebucadnezaris* vocatur *Nabucodonoſor*, quod propter nominum convenientiam facile accidere potuit. Hoc fragmento illuſtrato, & cum hiſtoria ſacra compoſito, Autor ad ipſum *Nebucadnezarem* progreditur, cujus memoriam ſacri Hiſtorici in ſuis monumentis æternam reddiderunt.

CAP. IX pag. 409. Hic autem propter rerum multitudinem ordine perluſtrat *primo* annos ejus regni. Ex *Canone* cœpit A. P. J. 4110, A. C. 604, qui ipſe annus reſpondet anno *quarto* & *quinto Jojakimi*, Regis Judæ; ex quo ſynchroniſmo ſimul immenſo argumento evincitur, Canonis *Nabocolaſſarem* eſſe Scripturæ *Nebucadnezarem*: quod ipſum, propter inſigne rei momentum, & quia tota ſacra Chronologia per hunc ſynchroniſmum luce perfunditur, Autor copioſius explicat, & ab omnibus ſcrupulis liberat: quæ avidi Lectores ex ipſo libro melius haurient. Nos nunc ad ulteriora feſtinamus. Nam Venerabilis Senex

425. *ſecundo* agit de rebus geſtis *Nebucadnezaris* ante regni exordium. Harum mentionem facit *Beroſus* & *Daniel*, cujus in Prophetiarum initio hæc legimus: *In anno tertio regni Jojakimi, Regis Judæ, venit Nebucadnezar, Rex Babyloniæ, Hieroſolymam, eamque obſidione cinxit. Dedit autem Deus in manum ejus Jojakimum, Regem Judæ, & partem vaſorum*

ſorum domus Dei, &c. Jam, cum ſuperius dictum ſit, ac deinceps probetur, *Nebucadnezaris annum primum* convenire *Jojakimi anno quarto*, quæritur, quare *Daniel* hunc *Nebucadnezarem anno Jojakimi tertio* Regem Babyloniæ ſalutaverit, cum Rex nondum eſſet. Nonnulli huic dubio reſpondent ex eo, quod pater filium ante mortem ſocium regni adſciverit; ſed Autor melius ſtatuit, per anticipationem Regio nomine illum citari, quod tot exemplis ex veteri & recentiori hiſtoria probat, ut omnibus hic ſatisfactum exiſtimemus. Recenſitis deinde reliquis rebus ante regnum geſtis, *tertio* ad regnum Pag. 436.
ipſum accedit, cujus principium *Jeremias XXV, 1*, extra dubitationem conſtituit: *Verbum, quod fuit ad Jeremiam adverſus omnem populum Judæ anno quarto Jojakimi, filii Joſiæ, Regis Jehudæ, qui eſt annus primus Nebucadnezaris, Regis Babyloniæ.* Quid egerit *anno primo* regni, ex *Beroſo* lucem accipit. Anno *ſecundo* ſomnium myſticum per quietem vidit, quod *Daniel* interpretatus eſt, *Daniel. II.* *Anno ſeptimo Jojakimum* rebellantem vicit & interfecit. *Jehoniam* itidem, regno privatum, in captivitatem abduxit, ſubſtitutoque in ejus locum *Zedekia*, quod *quarto* exponitur, *Cyaxari* Medo in obſidione 441.
urbis Ninive fuit auxilio, quocum affinitatis vinculo erat conjunctus. Accidiſſe hoc anno nono *Nebucadnezaris*, ex ſynchroniſmis, & ex libro *Tobiæ*, cujus teſtimonium ſpernendum non credimus, & aliunde, ulterius adſtruit *Vignolius*, ſoluto ſimul nodo ex *Ezechielis XXXI*, & illuſtrato in tranſitu *Nahumi* tempore. Jam pergit ad obſidionem Hieroſolymæ ſub *Zedekia*, 447.
de qua tamen cum ex profeſſo egerit *Libro II*, hic tantummodo ea adducit, quæ ſuperioribus clarius intelligendis poterant eſſe adjumento. Itaque reperias hic *Diarium* hujus obſidionis accuratius expoſitum, & novis argumentis corroboratum; ipſa vero expugnatio incurrit in *Nebucadnezaris annum XVIII.* Ad res circa Tyrum geſtas nunc ſe confert Venerabilis Senex. De hujus nobiliſſimi emporii fatis vaticinatur *Ezechiel Capitibus* 453.
XXVI, XXVII, & XXVIII. Capitis XXVI hoc legimus exordium: *Anno undecimo, primo* (die) *Menſis*. Annus undecimus eſt a captivitate *Jehoniæ*, qua Epocha *Ezechiel* uti ſolet. Is

autem

autem componitur cum anno XVIII *Nebucadnezaris*. Cum vero Propheta diem quidem expresserit, omisso mensis nomine, conjicit Autor, hoc olim ex Codice Hebræo excidisse. Quod ad rem ipsam attinet, Tyri obsidionem refert ad annum *Nebucadnezaris* XX. Regem adeo Tyri fuisse *Ethbaalem*, sive *Ithobaalem*; qua occasione verba quædam sancti Vatis dilucidat Pag. 464. *Ezech. XXVIII, 2, 12*, itidemque historiam belli inter *Cyaxarem*, Mediæ, & *Alyattem*, Lydiæ Regem, quam apud *Herodotum* relatam legimus. Tandem, cum validissime resisterent Tyrii, post tredecim demum annos urbs in potestatem Regis venit, adeoque anno XXXIII. Hoc facto, Deus Regi, quasi in tam diuturna ac tam difficili obsidione operæ pretium non tulerit, Ægyptum præmii loco promittit *Ezech. XXIX, 17–20.* Itaque de bello Ægyptiaco, victo *Hophra*, sive *Aprie*, Ægyptiorum Rege, aliisque præclare gestis, Autor porro agit ad annum XXXV, quo post tot victorias, tot urbes expugnatas, tot gentium victor *Nebucadnezar* in patriam redux Babylonem exornare cœpit, & summa magnificentia exstruere. Sed, cum propterea sese ultra modum efferret, judicium Dei incurrit, & per septennium ratione privatus est, donec, recuperato intellectu, supremam Dei in omnia potentiam agnosceret, ut apud *Danielem* legimus: & paulo post supremum diem obiisse videtur anno regni XLIII; quæ omnia, ex caligine temporum eruta, in plenam lucem protraxit Venerabilis Autor.

CAP. X pag. 472. *Nebucadnezarem* excepit filius *Evilmerodachus*, qui *Jechoniam*, Judææ quondam Regem, anno 37 captivitatis libertati restituit, *2 Reg. XXV.* In *Canone* sequitur *Ilvarodamus.* Cum autem tum ex nominum convenientia, tum aliunde quoque, constet, *Ilvarodamum* ab *Evilmerodacho* non differre; illius autem annus primus sit Æræ *Nabonassareæ* 187, & Periodi Jul. 4153, & captivitatis *Jechoniæ* 37; certissimum habemus tandem *characterem*, cujus ope anni Regum Judæ cum annis *Nabonassareis*, & Periodo Juliana, combinari possint: quod sane in Chronologia sacra summi haberi debet momenti, uti Autor ostendit pluribus, & nos supra innuimus.

CAP. XI pag. 475. *Evilmerodacho* in *Canone* dantur anni 2, nec dissentit *Berosus*. Sed in successoribus *Canoni* neque cum *Beroso*,

roso, neque cum sacris, satis convenire videtur. *Canon* nobis exhibet *Niricassolassarem*, eique assignat annos quatuor. Hoc nomen reperimus in sacris. *Berosus* notat, *Evilmerodachum* propter vitia a *Nerigliss aro* affine interfectum esse; eoque mortuo, successisse *Laborosoarchodum* per novem menses: quo etiam occiso, regnum pervenisse in potestatem *Nabonadii*. Itaque prima quæstio movetur circa *Nerigliss arem*, in Sacris, ut credunt, tacitum, cum tamen eundem *Canon* ac *Berosus* exhibeant. Sententiam Autoris statim audiemus. Interim existimamus, *Neriglissarum* fuisse eundem, quem *Jer. XXXIX, 3, 13*, vocat *Nergar-Sar-Ezerum*, quem Babyloniæ Principibus accenset, & Magorum præfectum appellat. Principi tantæ autoritatis *Nebucadnezar* filiam in matrimonium denegare non potuit. Apud *Berosum* sequitur *Laborosoarchodus*, adolescentulus, Rex novem mensium. Cur hunc *Canon* omiserit, ratio patet. Nullius enim ibi Regis nomen comparet, cujus regni spatium intra annum concluditur. Neque affirmare possumus, *Laborosoarchodum* eundem esse, quem *Belschazarem* S. Scriptura nominat, etiamsi nomina consentiant. Hujus enim annus tertius in *Daniele* notatur. Cum autem in *Canone Niricassolassarum* statim excipiat *Nabonadius*, *Belsazaris* præterito nomine; recte quæstiones moventur tum de *Belschazare*, tum de *Nabonadio*. Et præstantissimi quidem Chronologi opinantur, his duobus nominibus unum eundemque Regem designari. Sed aliter videtur Venerabili *Vignolio*. Itaque primum pertractat argumentum de *Belschazare*, & tum ex diversis nominibus, tum ex annorum discrimine, & rebus gestis, clarissime evincit, *Belschazarem* cum *Nabonadio* neutiquam esse confundendum. Nos quidem hæc omnia, digna, quæ cum attentione legantur, & expendantur, hic in compendio exhibere non possumus. Probabile tandem putat, *Belschazarem* ipsum illum *Canonis* esse *Neriglissarum*, cujus modo meminimus; cumque simul satisfaciat objectionibus, quibus hæc sententia impugnari queat, non credimus, in tanta obscuritate meliorem excogitatum iri. Sed ecce alius nodus vindice dignus! Post trucidatum *Belschazarem*, *Daniel* memorat, Babyloniæ regnum acce-

Pag. 477.

CAP. XII pag. 480.

CAP. XIII pag. 495.

 pisse

pisse *Darium* Medum; in *Canone* autem vestigia *Nirigliffari*, quem diximus esse *Belschazarem*, premit *Nabonadius*. Num itaque *Nabonnadius* cum *Dario* Medo unam eandemque personam constituit? Vexatissima quæstio, circa quam ingenia Chronologorum mirifice sese exercuerunt. Autor sententias præstantissimorum Virorum, *Scaligeri*, *Petavii*, *Josephi*, quem *Usserius* sequitur, *Marshami*, *Pezroni*, *Genebrardi*, accuratiori judicio submittit, & tandem pronuntiat, *Nabonadium* Canonis, & *Nabonnidam* Berosi a *Dario* Medo plane differre. *Nabonadium* ultimum fuisse Babyloniorum Regem, cujus tempore *Cyrus* Babylonem expugnaverit: eumque ante subactam Babylonem a *Cyro* victum, in Borsippenam urbem confugisse: ibi autem conclusum, & in angustias redactum, *Cyro* sese in manus tradidisse, & ab eo clementer habitum, ac Caramaniæ præfectura donatum esse. Capta postea Babylone *Cyrum* Babyloniis Regem dedisse *Darium* Medum, qui ipse fuerit frater *Astyagis*, ultimi Medorum Regis, & filius *Cyaxaris*. Hunc porro *Darium*, quia sexagenario major non integrum annum regnaverit, in *Canone* non comparere, sed *Nabonadium* proxime cum *Cyro* conjungi. Hæc omnia, conjecturis ac tricis liberata, Venerabilis Autor pleniori luci exponit, & negotium feliciter exequitur, ut simul & Historiæ sacræ, & *Canoni Ptolemaico*, sua veritas constet. Neque quemquam doctorum virorum in hoc perplexo argumento tam laudabiliter, & tanto acumine, versatum esse cognoscimus.

CAP. XIV pag. 524. Hoc adeo perfunctus labore, ad *Cyrum* dilabitur, quem sibi in hoc Chronologiæ suæ stadio metam constituit. De *Cyro* triplex exstat narratio *Herodoti*, *Xenophontis*, & *Ctesiæ*. Cum vero *Herodoto* in omnibus non conveniat cum *Xenophonte*, & multi hujus autoritatem *Herodoto* præferendam existiment; Autor de fide horum in historia Triumvirorum copiosius agit, ac multis rationibus evincit, Cyropædiam *Xenophontis* *Herodoto* esse postponendam. Fieri nequit, ut argumenta in medium proferamus. Sed credimus, *Vignolium* in hac pertractatione lectu dignissima omnibus æquis Lectoribus plene satisfecisse. Hoc facto, inquirit in natalem *Cyri* annum, eumque ex *Cicerone* ac *Dinone* alligavit anno A. C. 599, ubi simul

542. de

de juventute *Cyri* quædam interſperguntur. Agit deinde de regno *Cyri* Perſico A. C. 559, de bello Medico contra *Aſtyagem*, de bello contra *Crœſum*, & aliis ad hoc intervallum ſpectantibus rebus. Tum accedit ad bellum Babylonium A. C. 539, ubi paſſim vaticiniis ſacris lucem accendit, & Hiſtoricos illuſtrat, & *Xenophontis* narrationem cum *Daniele* ac *Herodoto*, quantum fieri poteſt, componit. Tunc ſigillatim pergit ad *Darium* Medum, cujus originem & regnum e tenebris eruit; & tandem *Cyri* imperium Babylonicum, annumque emortualem, clarius conſtituit. Poſt tot caſus & diſcrimina perventum eſt ad finem captivitatis Babylonicæ, quem cum Autores ſacri cum anno primo *Cyri* conjungant, iterum difficultas oboritur, quisnam ſit ille annus *Cyri* primus. Negotio penitus excuſſo, cum plerisque ſentit Autor, annum hunc primum *Cyri* primum eſſe Monarchiæ Babylonicæ. Itaque hiſtoriam liberationis Judæorum ſingulari cura explicat, & ex *Xenophonte* mirabilem locum adducit: *Cyrum*, jam Babylonem urbem ingreſſum, per vicos præcones dimiſiſſe, qui clamarent, ut omnes *Syriace loquentes* intra domos ſe continerent, ne promiſcue cum aliis in plateis occiderentur. His enim verbis *Judæos* ſignificari, nullus forſitan dubitaverit. His expoſitis, cum *Darius Hyſtaſpis* filius ſuperſit, cujus ætate templum ſecundum perfectum legimus, ad ſolvendos nodos, qui hic nequicquam necti ſolent, progreditur, tandemque ex harmonia totius ſyſtematis ſui Chronologici cum omnibus partibus docet, totum ædificium ſacræ ſuæ Chronologiæ firmo, ſolido, & immoto fundamento ſuperſtructum eſſe.

Pag. 549. — 555. — 569. — CAP. XV pag. 580. — 594.

Librum VI inſcripſit Venerabilis Senex *de anno vetere*, aut, ſi mavis, *de anni antiquiſſimi forma*. Etiamſi hoc labore potuiſſet ſuperſedere, cum intervallum temporis, quod illuſtrandum in ſe ſuſcepit, antegrediatur; nihilo minus hunc *Librum* Chronologiæ ſacræ, totiusque materiæ Chronologicæ, Supplementum recte dixeris. Plenum enim reperies elegantiſſimæ diſquiſitionis, & rebus ac diſceptationibus curioſiſſimis abundantem. Ceterum, cum fieri nequeat, ut propter frequentiores calculos hunc *Librum* in epitomen redigamus, ſummas res

 indi-

indicasse suffecerit, ut benevoli Lectores saltem cognoscant,
CAP. I quantum eruditionis in hoc thesauro recondatur. Dum itaque
pag. 610. tractationem exorditur ab *origine anni*, docet, primam temporis revolutionem esse *diem*, postea homines ex lunæ phasibus *mensem* didicisse, & tandem intercapedinem *anni* pervestigasse. Annum autem primis temporibus composuisse homines ex duodecim mensibus triginta dierum, adeo, ut annus ipse
CAP. II fuerit dierum 360. Hoc probari ex historia Diluvii, quæ in
pag. 614. transitu luce haud exigua perfunditur; ex traditionibus Chal-
CAP. III dæorum vetustissimis, ubi explicantur Sari, Neri, & Sossi,
pag. 624. Chaldaicæ periodi, & evolvuntur anni 432000, quibus primi Chaldæorum decem Reges regnasse leguntur apud *Berosum*;
630. ex loco *Alexandri Polyhistoris*, scribentis, post diluvium apud Chaldæos 86 Reges floruisse per annos 34080, ex annis *Cal-*
632. *listhenis* 1903, quorum memoriam asservavit *Simplicius*; ex
635. annis 720000 *Epigenis*, quot annis videlicet Babylonii habuerint cœlestes observationes, coctilibus laterculis inscriptas, ut te-
637. statur *Plinius*; ex annis porro *Berosi* 480000, quos idem *Pli-*
639. *nius* allegat; ex annis itidem *Ciceronis* 470000, & *Diodori Siculi* 473000; ex annis quoque *Hipparchi* 270000, & aliis nonnullis monumentis historicis. Eandem rem, videlicet annum non excessisse dies 360, confirmari ex distributione Zodiaci in
643. signa XII; quodvis enim signum continere triginta gradus, pro
645. dierum in mense numero: & totum circulum gradus 360. Adde denique ambitum urbis Babyloniæ, quem *Ctesias* scripsit 360
CAP. IV stadiorum fuisse. A *Chaldæis* progreditur Autor ad *Ægyptios*,
pag. 649. de quorum in Astronomicis peritia primo disserit, deinde ostendit, illos anni *Juliani* notitia non fuisse destitutos, tametsi vulgaris annus fuerit dierum 360. Itaque annos illos veteres in antecessum cum *Julianis* confert; deinde, postquam Ægyptio-
653. rum regulas, secundum quas tempestates observabant, elicuisset, præsertim ex observatione Caniculæ, accedit ad *Dynastias*
655. *Deorum*, quas jactabant, & *Semideorum*: quas easdem Dynastias ex vetusto apud *Syncellum* Chronico dilucidat, & sic pervenit ad Catalogum Regum *Heliopolitanorum*. Discas hic præcipue *Cyclos* minores, Ægyptios usitatos; sed ex professo expla-

explanatur *magnus Cyclus Canicularis*, sive *Periodus Sothiaca* Pag. 669
annorum 1461. Cedro digna æstimamus, quæ hic ex antiquitate eruit Autor, de anno magno, ejusque hieroglyphicis, serpente in se revoluto, & phœnice. Porro, dum ex notabili *Censorini* loco clarissime demonstrat, *Cycli Canicularis annum primum* incepisse anno *Periodi Julianæ* 3389, *Julii die* 20, 675.
ostendit quoque, eodem die ortum esse Caniculam in Ægypto, sive Sirium, aut Canem majorem, Ægyptiis *Thoth* appellitatum, cujus ortum non Cosmicum, sed Heliacum, intelligendum, simul monet, quando videlicet Sirius ante Solis ortum 680.
primum ex solaribus radiis emergere incipiat. Docet porro, ineunte hoc Cyclo majori annis adjectos esse dies quinque, ἐπαγομένας. Atque ex his quidem, quæ de Cyclis, tum minoribus Ægyptiorum, tum præsertim de magno Caniculari, disseruit, ac ex parte primus in lucem produxit Celeberrimus *Vignolius*, petenda est *numeri ænigmatici* resolutio, quem in effigie Autoris tabellæ, quam dextra tenet, ante frontispicium Operis insculptum reperias. Porro, quoniam dies 20 Julii in *Per. Jul.* A. 3389 fuit *dies Saturni*, inquirit in rationem, cur 683.
septem hebdomadis dies a planetis denominationes acceperint, & cur eo sint collocati ordine, qui naturali plane non respondere videatur. Vocatis sub incudem, & rejectis, rationibus Harmonica, Astrologicis, aliis, ostendit, ex Ægyptiorum Calendario hanc consuetudinem esse repetendam; hinc simul patere, cur *Saturno* temporum & annorum regimen adscribatur.
Nunc Autor historiam quandam Cycli Canicularis exhibet, ad 698.
comparandos ejus annos cum annis Periodi *Julianæ*, ut Epochis quibusdam celebrioribus, quæ cum Cyclo connectuntur, lucis aliquos radios adspergat. Invenias itaque hic alligatam Periodo *Julianæ* Æram *Nabonassaream*, Æram *Philippeam*, correctionem anni *Julianam*, Æram Actiacam, & novam anni formam *Alexandrinam*, cum multis atque curiosissimis observationibus, quas Lectores benevoli ex ipso fonte cum majori voluptate haurient. His ita constitutis, accedit ad Chronolo- 716.
giam *Regum Heliopolitanorum*; qua occasione *Plinius* illustratur, de his Regibus agens, itidemque de celeberrimo Obelisco

Pag. 721. *Ramesis*, qui post varios casus tandem Romam delatus est, haud proletaria in medium proferuntur. Affirmatur quoque, Israelitarum ope Reges in formandis obeliscis & pyramidibus usos esse, quod quoque *Perizonius* sensit. Tandem, cum scrupulus moveri possit, ex ejus Chronologia Regem Ægypti post transitum Israelitarum per mare rubrum fuisse superstitem, ait, ex Sacris neutiquam probari, Regem ipsum cum exercitu in undis
732. periisse. Exstat *Eratosthenis*, Historici & Astronomi doctissimi, Bibliothecæ Alexandrinæ præfecti, sub *Ptolemæo Evergete laterculum Regum Ægypti Thebanorum*, quod *Marshamus* vocat *venerandissimum antiquitatis monumentum, & ad stabilienda Ægyptiorum tempora inprimis necessarium*. In hoc itaque explicando *Vignolius* nunc operam studiumque ponit. Ceterum, uti Reges Heliopolitani in inferiori Ægypto, ita in superiori Thebani, principatum obtinebant. Primum itaque ipsum Catalogum exhibet Autor cum annis Periodi *Julianæ*, annis ante Christum, & annis ipsorum Regum. Tum nobiscum communicat Viri & singularis humanitatis, & egregiæ doctrinæ, laude celeberrimi, *Jablonskii*, in Academia, quæ est Trajecti ad Viadrum, Professoris Theologiæ, *Annotationes Latinas in hunc Eratosthenis Catalogum, quibus potissimum inter-*
735. *pretatio ejus Græca nominum Ægyptiacorum examinatur & illustratur*. Ceterum, uti ex omnibus hujus Dissertationis lineis magna linguæ Copticæ doctissimi *Jablonskii* peritia satis elucet,
765. ita, cum ad exitum spectemus, Lectores benevoli in malam partem non accipiant, quod nihil hinc extraxerimus. *Vignolius* vero ex fontibus Historiæ & Chronologiæ tum hunc *Erato-*
783. *sthenis* Catalogum, tum seriem Regum Memphitarum, explanat; &, repertis Regum synchronismis, antiquissimam illam historiæ Ægyptiacæ partem, obscurissimam & intricatissimum, quæ doctissimos tot viros nequicquam fere fatigavit, multa caligine liberat, & sua inventa omnia brevi tabella Chronologica ocu-
788. lis lectorum subjicit. Græci restant Romanique, de quorum
794. annis vetustis Autor sibi agendum existimavit. A *Græcis* exordium facit, quorum annum 360 dierum fuisse in principio affirmat. Argumenta priora ex historia belli Trojani desumuntur.

tur. De hoc bello, velut in parenthesi, pluscula offendas, de *Helena*, belli causa, de exitu belli, Trojæ eversione, Græcis victoribus an victis, *Æneæ* adventu in Italiam, aliis. Inprimis Trojæ captæ annus, mensis, ac dies, evolvitur. De Olympiadibus sequuntur nonnulla, huc pertinentia. Denique Autor sententiam suam de forma anni Græci plurimis testimoniis & factis adstruit. Sed hæc omittamus. Romani chorum claudunt. Horum annus priscus quam incertus fuerit, monetur, tum ex sententia *Tarructii* disputatur de *Romuli* conceptione, deque Romanæ urbis fundatione, & pluribus aliis, ad hoc negotium referendis. Sic Autor Venerabilis, postquam tot annorum Opus, tanta cura elaboratum, cedro dignissimum, quod Bibliothecis ornamento esse possit, quo ipse sibi exegit monumentum ære perennius, regalique situ Pyramidum altius, quod nec imber edax, nec fuga temporum, possit diruere, feliciter absolvit, de quo & ipsi & orbi literario gratulamur,

Pag. 819. 823. 848.

Cæstus artemque reponit.

A NEW TREATISE OF THE VENEREAL DISEASE, &c.

h. e.

NOVUS TRACTATUS DE MORBO VENEREO, tribus Partibus comprehendens efficaciores methodos restituendi tonum & vigorem variorum affectorum organorum, per omnes morbi hujus species vel stationes: cui additur Dissertatio de natura & proprietatibus Mercurii, ejusdemque in corpore humano effectibus, qua clare demonstratur perniciosus salivationis eventus secundum varias morbi Venerei circumstantias; Autore NICOLAO ROBINSONO, Collegii Medicorum Londinensium Membro.

Londini, sumtibus J. J. & P. Knapton, A. Bettesworth & C. Hitsh, W. Innys & R. Manby, 1736, 8.

Alph. 1 plag. 3.

Inter

Inter celebres de morbo Gallico Scriptores locum mereri studuit, & meritus re ipsa est, Cl. *Robinsonus.* Præmisit is libro suo Chronologicam de origine & progressu morbi venerei inter Europæos tractationem, cum rationibus, quibus inducti homines, nomen Gallici huic morbo fecerint. Hinc, quid Autores de morbi istius, cum novus Europam invasisset, affectionibus scripserint, & quam dira lues isthæc primum per Italiam post obsidionem Neapolitanam fuerit, exponit. Eruuntur ista rerum momenta ex *Laurentii Phrisii* Opere de morbo Gallico, A. 1496 edito, *Jacobi Catanei* de morbo Gallico libro, A. 1494 publicato, *Nicolao Leoniceno*, novam hanc luem, & nunquam a veteribus visam, appellante. Adducuntur *Prosper Borgarutius, Joannes de Vigo, Baptista Montanus*, aliique; quorum omnium ob rei novitatem immanes sunt querelæ, & in teterrimum morbum declamationes. Mira fuit istius morbi infectio. Legi merentur, quæ *Alex. Trajanus Petronus* de morbo Gallico habet: *Pauci in Europa, præsertim vero in Italia, sunt, qui vel hac labe afflati vel infecti non sint. Senes, juvenes, mares, fœminæ, graciles, obesæ, liberi, servi, tam æstate, quam hyeme, tam vere, quam autumno. Id enim malum sentiebant magistratus, sentiebat humilis plebs, veloci unius ad alterum transitu. Sentiebant & ipsi fœtus in utero, quippe ex inquinatis generati.* Primus istius morbi status, gonorrhæa virulenta, describitur, cum simplici materiæ purulentæ effluxu. Alter glandis præputiique perniciem intendit. Tertius denique, a suppressa & male curata gonorrhæa virulenta ortus, est ipsa lues venerea, a redundante viru ad sanguinem, genitalibus eo tempore non minus male mulctatis, quin Phimosis, Paraphimosis, Testiculus venereus, una affligant. Sub judicium vocavit Autor ipsius veneni Venerei, quod ex genitali effluxerat, naturam, oculo armato usus, & perspexit moleculas chrystallina facie spiculis horridiusculis & peracutis instructas, unde in salina acredine effectus atrociam consistere autumat. Inde, difficile non est, vel propagationis modum, cum salia fermentativa sint sui multiplicativa, declarare, vel phænomena atrocissima derivare. Prognosis in junioribus corporibus eventum haud ita dubium

indi-

indicat, ſicut & gradus infectionis, & mali diuturnitas, rem definiunt. Cura adornatur regulis diæteticis, pro reſtituenda gonorrhæa; liberius vitæ genus per aliquot dies permittitur; hinc cibi ordinantur diluti, lacticinia, juſcula carnium, carnes juniores; alvus ſervatur libera; ſanguis e vena dimittitur. Præſcribuntur remedia pro ſtatu penis corrigendo, ſi vel exulceratus, vel ſpaſmo muſculorum libidinoſorum, prout vocantur, incurvatus fuerit. Communicantur liberaliter præſtantiſſimæ remediorum formulæ, quorum nonnulla Æthiops mineralis, tanquam mercuriale, ſubingreditur. In ipſa lue venerea poſtquam ſe virus a parte genitali per totum corpus diffudit, agendi initium fit a vomitorio mercuriali, & præſcribitur Turpethum minerale ad gr. viij. cum largo juſculo. Hinc decocta lignorum uberius epota adhibentur, donec ad efficaciora deveniatur remedia. Salivationem, a mercuriali inunctione excitatam, plurimi pro ſacro luis venereæ curandæ Palladio agnoſcunt. Sunt tamen, quæ moneri poſſint in contrarium. Ipſo morbo interdum pejus eſt remedium, nec exterminatur malum tædioſa iſthac adminiſtratione adeo, ut non metuendus ſubinde ſit relapſus. Hinc optatur methodus, qua ſine ſalivatione mercurialium uſus adhiberi poſſit, quam gloriam hactenus Medici Montis Peſſulani retulerunt; quo factum, ut ex Anglia illuc migrarent varii, quibus non placuit os corporis cloacam efficere. Diſquiritur paulo ſpecialius Mercurii in corpora effectus. Gaudent moleculæ ſubtiliſſimæ Hydrargyri pondere ſpecifico, quo omnes corporis humores ſuperat. Accedit naturale frigus, quod iisdem connatum eſt. A rotunditate corpuſculorum dependet motus vividos concitandi facultas, a volatilitate inſinuandi potentia, a ponderis eminentia cohæſiones impediendi vel diſſolvendi robur, neque aliud efficaciſſimæ penetrationis ſenſibile exemplum, ſi Cantharides excipias, in omni materie medica, præter iſtud fluidum metallicum, apparet. Nam &, cantharidibus exterius admotis, interna renum viſcera valide commoventur. Effectus equidem Hydrargyri, qui glandulas ſalivales purgat, ſua luce clarus eſt; aſt magna oritur quæſtio, an legibus naturæ accommodata ſit violenta

isthæc operatio. Si enim pro lege regia agnoscitur *Hippocratis* effatum: *Quæ ducenda sunt, eo ducenda, quo maxime natura viam affectat, per loca legi naturæ commoda*, sane hoc ipso clarum est, cum luis Venereæ motus criticus fiat in cute, male eandem per alia loca purgari. Hinc methodus proponitur, qua sudorificis, laxantibus, diureticis, & mercurialibus, sine intentione salivam commovendi, virus venereum exturbatur.

AN ESSAY CONCERNING BLOOD-LETTING, &c.
h. e.
TRACTATUS DE VENÆSECTIONE, SISTENS varios effectus & singulares commoditates sanguinis, ex diversa corporis humani parte extracti, maxime vero in pede missi, cum norma selectus instituendi, qui fini, in variis casibus proposito, optime respondeat; Autore R. BUTLERO, Med. D.
Londini, impensis W. Mears, 1734, 8.
Plag. 19.

Velocitas sanguinis ex corde ad partes moti accurate definitur. Una hora 5250 unciæ, id est, 432 libræ, sanguinis ex sinistro cordis ventriculo projiciuntur. Quo propiores cordi partes existunt, eo violentior sanguinis intra easdem motus esse solet, dum & directio vasorum rectilinea, vel obliqua, eorundemque divisio in pauciores pluresque ramos, momenta motus definire possunt. Arteriæ capillares omnes una sumtæ diametro trunci aortæ æquales censentur, sicut venæ capillares id ipsum sunt ratione venæ cavæ, in auriculam dextram confluentis. Quapropter effectus venæsectionis, qui in truncis venarum mediæ magnitudinis contingit, & capillares venas, & arterias minimas, his affines, tum etiam aortæ cordisque ipsius motum, maxime vero venam cavam, & sanguinis in illam influxum, variis modis afficit. Sanguis vel phlebotomia ex vena, vel arteriotomia ex arteria, vel scarificatione ex capillaribus utriusque generis cutaneis vasis, extrahitur. Antiquissima est illa, & ipsi Medicinæ coæva, operatio, quam *Hippocrates* & *Gale-*

Galenus magno cum successu exercuerunt. Consideratur primum venæsectio tanquam evacuans, cujus utilitas ad totius corporis humani ambitum redundet. Quicquid enim sanguinis abstractum fuit, paulo post, quam id factum fuit, in omni vase omnium magnitudinum deficere incipit, quamvis certum sit, vulneris in vena secta magnitudinem, propinquitatem venæ sectæ ad partem affectam, non nullius momenti esse, unde certum sit, selectum venæ secandæ aliquem in variis casibus jure meritoque institui, maxime si in gratiam derivationis & revulsionis venæsectio sit instituta. Revulsionis effectus eo ipso tempore, quo sanguis ex vena secta profluit, contingit, siquidem venulæ minimæ, fluentis trunci, inanes factæ celeriorem sanguinis arteriosi illapsum necessario commovent; quapropter sanguis alicubi stagnans derivatur placido flumine, vel influxu sanguinis arteriosi aucto per vim avellitur. Hinc intelligi clare potest & perspici, quid venæsectio in pede instituta mensium obstructione vel hæmorrhoidum anomalia laborantibus prodesse possit. Regulæ, quæ selectum unius alteriusve venæ imperare possunt, insulciuntur doctrina de distributione arteriæ. Quæcunque partes sanguinem ab adscendentis arteriæ aliquo ramo accipiunt, vena inferioris cavæ ramo sublevantur. Quæcunque partes ramos arteriæ ab aorta descendente nanciscuntur, bene sese habent, si vena secetur, quæ cavæ descendentis, vel superioris, pars est. Quæcunque partes medio modo sese habent, ut partim de adscendentis, partim de descendentis, aortæ ramis participent, quales sunt mammæ, thorax, œsophagus, gula, diaphragma, æquali modo afficiuntur, ubicunque vena secta fuerit. Quodsi tamen pars ejusmodi majores ab adscendente, quam descendente, aorta ramos accipiat, vena saphena inciditur; quodsi descendens majora tulerit, brachii vena secatur. Venæ jugularis sectio improbatur ideo, quod sanguis per arterias carotides majori copia & majori impetu sanguinis ad inflammatas vel dolentes cerebri partes adducatur, præter quod in genere periculosum sit, majores venarum truncos secare. Datur etiam selectus venarum dextri vel sinistri brachii, ideo, quia arteriarum momentum in dextro aliud est, quam in si-

niſtro, latere. Siniſtri lateris ſubclaviæ nihil cum Carotidibus commercii habet; quapropter in affectibus capitis, ſatius eſt, ſiniſtrum brachium vulnerare, cum affluxus per Carotidem ad caput augeri nequeat, ſecus ac in dextro latere, cujus ſubclavia Carotidem dextram largitur. Elegans eſt libellus, lectu admodum utilis & jucundus, &, quod demonſtrationem effectus venæ ſectæ attinet, ſublimis & prorſus novus.

IL NEWTONIANISMO PER LE DAME, &c.

h. e.

PHILOSOPHIA NEWTONIANA AD USUM ſexus ſequioris accommodata, ſive Dialogi de Luce & Coloribus.

Neapoli, 1737, 4.

Alph. 1 plag. 15.

Ea eſt Philoſophiæ *Newtonianæ* indoles, ut viros duntaxat, qui judicio & Geometria pollent, huc usque ſui cultores deſideraverit. Inſolens igitur plerisque videbitur, eſſe, qui eam ad captum vulgi accommodare, vel, ſi mavis, deprimere, contendant. Animam profecto ex ea tollere videntur, qui Geometriam tollunt. Nihilo tamen minus de publico, vel ſaltem de nomine *Newtoniano*, non male merentur, qui tanti Viri inventa, demonſtrationibus equidem rigidioribus exuta, at ſalibus floribusque rhetoricis egregie conſperſa conveſtitaque, diſſeminant. Inter eos merito connumerandus eſt ſcripti præſentis Autor politiſſimus & valde doctus, cui nomen *Franc. Algarotti*, quod in ſua ad Cel. *Fontenellium* Epiſtola dedicatoria profitetur. Cum enim probe noſſet, quantum floris & ornamenti rebus Aſtronomicis, Phyſicæque cœleſtis parti, *Fontenellius* attulerit ingenioſis de pluralitate mundorum Dialogis; in mentem ei venit, ad ejus exemplum inventa *Newtoniana* de luce & coloribus, hoc eſt, Opticam *Newtoni*, eodem habitu indutam, in ſcenam producere. Nulli dubitamus, eum ſcopo ſuo ſatisfeciſſe, magnamque a fœminis ſuæ gentis gratiam initurum, novo quippe curioſitati earum pabulo ſubminiſtrato. Jam & in Gallicum ſermonem transfuſos eſſe hosce

Dia-

Dialogos, accepimus. Numero ſunt *ſex*, Autorem inter & Marchioniſſam quandam, quam loquentem introducit, habiti. Sermonis genus ſatis eſt elegans, æquabile, floribus absque tumore interſperſis. Illuſtrem fœminam ab initio colloquii *Carteſianæ* Philoſophiæ principiis ponit imbutam; quæ ad *Malebranchii* caſtra dein tranſit; quibus deſertis, ad *Newtoniana* tandem rapitur. Tres itaque celeberrimas Philoſophorum ſententias de Luce & Coloribus hoc ſermone agitari videas. Per totum Opuſculum omnes exulant demonſtrationes geometricæ, quin termini mathematici fere omnes; & quis id aliter exſpectaverit? Varia ſermoni immiſcentur ſcitu jucunda, ut inventorum opticorum hiſtoria, & quæ alia ſunt, ne experimentorum continua recenſio tædium pareret. Attractionum ſyſtema ſuo loco explicatur. Quæ cum ita ſint, Dialogi hi Introductionis loco in univerſam Philoſophiam *Newtonianam* eſſe poſſunt, quam quidem Autor a geometrica ſua, quam vocat, auſteritate ad jucundam plane & amabilem formam revocare inprimis ſtuduit. Totum vero Opuſculum fœminis cum ſcriptum ſit; nos, qui viris ſcribimus, plura de eo hic addenda non exiſtimamus.

ALL SORTS OF WHEEL-CARRIAGE IMPROVED, &c.

h. e.

OMNE GENUS VEHICULORUM ET MACHInarum, rotis inſtructarum, perfectius redditum, opera & ſtudio JACOBI ROWE.

Londini, ſumtibus Alexandri Lyon, 1734, 4.

Plag. 6, cum Tabb. æn. 5.

De frictione, quæ motui machinarum quarumque tam notabile impedimentum affert, vel parum ſolliciti fuiſſe ſuperiores, vel nihil nos docere voluiſſe, videntur. Inter juniores inprimis *Caſatus*, *Perraltius*, *Amontonius*, hoc argumentum ſibi pertractandum ſumſerunt. *Sturmius* & *Leibnitius* in *primo Volumine Miſcellaneorum Berolinenſium* egregias quasdam obſervationes adjecerunt. Quos deinde alii ſecuti ſunt, ac præter ceteros *Leupoldus* noſter, in *Theatro* ſuo *Machinarum generali.*

rali. Autor præsentis Opusculi, *Jacobus Rowe*, ut Anglus, exterorum inventa non magnopere curans, nova quædam se reperisse existimat, applausu & privilegio digna. Et fatendum est, attentionem mereri, quæ proponit, etiamsi pro plane novis haberi nequeant. Ex consideratione variarum machinarum satis apparere arbitratur, plerasque frictionem non tam ex vi, quæ superficies fricantes comprimit, quam ex magnitudine illarum superficierum, æstimare: sibi vero, compluribus factis experimentis, contrarium innotuisse. Distinguit deinde frictionem occidentalem a naturali: illamque ab asperitate & inæqualitate superficierum, hanc a pondere sive vi comprimente, oriri docet. Denique id agit potissimum, ut theoriam suam de imminuenda frictione naturali ad vehicula rotis instructa applicet, &, quantum inde commodum exspectare possimus, ostendat. Præcipuum artificium, de quo etiam *Casatus*, *Sturmius*, *Leupoldus*, mentionem fecerunt, in eo positum est, ut axes rotarum mobiles, non superficiebus vel matricibus immotis, sed aliis rotis mobilibus, atque harum axes iterum rotis aliis, vel imponantur, vel quavis commoda ratione applicentur. Ejusmodi machinationem satis simplicem *Figura prima Tabulæ II*, quam & nos in ære exprimendam curavimus, & currum methodo Autoris
TAB. VI perfectum *Figura I Tab. IV* sistit. Quoniam vero, propter
Fig. 1. inclinationes curruum, in viis minus planis incedentium, novæ quædam frictiones oriuntur, etiam has, adhibitis certis rotulis, imminuere docet Autor: ad cujus mentem aliquo modo ex-
Fig. 2. primendam, *Figuram IV Tabulæ IV* addidimus.

HERMANNI CONRINGII DE ANTIQUITATIbus Academicis Dissertationes septem. Recognovit CHRISTOPH. AUG. HEUMANNUS, adjecitque Bibliothecam historicam Academicam.

Gottingæ, sumtibus Bibliopolii Academici, 1739, 4.
Alph. 4 plag. 15½.

Raritas præstantissimi laudatissimique Operis *Conringiani* merito exstimulavit Editorem, ut id recudendum curaret.

Cum


Fig. I.

Cum autem priores ipſius editiones (primum enim A. 1651, iterum A. 1674, prodierat,) & chartæ vilitate, & literis admodum detritis, oculos legentium vehementer offenderent, prætereaque interpunctiones ſubinde eſſent vitioſæ, nec errores typographici accuratius ſublati, nævos hos novæ editioni abſterſit Cel. Editoris diligentia: qui & ſuum cuique Diſſertationi argumentum præfixit, atque *Addenda* textui inſeruit, ac *Supplementorum* loca indicavit in margine, cui & paginas præcedentis editionis inſcripſit, rejectis ſimul *allegatis*, quæ vocant, e marginibus in extremum cujusque paginæ. Adjunxit item Diſſertationem *Conringii* luculentam *de ſtudiis liberalibus urbis Romæ & Conſtantinopolis*, emendans hac occaſione locum quendam *Codicis Theodoſiani*, quem minus feliciter correxerat *Conringius*. Ipſe Cel. Editor nullas ſuas annotationes adjectas voluit huic Operi; in *Præfatione* tamen obſervationem protulit ſingularem de ortu Academiarum, deque appellationibus aliquot Academicis diſſeruit, docens, unde Collegia Profeſſoria vocari cœperint *Facultates*, acroaſes ſive lectiones *Collegia*, Studioſi *die Burſche*, Profeſſores *Anteceſſores*.

Ipſum *Conringii* Opus recenſere, ab inſtituto noſtro alienum eſt, nec Lectoribus noſtris neceſſarium, quos *Antiquitatum Academicarum* titulus ſatis docet, lectu digniſſimum eſſe hoc Opus, a tanto Viro profectum. Quare ſtatim convertimur ad Cel. Editoris *Bibliothecam hiſtoricam Academicam*, in qua Catalogus exhibetur librorum, ad hiſtoriam Academiarum pertinentium, ita confectus, ut verus libri cujusque titulus, annus & locus typographiæ, forma denique ſive figura ipſa libri, indicetur. Imo iis libris, quos ipſe vidit, aſteriſcum præfixit, omnem ita dubitationem exemturus lectoribus. Tanta vero hujus generis librorum multitudo venit ſub oculos & in notitiam ejus, ut catalogus hic viginti ſex impleat plagulas. Quanquam & hoc auxit magnitudinem libri, quod & *pag. 125 – 142* inſeruit, primumque nunc edidit, S. Rev. *Jo. Chriſtoph. Kœcheri Hiſtoriam Academiæ Osnabrugenſis*, & de nonnullis libris uberius diſſeruit partim hiſtorice, partim cenſorie, e. g. de *Middendorpii Hiſtoria Academiarum univerſali pag. 2 – 5*; de

Bulæi

Bulæi Historia Universitatis Parisiensis pag. 151 — 159. *Tria* autem hæc *Academica Bibliotheca* habet *Capita*, quorum in *primo* commemorantur *Scriptores universales*, id est, ii, qui historiam omnium totius Europæ Academiarum persecuti sunt; in *secundo Scriptores nationales*, hoc est, ii, qui de certæ nationis Academiis sunt commentati; in *tertio Scriptores speciales*, qui vel totam unius cujusdam Academiæ historiam condiderunt, vel partem aliquam talis historiæ specialis exposuerunt. Hos inter occurrunt multi libri summæ raritatis, quos Cel. Autor penitius cognoscendos exhibet harum rerum curiosis. Nec vero libros solos hujus generis commemorat, sed etiam Dissertationes Academicas: ac præterea perfectiorem promittit hujus Catalogi editionem, si docti viri Supplementa ad ipsum mittere dignati fuerint, qui sive Academiarum, sive Gymnasiorum Academicorum, sunt Professores. Subjecit novissima Academiæ Gottingensis, ab Imperatore *Carolo VI* & a Rege *Georgio II* tributa *Privilegia*, summa diligentia descripta ex ipsis πρωτογράφοις.

DANIELIS GERDESII EXERCITATIOnum Academicarum Libri tres.

Amstelodami, apud Hadr. Wor, 1738, 4.

Alph. 4 plag. 12½.

Theologus hic prius Duisburgensis, nunc Groninganæ, Academiæ Celeberrimus, hoc Volumine conjungens elaboratissimas suas Disputationes, haud dubie gratum fecit plurimis, quorum sub oculos venire iis nondum contigit. Ac optandum omnino, ut doctissimus quisque eodem modo breviora sua meletemata conservare, multisque communia facere, studeat. *Tres* autem noster in *Libros* congessit, quæ ad hoc usque tempus summa industria composuit atque edidit. Ac *primo* quidem in *Libro Historia Patriarcharum* illustratur, & plura huc pertinentia sacri Codicis loca, scilicet *Hebr. XI, 3, Genes. III, 20, Hebr. XI, 4, Numer. XXIV, 17, Genes. IV, 7, Judæ v. 14 & 16, Genes. IV, 26, 2 Petri II, 5, Genes. VIII, 21, 1 Petri III,*

III, *19*, *20*, *Genes. IX*, *4*, *XI*, *4*, *X*, *21*, *Hebr. XI*, *13* & *19*, *Genes. XIV*, *14*, *XX*, *16*, *XXV*, *18*, *Hosea XII*, *4*, *5*, *Genes. XLVI*, *27*, *Hebr. XI*, *21*, *1 Chron. VII*, *21*, *22*, *Hebr. XI*, *22*, *Genes. XXI*, *6*, *8*, *12*, *Gal. III*, *16*, *Genes. XXII*, *1 – 17*, *XXIV*, *63*, *XXV*, *21*, *XXXI*, *42*, *XXV*, *11*, *Hebr. XI*, *20*. Hunc librum cum S. Rev. Autor esse velit Supplementum, sive spicilegium, ad *Heideggeri Historiam Patriarcharum*, nobis proferre lubet ejus aliquot interpretationes locorum *Geneseos* obscuriorum. *Genes. IV*, *26*, doceri contendit, natum tunc esse *Enosum*, qui & ipse solenniter sit invocaturus nomen Jehovæ, & id alios quoque docturus. *Genes. VIII*, *21*, per *hominem* significari Christum, jam a *Jo. Matthesio*, *Lutheri* discipulo, observatum fuisse ostendit, eamque sententiam, quam etiam tuitus est e nostratibus *Rambachius*, suam facit. Addimus, hanc sententiam jam placuisse *Calovio* nostro in exordio *Chronici Biblici pag. 55*. Ad *Genes. X*, *21*, docet, pluribusque evincit, *Hebræos* non aliunde nomen accepisse, quam ab *Hebero*. *Genes. XXIV*, *63*, verbo שוח significari docet sanctas *Isaaci* sive meditationes, sive preces, sive confabulationes. *Numer. XXIV*, *17*, per *filios Sethi* intelligit semen sanctum, hoc est, omnes eos, qui aliquando sint sua vota Messiæ addicturi, ipsique fideliter adhæsuri.

Libri secundi primum locum occupat singularis libellus *de Festo clangoris*, & *ejus mysterio*, *pag. 235 – 304*. Hic *Cap. I* de initio anni Judaici diligenter disputatur, ac vulgaris de alio sacri, alio civilis, anni exordio opinio rejicitur. *Cap. II* de ipsa festi hujus celebratione agitur. *Cap. III* festi hujus causa & scopus exponitur, potissimum contra *Spencerum*. *Cap. IV* mysteria hujus festi explicantur, atque inter alia docetur, illud festum etiam respexisse ultimam Judæorum conversionem adhuc instantem. Sequitur Dissertatio *de Mysterio circumcisionis Christi*, ubi & ostenditur, quo pacto Christus sua circumcisione sustulerit veterem circumcisionis ritum. Hanc excipit Dissertatio *de Mysterio baptismi Christi*, *Matth. III*, *13 – 17*; id quod hac in re maxime situm esse docet Maxime Reverendus Autor, quod fuerit illustris re-

 præsen-

præsentatio totius operis satisfactorii. Hinc differitur copiose ad *Matth. XX, 1 — 16*, de *operariis in vinea*. Per *patremfamilias* scilicet, si Nostrum audimus, intelligitur Christus, per *operarios* omnia nascentis tum Ecclesiæ membra, per *horam tertiam* tempus ante passionem Christi elapsum, per *sextam* tempus commorationis Christi in terra post resurrectionem suam quadragesimalis, per *nonam* tempus vocationis Samaritanorum, per *undecimam* tempus vocationis ethnicorum Apostolicæ, per *vesperam* interitum reipublicæ Judaicæ, per *denarium* libertatem Evangelicam a duro sacrarum cerimoniarum jugo. Succedunt tres Disputationes ad *Psalmi XXII v. 23 — 32:* qui versus mystice explicantur de Christo & Ecclesia, postremo versu de futura ultimis temporibus conversione Judæorum exposito.

Tertii Libri principem locum implet eruditissima Dissertatio *de Synagoga Libertinorum, Actor. VI, 9,* commemorata. Propositis, justasque ob causas rejectis, aliorum sententiis, de civibus *Liberti*, Africæ Proconsularis oppidi, locum illum esse capiendum, contendit Noster. Cujus oppidi mentio cum fiat in Actis Conciliorum veterum, jamque *Suidas* ac *Lyra* hunc locum eo sensu ceperint, satis demonstratam censet hanc suam sententiam. In subsequenti *de usu Evcharistiæ medico* Dissertatione refellitur *Cornelii a Lapide* aliorumque sententia, putantium, Evcharistiam subinde etiam corpus hominis vegetare & vivificare, morbos sanare, corporis pericula depellere. Hinc Disputatio secularis, *in memoriam Augustanæ Confessionis* habita, primo memorabilia quædam circa ejus exhibitionem persequitur, deinde ejus ostendit cum doctrina Reformatorum consensum, atque inde concludit, jure sperari duarum harum Ecclesiarum unionem. Addimus, Autorem nostrum hac oblata occasione paulo post elaborasse lingua Belgica, & Amstelodami A. 1731 edidisse, *Historiam Augustanæ Confessionis*. Quo quidem in libro cum *pag. 177 seq.* e *Saligii Hist. Aug. Conf. Lib. III Cap. 3 §. 15* & *16* traditionem illam recitans, qua *Lutherus* fertur paulo ante suum ex hac vita discessum abjecisse suam de sacra Cœna sententiam, sequentem *§. 17* omittit, in quo *Saligius*

gius ſolide demonſtrat, meram hanc eſſe fabellulam; callide id factum eſſe, haud injuria exiſtimamus. Sequitur Diſſertatio *de particulari judicio animarum a corpore ſeparatarum*, idque potiſſimum ex *Hebr. IX, 27*, & *Eccleſ. XII, 9*, probatur, præterea que ex certis, interque orthodoxos conceſſis, hypotheſibus. Simul diluuntur accurate *Scherlokii* contra hanc ſententiam objectiunculæ. Claudit *Librum* hunc *tertium*, totumque hoc Volumen, Diſſertatio acroamatica *de uſu Prophetarum ad demonſtrandam Scripturæ ſacræ divinitatem*, Orationes item duæ inaugurales, quarum prior eſt *de docta ignorantia in Theologia*, poſterior ad *1 Joan. II, 20 & 27, de unctione, quæ fideles docet omnia.*

MISCELLANEA GRONINGANA, IN MISCELlaneorum Duisburgenſium continuationem publicata. *Faſciculus I - IV.*

Amſtelodami & Duisburgi, apud A. Wor & G. Bœttigerum, Faſc. I & II 1736, Faſc. III 1737, Faſc. IV 1738, 8. Alph. 2 plag. 2.

Miſcellaneorum Duisburgenſium duos Tomos cum recenſuerimus, & primum quidem eorum, eorumque *Faſciculum I & II A. 1734 Menſ. Febr. pag. 94*, *tertium* in *Suppl. Tom. III Sect. I pag. 32*; æquum omnino eſt, etiam *Groninganorum* notitiam a nobis accipere Lectores noſtros. Utriusque enim Operis unus idemque director eſt Celeberrimus Theologus, D. *Daniel Gerdeſius*, qui, ex Academia Duisburgenſi evocatus, nunc eodem munere fungitur in Groningana. *Quatuor* nunc exhibemus Sylloges hujus *Partes*; quarum in *prima* prodit Jo. Sauberti *Explicatio ſelectorum S. Scripturæ dictorum*; Ge. Ulr. Rœmeri *Deſcriptio regni Meſſiæ e Pſalmo XIX*; Jo. Jac. Schillingii *Diſſertatio ad 1 Cor. XV, 36, 37*; Corn. de Witt *Diſſertatio de veſte nuptiali, ad Matth. XXII, 11*; Petri Janſenii *Obſervationes in hiſtoriam tentationis Chriſti*; Guil. de Water *Diſſ. de Eliezaro, Exod. IV, 24 – 26*; Henr. Dodwelli *Epiſtola ad Perizonium*, nunc primum edita; Excerpta e Richardi Jameſii *Epiſtolis* ineditis; Jo. Jac. Scheuch-

zeri Πορίσματα e *Nov. Test. Physica sacra;* Dan. Gerdesii *Diss.* duæ *ad Ps. XXII, 23 – 32;* ejusdem *Oratio de unctione, qua fideles docet omnia. Fasciculo* in *secundo* conspicitur Petri Lornii *Diss. de Thymiamatis, ad Apoc. XVIII, 13;* Corn. de Witt *Explicatio phraseos Deut. XXIX, 19: Ebrium addere sitienti;* Frid. Ad. Lampii *ad Genes. III, 8;* Jo. Ge. Michaelis *ad Lucæ II, 49;* J. J. Schillingii *ad Rom. III, 13;* Bern. Win. Buddei *de conflagratione mundi, 2 Petr. III;* C. Lud. Runckelii Ζητήματα *critica & philologica;* Hier. van Alphen *Diss. in Epistolam ad Ephesios;* Em. Lucii Vriemoetii *Specimen e Philologia sacra & orientali. Tertius Fasciculus* continet Jo. Christ. Loersii *Observationes ad Matth. X, 12 – 16, Marc. VI, 11, Luc. X, 10, 11, 12, Act. XVIII, 6, Jes. LII, 7,* & *Jo. XIII, 1 – 10,* Jo. Ge. Michaelis *Diss. de Crustulis Pontificis maximi quotidianis;* Frid. Ad. Lampii *Diss. de Nethinæis;* Hier. van Alphen *Diss. de annis Judicum Hebræorum;* Dan. Gerdesii *Disp. ad Act. VI, 9, de Synagoga Libertinorum.* In *quarto Fasciculo* exhibetur Lampii *secunda Diss. de Nethinæis;* Henr. Heissenii *Diss. de distinctione inter* δόσιν ἀγαθὴν & δώρημα τέλειον, *Jac. II, 17;* B. W. Buddei *altera Diss. de conflagratione mundi, ad 2 Petr. III;* Jo. Lulofii *Diss. ad Luc. XI, 35;* Nic. Gurtleri *Oratio de adventu & habitatione Christi in plaga Bremensi; Nova literaria* Annorum 1735, 1736, & 1737, ad studium Exegeticum & Historiæ Ecclesiasticæ pertinentia.

Ut pauca hinc producamus specimina, obscurum illum locum *1 Sam. II, 25, pag. 4* hac versione illustrat Saubertus: *Si is, qui in proximum suum, hominem aliquem, peccaverit, a Deo judicabitur, quanto magis ille certo & inexorabili Dei judicio subjacebit, qui Deum offenderit ipsum!* Jansenius *pag. 86 seq.* docet, diabolum suasisse quidem Christo, ut secum iret Hierosolymam, et ex ejus urbis templo se daret præcipitem; at, cum Christus id facere recusaret, diabolum eum non duxisse Hierosolymam, sed in deserto manentem alia ratione tentasse Filium Dei. Huic scilicet in montem deducto eum monstrasse omnia mundi regna, sive in charta, sive in arena, linearum ductibus expressa. *Pag. 140* suspicatur *Jamesius*, Christo cruci affixo *Marci XV, 23,* ideo Judæos propinasse οἶνον ἐσμυρνισμένον,

νον, ut cohiberent maleolentiam. Tali enim vino hanc proprietatem tribuere *Clementem Alexandrinum Pædag. II*, 8, ac *Martialem* in quodam Epigrammate testari, male olere condemnatos. Quæ *pag. 150 seq.* profertur analysis *Psalmi XXII*, itemque interpretatio, consideratione oppido digna est, cum Autor ejus inter nobiliores hujus ætatis Exegetas referatur. *Pag. 271 seq.* docetur, *Luc. II, 49, τὰ τȣ̃ πατρός μȣ* esse templum Dei, in quo tum erat Christus. *Pag. 347 Judic. XI, 31*, verbum והעליתיהו nova interpretatione sic redditur: *& offeram ipsi* (Jehovæ) *holocaustum:* ac ita magna hujus loci tollitur difficultas. *Pag. 358 seq.* copiose disseritur de mandata Apostolis excussione pulveris. *Pag. 528 seq.* verisimillimum redditur, *Libertinos, Act. VI, 9*, memoratos, fuisse Judæos, qui Africæ oppidum, nomine *Libertum*, incolerent. Ac indicantur vetera monumenta, in quibus hujus oppidi fit mentio. *Pag. 594 seq.* contenditur, *Petrum* in tertio posterioris suæ Epistolæ Capite describentem mundi conflagrationem, significare judicium Christi in gentem Judaicam, tum exercitum, cum per *Vespasianum* destruxit Hierosolymam, totamque evertit Judæorum rempublicam. *Pag. 683 seq. Stephani Viti*, & *pag. 709 seq. Jo. Frid. Lackemacheri*, vita & scripta commemorantur.

AN ESSAY UPON THE USEFULNESS OF REvelation, &c.

h. e.

OPUSCULUM THEOLOGICUM, QUO UTILItas Revelationis ostenditur, quantacunque etiam sit rationis humanæ excellentia; octo Sermones sacros complectens. Autore CHRISTOPH. ROBINSON, M. A.

Londini, apud Jo. Pembertonum, 1733, 8.

Plag. 9.

Cum in controversiis, quæ hac nostra ætate inter eruditos de Revelatione divina versantur, dissentientes, uti fieri solet, ad opposita prolabantur, ita, ut altera pars rationis vim & efficaciam extollat magnopere, altera e contrario deprimat; mediam sibi ingrediendam esse viam putavit Autor. Atque ex ea re utilitatem

Revelationis ea commonſtrat ratione, nihil ut rationis excellentiæ dignitatique decedat. Quam quidem cauſam octo meditationibus, in locum *Jo. V, 30*, inſtitutis, complectitur. *Prima* ergo oſtendit, rationem excultam, dextreque applicatam, ſatis equidem mortales condocere, quænam ſint eorum officia: injuſtum enim, quin & temerarium, eſſe, credere, Deum creaturas liberas ineptas creaſſe, ad officia ſua cognoſcenda atque obſervanda; at enim, quo ſæpius homines ſuis facultatibus abutantur, eo magis bonitati divinæ conveniens eſſe, ut ſingulari iisdem revelatione opem ferat. Veræ revelationis character eſt, ut voluntatem Dei doceat. Hinc Autor primo, quid ſit voluntas Dei, commonſtrat, eam verſari in hoc, quod univerſe optimum ſapientiſſimumque eſt, docens; tum vero commoda recenſet, ex obſervatione voluntatis divinæ redundantia. Præcipua fere hæc ſunt, hominem Deum, officiaque illi debita, cognoſcere, tum vero certiorem reddi de bonitate Numinis, quod in creando homine nihil intendit aliud, quam ut facultatibus ſibi concreditis recte utatur, adeoque felicitatem ſuam conſequatur; denique obligari, tam ad juſtitiam, quam ad amorem mutuum ac benevolentiam, quæ omnia in Revelatione divina inculcari, breviter monet.

Sermone II inquirit, utrum, in quantum, ac ubi, voluntas divina absque revelatione cognoſci potuerit. Homines enim, quamvis aptos natos, ut rationi convenienter cogitent, agantque, utrumque non facere, docet. Quanquam etiam natura atque attributa Dei ſola ratione facile cognoſcantur, non minus ac quædam momenta voluntatis ejus; rationem tamen in his etiam recte applicandam eſſe: at experientiam docere, longa demonſtratione, attentaque meditatione, hæc talia perfici, pauciſſimosque mortalium ad utramque idoneos eſſe, ſæpius ab ea abhorrere, imo tempore excludi, occaſioneque deſtitui. Denique fieri non poſſe, ut voluntas Dei, utcunque in nonnullis introſpiciatur, in omnibus tamen momenti ſummi rebus cognoſci queat, niſi ſuccurrat revelatio.

Hoc illud *Sermone III* ad liquidum perducturus, diſputat, quouſque ratio in detegenda voluntate Numinis procedere poſſit. Multas ei quidem oportunitates concedit, in pernoſcendis officiis,

officiis, quibus Deo, nobis, aliisque, obstricti sumus; attamen plurimis maximisque erroribus, opinionibusque, sæpenumero præjudicatis, implicitam esse dicit, neque facile credi posse, rem tam arduam hominum perversæ indoli infirmitatique mentis relictam esse: imo, quod multo adhuc deterius est, in nonnullis plane rudem esse; ignorare nimirum media reconciliationis cum Deo, nescire, quidnam præcipue precibus suis impetrare velit, insciam esse multorum, quæ ad finem, excellentiam, defectusque, vitæ nostræ pertinent, sine quarum cognitione religionem ipsam, officiaque plurima, defectibus laborare non levibus oportet. Horum omnium veritatem ex imbecillitate humanæ mentis generatim, tum ex dominio affectuum, atque vi perturbationum, quibus agitetur, corroborat, atque ex iis concludit, religionem Christianam naturæ rationali convenientem esse; eam ab religione naturali sæpe præter rem distingui; nihil ejus præstantiæ decedere, quamvis ea abutantur homines male feriati; nec excusari posse eos, qui, quamlibet revelatione caruerint, tamen rationis lumen non fuerint secuti.

Ejusmodi autem infirmitate, qualem sæpius jam questus est, hominem vere laborare, ut planum fiat, Autor *Sermone IV* lapsum hominis, ipsis gentibus cognitum, uti in Vet. ac Nov. Test. describitur, considerat, ac, statum hominum præsentem descriptioni huic convenientem esse, commonstrat. Quam in rem inprimis exemplo nimiæ, ac suis se finibus non continentis, gloriæ cupiditatis utitur, qua sibi ac aliis, quantumlibet ceteroquin mentem excolat, molestus est, veræque felicitatis particeps fieri nequit. Quibus sic disputatis, necessitatem revelationis ob oculos ponit.

Sermone V in eo est, ut evincat, homines, revelatione carentes, sibique relictos, plurima quidem introspicere posse, quæ ad veram religionem pertinent, imo ad certissimam ejus cognitionem pervenire, sed tamen ineptos esse, ut alios eadem imbuant. Hinc inquirit, quid fortissimæ quæque rationes valeant. Requiritur nimirum, si quid efficere debeant, attentio sedula, animus præparatus, ac ita constitutus, uti vi atque efficaciæ, qua pollent, nihil adimatur. At enim subtilia argumenta non alliciunt plurimos, ut animum attendant. Paucissimi, quam vim habe-

habeant, norunt, adeoque ad aſſenſum non coguntur, quem ſi præbere debent, majori autoritate ad illum ſunt permovendi. Præterea pauci natura apti ſunt, ut philoſophicis rationibus locum relinquant, nec operam impendunt, quam debebant. E contrario præjudicatis capti opinionibus ad cognoſcendam veritatem accedunt, & affectibus ſuis in transverſum rapiuntur.

Sermone VI, hominem, docet, libertate donatum, ſed ad mala proclivem, divina autoritate neceſſario a vitiis cohiberi oportere. Præmia igitur ac pœnas non minus abſolute neceſſarias eſſe, quam publicam earum declarationem. Hinc, quid ſit libertas, explicat; tum inſignem hominum proclivitatem, ad abutendum hac excellentia, diſtinctius exponit, in amore voluptatis, ambitione, atque avaritia, quam maxime conſpicuam.

Quantis vero cum calamitatibus conflictandum ſit bonis, quam neceſſaria illis ac fructuoſa ſit revelatio, *Sermone VII* uberius enarrat. Multis enim hi ſæpenumero commodis deſtituti ſunt, atque illud minime ſua culpa. Integritas vitæ, bonaque mens, cui ſtudent, contemnitur a plurimis. Et quid magis in vulgus notum eſt, quam inſuperabilibus propemodum difficultatibus virtutem eſſe obſeptam. Miſerrimam adeoque fore conditionem mortalium, exiſtimat, ſi de futuro olim ſtatu, præter id, quod incertis precariisque humanæ rationis, uti loquitur Autor, concluſionibus innititur, cognoſcerent nihil. Denique, quantas revelatio miſeris, rudibus, atque illiteratis, ipſis etiam virtuti operam navantibus, commoditates afferat, pauperibus item piisque, recenſet.

Tandem *Sermone VIII* modum introducendi religionem, quo Deus uſus ſit curatius conſiderat. Uſus nempe eſt rationibus plenis ac ſimplicibus, iisque perpaucis. Poſtea autem artibus & literis, quas Ægyptus Græcia, ac Roma, colebant, ſucceſſus atque incrementa dabat. Qua ratione præparatis hominum animis, quos ut liberos rationeque præditos ſervare volebat, Soſpitatorem mittebat. Tum temporis etiam revelatione maxime opus erat. In ſumma enim literarum luce, artiumque flore inſigni, homines tamen ſuperſtitionibus dediti de via decedebant. Maxime nihilo minus proni erant ad recipiendam revelationem veramque religionem. Præterea Romanum imperium ſumma rerum potiebatur, cujus ope veritas propagari latius poterat.

Hæc, &, quæ enarravimus, alia, eum in modum proponit Noſter, facile ut pateſcat, magis eum commodis hominum illiteratorum, quam Metaphyſicorum, inſervire voluiſſe; id quod inſtituti ratio requirebat. Nihil enim in hoc Opuſculo offendent illi, quod magnopere placeat, qui in demonſtrando rigorem atque limatas ubivis meditationes, ſingulari acumine ſeſe probantes, quærunt. Ceterum, ſatis plane ac commode ſcriptum eſſe, haud diffitemur.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXXXIX.

HISTORIA LEODIENSIS, PER EPISCOPORUM & Principum seriem digesta, ab origine populi usque ad tempora Ferdinandi Bavari, studio & accurato labore Rev. Patris FOULLON, e Societate Jesu, quondam deducta, nunc primum ex eruditorum scriniis in lucem edita, & doctorum quorundam cura ad ætatem nostram suppleta.

Tomus I & II.

Leodii, typis Everardi Kints, 1735 & 1736, fol.

Tom. I Alph. 5 plag. 11, Tom. II Alph. 5 plag. 6½.

Legiam nascentem a gentis origine ad *Notgeri* usque Præsulis tempora primum deduxit Plur. Rev. Autor, quibus ea potissimum in hanc, quam hodie videmus, speciem adolescere cœpit, deinceps sese confert ad *Erardum Marcanum*, qui Legiæ decora a ruinis denuo excitavit, ac *Notgerum* magnificentia operum publicorum veluti in vitam revocavit. Veritatem sibi pro norma proposuit, medium tenens inter longitudinem aliorum ac brevitatem, ut veritas neque obvolveretur longitudine, neque brevitate exstingueretur. Gens Leodiensis olim invictam sese præstitit, Christianam doctrinam avide suscepit, ac aliis diligenter instillavit. *Joannes Erardus Fullonius*, qui Historiam suam venuste graviterque scripsit, Leodii natus est A. 1609, Societatem vero Jesu iniit A. 1625, ab an-

no 1637, quo ſtudiorum curriculum & tertium ex Societatis more Probationis annum abſolverat, reliqua deinde vita concionatus eſt in variis locis, & in ſola urbe patria annos 14, præterquam quod Huenſis Collegii Rector exſtiterit per triennium, ac deinde Tornacenſis, quo in munere illum mors A. 1668 occupavit. Fratres habuit *Eraſmum*, Principibus *Ferdinando* & *Maximiliano* a ſanctioribus conſiliis, & alium, qui in aulam Principis *Maximiliani* allectus fuit. Horum gratia ſuisque benemeritis ſubſidia, Hiſtoriæ ſcribendæ apta, ſibi conciliavit. Compendium hujus Operis, in annos digeſtum, edidit Leodii A. 1655 typis *Joannis Matthiæ Hovii*, item Commentariorum perpetuorum in Machabæos Libros II, *Maximiliano Henrico* Principi inſcriptos, quorum primus prodiit Leodii ex officina ejusdem *Hovii* A. 1670, ac ſecundus A. 1679. Exemplar hujus Hiſtoriæ integrum, accurate & nitide exaratum, a *Fullonio* ipſo quondam recognitum, ejusque ſubſcriptione firmatum, Editor a nobiliſſimo patriæ obtinuit magiſtratu. *Fullonius* Opus ſuum clauſit adminiſtratione Principis *Erneſti*, exhibita duntaxat brevi delineatione rerum ſub *Ferdinando* geſtarum. Viri celebres recentiora jam elaborare ſtudent, quæ in *Tomo III* ut exſtent proxime, providebit Editor. Opus *Fullonii* in *duos Tomos* idem diſtribuit. *Tomi primi Pars prior* exhibet deſcriptionem gentium variarum, quæ Leodienſe ſolum incoluerunt, poſterior ad *Joannis Valenrodii* adminiſtrationem inde a *Notgeri* Præſulis tempore decurrit. Utraque *Pars* complectitur *ſex Libros*. *Tomi II Pars prior* complectitur res Leodienſium a *Joannis Valenrodii* adminiſtratione usque ad *Erardi Marcani* electionem, *poſterior* concluditur *Erneſti* Bavari e vita exceſſu. Documenta nonnulla publica ad calcem Operis fuerunt ſubjuncta; ſed quam vellemus Diplomata antiquiſſima cum publico fuiſſent communicata! Addidit Editor ſeriem probatiſſimam Conſulum urbis Leodienſis, a *Fullonio* ipſo ex tabulariis publicis erutam. *Tomus* uterque *octo* continet *Libros*. Dabimus primum eorum ſummam, ac deinceps unum alterumque ferculum Lectori apponemus, adjecturi judicium æquitate temperatum pro more noſtro. *Libro primo* exponuntur

Leo-

Leodienſis populi initia, vetera Leodienſium nomina, priſci regiones fines, gentis mores & lingua, res ante *Cæſarem* geſtæ, urbs Eburonum, Vatuca & Legia, Tongri, Chriſtianæ fidei exordia, Epiſcopatus Tongrenſis, quindecim Epiſcoporum, & deinde octo Epiſcoporum, vitæ, resque civiles Tongrorum. *Libro ſecundo* explanantur varia, vita ſcilicet Divi *Servatii* Epiſcopi, Tongrorum vaſtatio, Epiſcoporum novem vitæ, Francorum Saliorum in Tongris rationes, Francorum dominatus, Epiſcopi *Domitianus*, *Monulphus* & *Gondulphus*, *Perpetuus* & *Ebregiſus*, *Joannes Agnus*, *Amandus*, *Remaclus*, *Theodardus*, ac tandem res variæ gentis Tongrenſis. *Liber tertius* continet vitam, *Lamberti*, Epiſcopi, cœlitibus adſcripti, *Pipinorum* ſtemma & res, *Huberti* vitam, Leodii urbis & ſedis Epiſcopalis fata, vitas D. *Floreberti*, *Fulcarii*, *Agilfridi*, *Gerbaldi*, *Valcandi*, *Pirardi*, *Hircarii*, *Franconis*, Epiſcoporum, Nortmannorum vaſtationis deſcriptionem, vitas *Stephani*, *Richardi*, *Hugonis*, *Faraberti*, *Ratherii*, *Baldrici*, & *Eraclii*, Epiſcoporum. *Liber quartus* complectitur vitas Epiſcoporum inde a *Notgero* usque ad *Albertum Cuiquium*, Epiſcopum LXIV. *Libro quinto* commemorantur Epiſcopi inde ab *Hugone Petrapontio* usque ad *Joannem* Bavarum, Epiſcopum LXXIX, & Schiſma Perviciacenſe. Et hæc eſt *primi Tomi* ſeries & ſumma. *Tomus II* conſtat *Libris tribus*, *ſexto*, *ſeptimo*, & *octavo*. *Sextus* Epiſcopis inde a *Joanne Valenrodio* usque ad *Joannem Hornæum*, & bellis Marcanorum, inſcribitur; *ſeptimus* ab *Erardo Marcano* deducitur usque ad *Gerardum Grosbecanum*. Subjunguntur Gheuſiorum turbæ, Leodienſis obſidio, Leodienſium res variæ, bellum Ordinum Belgicorum, & obſidio Trajectenſis. *Liber octavus* complectitur vitam *Erneſti* Bavari, conventum imperii, Aquenſium tumultus, Colonienſe bellum, populationes ab externo milite factas, acta pro religione firmanda, Aquas Spadanas, res miſcellaneas, interceptam arcem & urbem Huenſem, Huum receptum, veneficorum Stabuletenſium hiſtoriam, motus internos & externos, res varias, ac *Erneſti* ſuprema. Adduntur præterea privilegia *Philippi II*, *Henrici VII*, *Alberti*, duo *Sigiſmundi*, & unum *Maximiliani I*, ac transactiones,

 quæ

quæ ita denominatæ fuerunt: *Paix des Cleres, Paix de Fexhe, Paix de Vibogne, Paix de Jeneffe, Paix de Flone, Paix de Waroux, premiere Paix des Vingt-deux, seconde & troisième Paix de Vingt-deux, Paix de Seize, cinquième Paix des Vingt-deux, Reglement de Hinsbergh, Suite du reglement de Hinsberg, Paix de St. Jacques.* Et series Consulum Leodiensium extremo loco fuit recensita. Ex hisce, quid Lector ex Opere
Tom. I ipso proficere queat, satis patescit. Incolæ tractus Leodiensis
pag. 3. a *Cæsare* vocantur *Eburones.* Ipse Tongros non commemorat, *Plinio Tacito*que cognitos. Aduatici tenuerunt ibi loca, ubi nunc est *Hasbania.* Atuatica nunc vocatur *Heisdens.* Ex Condrosis superest *Condroz.* Ambivaritorum, quorum reliquiæ hærent in voce *Ampt-van-Rets*, ac Taxandrorum provincia fuit una eademque. Grudii supersunt in Lossensibus, ut pa-
4. tet ex locis *Groot Lonen, Banc van Graet, Gruyters Hoven.* Segnorum appellatio mansit in vico *Esseneux* ad Urtam fluvium. *Cæresos* agnoscunt aliqui in nomine vici *Serez, Seraing, Seranium,* primo a Leodio lapide. Genuina est Autoris con-
6. fessio: *Prima Ecclesiæ ætate Episcopos præcipuis urbibus attributos fuisse, lubens quidem concessero, sed, circumscriptos ipsis provinciæ suæ limites, non existimo.* Quæ *Tacitus* de *Tongris, nunc Germanis,* habet, veremur, ne sinistre sint adhuc accepta. Ii, qui Gallos vicerunt Rheno trajecto, vocarunt sese alacres & fortes, *tanger,* quæ vox Saxonibus inferioribus & Westphalis adhuc usitata. Deinde eosdem dixerunt vulgo *bellicosos* ex *guerra, werra,* id est, bello, & *man,* id est, viro. Urbs Eburonum ab Autore statuitur quarto circiter a Leodio lapide ad
16. fluvium Urtam fuisse sita in loco, quem accolæ vocant *Embour.* Ipse pro vulgata lectione apud *Cæsarem de B. G. Lib. IV Cap. 32*
17. *§. 3 Atuatucam* legit *ad Vatucam,* ac hoc castellum cum *Wendelino* ponit in Cassella prope Vitteniam, Trajectum inter & Aquis-
18. granum. Legia, seu Leodium, unde dicta sit, est satis obscurum. An a Ligiis, Germaniæ populis, *Tacito* memoratis? An ex Lagio, Notitiæ Imperii inserto? An ex vacuo, *ledig, ledick,* quia
19. *Cæsar* agrum Eburonum in solitudinem redegit? An ex *allodio,* quod Galli vocant *Leode?* Nil certi Autor determinat. *Augustus*

ſtus ſedem Eburonum dedit Tongris, ac Germaniam ſecundam vocavit, in qua Ubii & Tongri eminebant. Tongrenſis urbis Pag. 22.
incolæ tradunt, ex plano vallis proximæ ſæpius erui malos, ancoras, & conchylia; unde omnino intelligitur, mare ibi olim exſtitiſſe, certe magnum ac navigabilem lacum. Initia Chri- 23.
ſtianæ fidei, Tongros illuſtrantis, Autor ponit ad annum 52 a Chriſto nato, ratus, *Petrum*, tunc Romæ Epiſcopum, miſiſſe Treviros *Eucharium* cum ſociis *Valerio* & *Materno;* negat 25.
tamen, hunc *Maternum* fuiſſe viduæ *Naimitidis* filium. Sed, *Sulpitio Severo* invito, hæc creduntur. Necdum videmus, ſcriptorum coævorum vel illibatæ traditionis documenta hic utramque facere paginam. Epiſcopatum Tongrenſem, a *Materno*, Treviris tunc commorante, inſtitutum eſſe, *Fullonius* 32.
arbitratur, *Navitum* pro primo habens Epiſcopo, vel *Materni*, Treviros reverſi, ſucceſſore. A *Navito* ad *Servatium* usque grandis patet hiatus, nec conſtat, quinam fuerint Tongrenſibus Epiſcopi intermedii. In eum explendum collocat Noſter octo 35.
Epiſcopos, quorum nuda nomina vix ſunt cognita. Treviros, Ubios, ac Tongros, unus dicitur Epiſcopus rexiſſe ad *Conſtantini Magni* usque tempora. *Servatius* vocatur *Servation* in ſub- 44.
ſcriptione Concilii Ariminenſis, *Sarbatius* in Sardicenſi, *Sabatius* in Athanaſio. Colonienſem Epiſcopum, *Euphraten*, ipſe *Servatius* cum aliis Galliæ Epiſcopis in Concilio Agrippinenſi A. 349 damnavit, ac Epiſcopatu amovendum cenſuit, docentem quippe nova, ac inter ea, Chriſtum eſſe Deum, intrepide negantem. *Servatium* inter & *Athanaſium* magna interceſſit ami- 46.
citia. In Ariminenſi Concilio circumventus fuit *Arianorum* fraudibus *Servatius*, licet animi ſui robur ſatis oſtendiſſet. Inde 48.
Romam divertit, inde ad Vangiones venit, rediit Tongros, ac Trajecti obiit. Plurima vitæ ipſius miracula ſuiſſe a poſteris 50.
addita, nemo inficiabitur. Ex antiquiſſimo Eccleſiæ Trajectenſis Codice *Wendelinus* docuit tempus mortis *Servatii*, ſcilicet annum 384, diem 13 Maji. Mortuo *Servatio*, *Harigerus*, alii- 52.
que, eum ſecuti, annos 114 Eccleſiam Tongrenſem proprio Epiſcopo caruiſſe, affirmant. *Fullonius*, hisce deſertis, Epiſcopos novem a *Servatio* ad *Domitianum* numerat, quorum ætate

Tongri in Francorum venerunt potestatem. Salii legibus
Pag. 65. Romanis in Taxandria, permittente *Juliano*, sedem occuparunt. Eos Autor ex voce Teutonica *sahl*, quasi *aulicos & nobiles*, dictos fuisse credit. Quae ipse addidit de Saliis cognomen *Quadorum* indeptis, id est, *rabidorum & rebellium*, minus videntur verosimilia. Salii, cum Tongris conjuncti, in unum populum coaluere, ac tenue Lagensium praesidium, a Romanis
67. relictum, expugnarunt. *Fullonius Wendelinum* in eo etiam affectatur, quod, leges Salicas in eodem Tongrensi solo conditas fuisse Latino sermone, existimet. Hunni Tungrin haud
69. venerunt, licet *Aimoinus* ita tradiderit. *Stabuletum Remaclus* in usus Monachorum paulo ante A. 675 aedificavit & instituit. *Pepinus Landanus*, *Grimoaldi* pater, ita a *Landa* appellatus fuit, oppidulo jam in extrema Brabantiae ora ad Leodienses fines sito. Ad Landam vicus est *Hespen*, qui Hasbaniae ac
100 seq. Haspengowe tractui nomen dedit. Vita divi *Lamberti* inprimis diligenter fuit conscripta, insigne vero gentilitium, ei attributum, commento haud est dispar. Leodii origo ad *Lambertum* est referenda, quippe qui ibi villam tenuit, ac in ea orato-
112. rium, *Cosmae & Damiano* sacrum, in quo ipse abstinentiae & religioni vacare solebat. In eo satelles *Dodonis Lambertum*,
113. humi decumbentem, telo confixit. Stemma & res *Pipinorum*
115 seq. necem *Lamberti* excipiunt. *Hubertus*, *Lamberti* successor, Leodii duo templa condidit, quibus totidem adjunxit monaste-
126. ria. Addidit Autor: *Canonicos olim ubique coenobitas fuisse constat, non tamen omnes Monachos Benedictinos, etsi eorum collegia vocentur monasteria.* Ex sepulcro *Lamberti* ac miraculis,
132. ad illud fieri creditis, Legiae seu Leodio, tenui ante *Hubertum* vico, obtigit incolentium multitudo & civitatis dignitas. *Hu-*
133. *berto* Episcopo successit filius ejus, *Florebertus*. Sub *Stephano*, Tongrorum Episcopo, prima fit de duobus Diplomatibus regiis
161. mentio, sed admodum concisa. Ad A. 920 Pontifex Magnus *Joannes* hunc Episcopatum in literis vocavit *Leodiensem*,
164. Ecclesiamque appellavit *Legiam*. Idem *Richario* pallium concessit Romae, eumque ipse consecravit. *Stephano* jus cudendi numos indultum. Omittimus reliquorum Episcoporum res

gestas,

gestas, quæ non semper luculentis Scriptorum coævorum testimoniis sunt superstructæ. *Ægidius* plerumque refellitur. Requirimus autem in hoc Opere stili castitatem, nexum scribendi pragmaticum, consilia & modos, quibus Episcopatum Præsules amplificarunt, vincula cum dominis finitimis politica, & Diplomatum seriem. Privilegia perpauca, quæ Operi subtexta comparent, pertinent ad jura & immunitates, quas *Albertus II*, Episcopus Leodiensis, civibus suis concesserat. Singulos *Tomos* singuli Indices claudunt, diligenter elaborati. Charta & diligentia typographorum sunt prorsus eximiæ.

PRIMORDIA CORCYRÆ, POST EDITIONEM Lyciensem anni MDCCXXV ab Autore nuperrime recognita, & multis partibus adaucta.

Brixiæ, excudebat Joannes Maria Rizzardi, 1738, 4 maj.
Alph. 1 plag. 10, cum Fig. æn. 2.

Autor præclari hujus Operis est Eminentissimus *Angelus Maria Quirinus*, ex Abbate Benedictino-Casinensi A. 1723 factus Archiepiscopus Corcyrensis, hinc A. 1727 Episcopus Brixiensis, eodemque anno Cardinalis, & postea Bibliothecarius Vaticanus, Vir non tantum generis nobilitate illustris, Dux, Marchio, Comes, sed & literis præsertim humanioribus, & antiquitate sacra pariter ac profana, solide eruditus, in cujus Animadversionibus *Euclideis*, superiore Anno recensitis, commemorantur scriptus ab eo *Monastici Italici Prodromus*, & *de veteribus Græciæ orthodoxæ officiis* Libri, cui & veterum Brixiæ Episcoporum, *Philastrii*, *Gaudentii*, *Ramperti*, & *Adelmanni*, Collectionem debemus, Brixiæ A. 1738 in folio editam, cujus denique auspiciis S. *Ephraemi Syri* nupera editio, a Cl. *Assemano* curata, prodiit, & adhuc prodire pergit. Præsens liber ex reconditæ antiquitatis fontibus omnia tam limato judicio deducit, & tot eruditissimorum virorum hallucinationes critice perstringit, ut optandum esset, eundem integrum Thesauro alicui Antiquitatum, vel Thesauri Supplemento, inseri, ac posteritati commendari. Nos hic epitomen ejus tantum contractiorem dare possumus.

Age-

CAP. I Δρεπάνη hoc est, Falx, antiquissimum Corcyræ nomen fuit.
pag. 1. Fabula fert, falcem ibi occultatam fuisse, seu *Cereris* illa fuerit,
qua metendi artem Titanas docuit, seu alia, qua *Cæli* genitalia
5. *Saturnus*, aut *Saturni Jupiter*, amputavit. Verisimilius a figu-
ra hoc nominis habet, quod agnoscit Scholiastes *Apollonii Lib.*
IV, & in Siciliæ pariter Drepano vidit *Servius ad Æneid. Lib.*
6. *III.* Similiter *Macris* dicta Corcyra, non a *Macri*, *Bacchi*
nutrice, sed διὰ τὸ τῆς θέσεως ἐπίμηκες, ut ejusdem nominis
Eubœæ rationem reddit *Eustathius* ad *Dionysium Periegetem.*
7. *Scheria* posthæc appellata fuit ab ἴσχειν, quod cursum fluminum,
ex Epiro labentium, sisteret. Ita *Aristoteles* apud Scholiasten
Apollonii. Bochartus provocat ad Phœnicium vocabulum *Scha-*
CAP. II *ra*, emporium. Denique *Corcyra* nominata est, quod Κερκύ-
pag. 9. ραν, *Asopi* ac *Methones* filiam, huc traduxerat scilicet *Neptunus*,
10. vel secundum *Bochartum*, quod Carcara Orientalibus terra est,
in qua pacate vivitur, quod de Corcyra prædicat *Homerus Odyss.*
VII, quanquam ipse *Homerus* Corcyræ nomen nondum habet,
& apud *Strabonem Lib. I* & *VII* reprehenditur *Callimachus*,
Grammaticus, *Homericam* Scheriam Corcyræ vocabulo expri-
mens. Quo certius constat, memoria falli *Harduinum*, cum,
11. vetus, inquit, est nomen (Κέρκυρα) apud *Homerum.* Κορ-
κύρα utique, non Κερκύρα, est in numis. Audacius tamen
Ezech. Spanhemius ad *Callim. pag. 428* apud Autores ubique
pro κερκύρα, κερκυραῖος, reponere jubet κορκύρα, κορκυραῖος,
quod non scripsisset Vir doctissimus, si legisset *Eustathium* ad
Dionysii Periegesin v. 494, ubi ancipitem apud veteres nominis
scripturam esse observat, per ε & ο, ipse κέρκυρα constanter
scribens, quod & faciunt *Suidas*, *Hesychius*, Etymologicon M.
in quos propter ordinem Lexicographorum non cadit mendæ
12. suspicio. *Cercuram* quoque appellatam non dubitamus; unde
apud *Plautum* Cercurus navis est ab Insula Κερκύρα, rerum nau-
ticarum scientia nobili, ut frustra sint interpretes, qui vocem
Plauti vel eliminandam, vel aliunde repetendam, putant. Emen-
13. danda hinc lectio apud *Hesychium* in Σχερίη, qua voce indigita-
ta est insula, καὶ ἡ κευρὰ, in cujus locum Κέρκουρα restituendum.
Hodiernum nomen *Corfu* non ex vocabulo Corcyræ, ut vulgo
putant,

tunt, corruptum, ſed natum ex Græco κορυφῶ, quo medii ævii ſcriptores Corcyræ arcem deſignabant, teſte *Niceta Choniata Annal. Lib. II.* Ex *Neptuno* atque *Corcyra*, *Aſopi* filia, natus *Phæax*, primus Inſulæ Rex, unde Corcyræi Phæaces. Altum de *Phæacis* Regis rebus geſtis ſilentium apud veteres facit, ut, quæ *And. Marmora* in Hiſtoria Corcyrenſi de ejus legibus & potentia refert, commentitia credamus. *Jaſonis* quoque appulſus ad Corcyram ad *Alcinoi* tempora, non ad *Phæacis*, ſpectat. Neque *Phæax* apud *Plutarchum* in vita *Theſei* cum noſtro erat confundendus a *Marmora*, niſi & tres alios *Phæaces*, quorum apud veteres mentio, Corcyræ Reges vellet conſtituere. Fuit *Homeri* Poema Φαιακὶς a *Tuticano* Latine factum, teſte *Ovidio Ep. 12, 16, Lib. IV ex Ponto.* Sed Φωκαῒς *Homeri* carmen eſt in libro *de vita Homeri*, quod cum priore idem facit *Jo. Alb. Fabricius Bibl. Gr. Lib. II Cap. 2*, & pro Φωκαῒς apud *Herodotum Halic. Cap. 16* Φαιακὶς legi poſſe exiſtimat. At, cum ibi *Herodotus* ſcribat, *Homerum* in Phocæam contendiſſe, ibique Phocaidem ſuam elaboraſſe, res procul dubio Phocenſium complexam, multo pronius fuiſſet *Fabricio*, ſuſpicari, corrigendum *Ovidium* potius, quam *Herodotum*, & ibi pro Phæacida legendum Phocæada. Forte autem Phæacis *Ovidii* fuerit pars *Odyſſeæ Homeri*, quæ narrat ea, quæ *Ulyſſi* in Phæacia contigerunt. Conſtat enim vel ex *Æliano Var. Hiſt. XIII, 14*, Poemata *Homeri*, in varias partes olim diſſecta, diverſis nominibus inſignita eſſe. *Ælianus* quidem illam partem, quæ huc ſpectat, inſcribit: *Alcinoi Apologi;* ſed apud *Allatium de patria Homeri Cap. V* pro uno ſunt tres tituli: *Ulyſſis profectio ad Phæaces, Ulyſſis acceſſus ad Alcinoum*, &c. Interpres Latinus Notitiæ Græcorum Epiſcopatuum voces Κέρκυρα ἡ Φαιακία reddit *Corcyra, nunc Phæacia*, ſæpiusque alibi verbum *nunc* de ſuo addit, ex veteribus vocabulis imperite nova effingens. Unde mirum, hunc errorem non animadverſum eſſe a *Jac. Goaro* in nova illius Notitiæ, defæcata ſcilicet, editione, ad calcem *Ge. Codini*, vel ab *Emman. Schelſtratenio T. II Antiquitatum Eccleſ.* in *Appendice*, qui adeo in Indice notavit: *Corcyra, poſtea Phæacia.* Contra *Suidas:* Κέρκυρα νῦν λεγομένη, Φαιακία πρότερον ἐκαλεῖτο.

CAP. III pag. 17.

19. 20. 21. 22. 23.

λεῖτο. Cenſuram quoque meretur *Barneſius*, ad *Homeri* ver-
bum Σχερίη initio *Libri V* ſcribens: *Scheria, quæ poſt Phæacia,*
nonnullis Corcyra, Herodoto *Oaſis*, *ut Photius Biblioth.* Nam
Phæacia Oaſis ad Ægyptum ſpectat. Unde rectius ad *Photium*
num. 80 in margine notatum invenimus: *Alia eſt Homeri*
CAP. IV *Φαιακία, quæ ceteris Corcyra dicitur. Nauſithoum* deinde
pag. 25. Corcyræ Principem exhibet *Homerus Odyſſ. VII* ex *Neptuno*
& *Peribœa* natum, qui adeo a vulgo nec *Phæacis* filius fingi,
nec cum *Phæace* confundi, debebat. Hic *Odyſſ. VI* initio dici-
27. tur Phæacas ex Hyperæa propter rapinas Cyclopum traduxiſſe
in Scheriam, quam transmigrationem forte ignorarunt alii,
v. g. *Conon* narratione III apud *Photium*, & *Apollonius Argon.*
28. *IV*, quibus Phæaces in Scheria inſula ſunt αὐτόχθονες. Apud
Nauſithoum, ut autor eſt *Apollonius*, Rex *Hyllus*, ab *Hercule*
ex *Melita* genitus, infans eſt educatus, ſed is poſtea inſulam re-
liquit, &, ductis ſecum Phæacibus quibusdam, ad mare Saturni-
29. um conſedit. Ignoravit hunc *Apollonii* locum *Jac. Gronovius*
Antiqu. Vol. I, ad *Hylli* gemmam ſcribens: *Id notabile, quod*
caput cingatur diademate, cum Hyllus Rex legatur nuſpiam.
Sed & latere illum non debebat alius *Hyllus Heraclida* Rex,
30. multis laudatus. Hyperæam, ex qua Phæaces orti, Melitam
inſulam fuiſſe, diſputat *Cluverius*; cui rei fidem facit mons Cor-
cyræ Melitejus apud eundem *Apollonium*, ejusque Scholiaſten.
33. Phæaciam Hyperæam memorat præter *Heſychium* & *Stepha-*
nus de Urbibus in Ἄργος, unde & diſcimus, *Argos* nomine do-
natum fuiſſe Corcyram. Fallitur vero *Berchelius*, tradens,
non alios veteres Scriptores eam Argos nominaſſe. Occurrit
CAP. V enim & apud *Euſtathium*, *Dionyſii* Scholiaſten, ad *v. 494.* *Ho-*
pag. 35. *merus Odyſſ. VII Nauſithoi* liberos, *Rhexenorem Alcinoum*que,
refert, quorum hic fratris, ab *Apolline* interemti, filiam, *Aretam*,
36. duxerit. Sed *Conon* apud *Photium num. 186*, *Rhexenore* o-
miſſo, *Alcinoum* & *Locrum Phæacis*, non *Nauſithoi*, liberos
facit, ex quibus *Locrus*, cum parte populi Corcyræ in Italiam
trajiciens, ducta *Latini* Regis filia, ab *Hercule* ſit occiſus; unde
38. Locrenſium cum Phæacidis cognatio. Quæ licet ab *Homero* ac
Latinorum Hiſtoricis diſſentiant, non obſervata reperimus a
recen-

recentioribus. Occurrit tamen veſtigium cognationis inter Corcyrenſes & Locrenſes in nummo Corcyræorum, qui, *Harduino*, *Golzio*, & *Marmoræ*, non memoratus, reperitur in *Græcia antiqua Wolfg. Lazii*, cum navi, quod eſt inſigne Corcyræorum, & ab altera parte cum ſpica ac capite coronato, nec non literis ΜΕΤΑΠ. ſcilicet Μεταποντίνων, qui erant Locrenſium finitimi. Venimus nunc ad Argonautas, qui, teſte *Apollonio*, cum theſauro & *Medea* rapta ad Corcyram delati & liberaliter excepti ſunt. Cumque inſecuti Colchi *Medeam* repeterent, & *Alcinous* pronuntiaſſet, ſi jam cum *Jaſone* rem habuiſſet *Medea*, reddendam non eſſe, clanculum effecit *Areta* Regina, ut proxima nocte cum *Medea Jaſon* in ſacro antro concumberet, quod antrum ad *Apollonii* ætatem *Medeæ* antrum vocatum eſt. Colchi itaque, votis fruſtrati, cum ſine *Medea* reverti puderet, in Corcyra manſerunt, Argonautæ vero ex ea ſolverunt. *Jac. Gronovius* ad laudatam ſupra Corcyræ gemmam, perinde ac ſi ipſi Argonautarum expeditio non comperta fuiſſet, ait, *Alcinoum* & Corcyram per *Ulyſſis* navigationem inclaruiſſe apud Græcos, cum tamen jam ante *Ulyſſem* Argonautica expeditio Corcyram reddere debuerit celebrem. *Ulyſſes* tamen non multo poſt Argonautas ad Corcyram appulit, ſiquidem ab eodem *Alcinoo*, eademque *Areta*, benigne habitus, poſtremo a Phæacibus in Ithacam pervectus fuit, quæ pluribus libris enarrat *Homerus*. Unde lucem accipit vexata inter Chronologos quæſtio de epocha expeditionis Argonautarum. Nam, ut *Alcinous* & *Areta* Argonautis primum, deinde *Ulyſſi*, σύγχρονοι eſſe potuerint, non 79 anni interponendi ſunt cum antiquo Chronologo apud *Clementem Alexandrinum* & *Jacobo Capello*, imo *Euſebio*. Magis ad verum *Petavius* 40 annos, verius *Scaliger* 20 circiter, ponit. Sed mirum, Duumviros celebres in fingenda epocha ad *Alcinoum* & *Aretam*, nomina ſexcenties commemorata Argonauticis ſcriptoribus, non attendiſſe, quæ inprimis ante oculos eſſe debebant, non *Priami* ætas ex Iliados parvæ ſuppoſito ſcriptore. *Alcinoi* tempore nobiliſſima urbs princeps Corcyra, nobile palatium Regis, nobiles *Alcinoi* horti, quæ *Libro VI & VII Odyſſ.* deſcribit *Homerus*. Circa

Pag. 40. — 42. — 45. — CAP. VI pag. 47. — 49. — 50. — CAP. VII pag. 60.

urbem turres & mœnia sublimia, ab utroque latere portus, & singulis navibus stationes. Ipsa urbs intus plena Principum curiis, eminente tamen palatio Regis, cujus præ foribus aurei & argentei canes, opus *Vulcani*, intus solia cum pulvillis bene netis; tota domus auro, argento, gemmisque, refulgens. Maxime laudantur *Alcinoi* horti, adeo, ut *Bonjourius* in illis Paradisum quærendum duxerit, veteresque per proverbium dicant,
Pag. 65. *Alcinoo poma dare*, *Martial. Lib. VII Ep. 41*. Ex his *Homericis* præsertim narrationibus intelligitur, cur *Dionysius Perieg.* Corcyram dicat λιπαρὰν, cur eandem πίειραν *Apollonius Argon. IV*, itemque ἀμφιλαφῆν, hoc est, interprete Scholiaste, utrinque commoda navium statione gaudentem, quanquam tertium portum addit *Scylax* in *Periplo*, & unum γλυκὺν ὀνομασμένον *Dio Lib. L* propter dulces aquas in eum illabentes. Fertilitate & amœnitate regionis captum quoque mirifice *Atticum*,
CAP. VIII ex pluribus *Ciceronis* Epistolis intelligitur. Ipse *Cicero Lib. V*
pag. 67. *Ep. 9 ad Att.* opipare se epulatum Corcyræ Saliarem in modum
68. scribit. Gens fuit religiosa, & cultus Deorum studiosissima. *Jupiter* inprimis *Casius* apud eos colebatur, ut ex *Plinio IV, 12*, discimus, & numis pluribus apud *Marmoram*, in quibus hæc inscriptio: Ζεὺς Κάσιος, quod cognomen *Jovis* etiam
69. celebrat *Lactantius de falsa religione I, 22.* Sed interpres *Joseph. Isæus* ad *h. l.* a Casio monte & urbe Ægypti nomen unice repetens, nescivisse videtur, *Jovem Casium* non in Ægypto tantum, sed & Phæacia, cultum. *Suetonius* in *Nerone Cap. 22: Ut primum Cassiopen trajecit, statim ad aram Jovis Cassii cantare auspicatus est.* Cassiope oppidum celebre Cor-
70. cyræ. *Casius* & *Cassius* promiscue scribebantur. Leguntur præterea Corcyræi *Neptuno*, a quo genus ducebant, ejusque Nymphæ *Corcyræ*, tum & *Mercurio*, *Minervæ*, *Apollini*, *Jano* bifronti, *Bacchoque*, sacra fecisse, quod & partim numi de-
CAP. IX monstrant. Quod ad reipublicæ conditionem spectat, sceptri-
pag. 73. geros quidem Reges tredecim inducit *Homerus Odyss. VIII*, in quibus tertius decimus *Alcinous*; sed tamen *Alcinoo Odyss. VI* κάρτος τε βίη τε tribuitur, unde *Eustathius*, regni & aristocratiæ
75. apud ipsos mixturam viguisse, colligit. Sceptrigeri ceteri, non quod

quod Reges, sed quod Judices. *Areta* prudens quidem fœmina & honorata; sed tamen ex arbitrio *Alcinoi* pendebant omnia. Plura de Corcyræorum politia dici possent, si exstaret *Aristotelis* liber περὶ τῆς κερκυραίων πολιτείας. Hospitalitatem Phæacum probat Argonautarum & *Ulyssis* appulsus; hæc tamen laus ad Principes magis, quam ad omnes, pertinet, de quibus potius *Odyss. VII*, quod hospites inclementius accipiant, id quod de nautica plebe exponit *Eustathius*. Unde *Ez. Spanhemius* ad *Callimachi* hymnum in Delum *v. 156* non tam confidenter rejicere debebat lectionem κέρκυρα κακοξεινωτάτη pro φιλοξεινωτάτη, aut præterire tam aperte contraria hospitalitati testimonia *Homeri*. Laudat tamen *Odyss. XIII* in nautis etiam fidem, qui *Ulyssem* salvum in Ithacæ litore exponunt, eique ibi dormienti dona ab *Alcinoo* &c. data omnia afferunt. Fuerunt Corcyræi navigationis peritissimi. Incredibile tamen, quod ex Corcyra in Eubœam & Ithacam die uno trajecerint, *Odyss. XII*; longe portentosius, quod *Alcinous Odyss. VIII* naves suas, quamvis gubernatore & gubernaculis destitutas, scire ait propositum, quo tendant singuli & ipsa in caligine sine ullo damno trajicere. Hinc Corcyræi δολιχήρετμοι, ναυσίκλυτοι, φιλήρετμοι, & nomina singulorum pleraque nautica, observante *Eustathio Odyss. VIII*. Numi Corcyræi nave insignes, & Cercurus Corcyræi navigii genus. Vigebant apud Phæaces quoque omnia ludorum genera, cursus, lucta, saltus, jactus, pugilatus; nihil horum vero tantopere admiratus *Ulysses* legitur *Odyss. VIII*, quam agilitatem in saltando, conjunctam interdum cum pilæ lusu. Excellebant etiam cantu Corcyræi, inprimis *Demodocus*, quem Deorum & ipsius *Ulyssis* gesta canentem facit *Homerus*, unde apud *Plutarchum* legitur carmine expressisse Ilii excidium, & *Veneris* cum *Vulcano* nuptias; imo *Veneris* & *Martis* scribere debebat, *Homerum* secutus. Ejusdem *Demodoci* & *Photius Pausanias*que meminerunt. *Cicero* ex ejus exemplo non dubitandum ait, quin fuerint ante *Homerum* Poetæ; quanquam *Allatius*, ut alia, sic Poetas ab *Homero* confictos esse, non male suspicatur. Male audiunt Phæaces ob luxum & comessationes. Ipse *Ulysses* hæc velut summum bonum

CAP. X pag. 78. 80. 82. 83.

CAP. XI pag. 85. 87. 88.

CAP. XII pag. 89.

CAP. XIII pag. 97. 101. 102.

CAP. XIV pag. 104.

Pag. 107. num commendat *Odyſſ. IX*, quod varie excuſatur apud *Athenæum XII, 1*, ubi *Eratoſthenes* etiam pro εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα legi jubet : ἔχῃ, κακότητος ἀπεούσης. Obſervavimus, *Athenæum l. c.* memoriæ lapſum, cum *Ulyſſis* dicta *Alcinoo* tribuit, & cum *Alcinoi* verbis conjungit; nec probandum, quod in *Dalecampii* verſione additur *haud recte*, per-
108. inde ac ſi *Athenæus* ipſe *Eratoſthenis* emendationem rejeciſſet, quod ex Græco minime apparet. Ἀλκινόοιο τράπεζα pro luxurioſa menſa plus ſemel eſt apud *Gregorium Nazianzenum*; abſuerunt tamen Phæaces ab intemperantia, & certos fines in
109. conviviis ſervarunt, quod pluribus ex *Athenæo* diſcas. Vinolentos fuiſſe, exiſtimaret aliquis ex *Dalecampii* verſione, qui illud *Alcinoi* apud *Athenæum I, 11*, μέθυ νεῖμον πᾶσιν ἀνὰ μέγαρον ſic reddit: *Fac, ut ſint temulenti in noſtris ædibus omnes.*
110. Reddendum erat: *Vinum diſtribue omnibus per domum.* Μέθυ cum μέθη confudit *Dalecampius*. Inter vinoſos populos apud *Athenæum X*, & *Ælianum III, 15*, Phæaces non reperiuntur; vinum tamen eorum & cellæ vinariæ nobiles apud *Athenæum*,
CAP. XV *Xenophontem*, *Pollucem*. Stupidi a pleriſque veterum haben-
pag. 114. tur, quod narratiunculis *Ulyſſis* de Lotophagis, Cyclopibus, Circe, bubus Solis, &c. aures præbuerint; unde proverbium,
117. *Alcinoi apologi*. Intellige autem *Ulyſſis* ſermones ad *Alcinoum*; nam falſo illud adagium viri docti, & in his *Perizonius* ad *Æl. XIII, 14*, de ipſius *Alcinoi* ſermonibus interpretati ſunt. Eaſ-
121. dem fabellas *Ulyſſes Penelopi* iterum, ſed brevius, narrat, quo reſpicit *Ariſtoteles III, 16, Rhetoricorum*, *Alcinoi* Apologos ad *Penelopen* referens; in quo loco explicando *Eraſmus*, *Manutius*, aliique, tantopere aberrant a ſcopo, ut *Alcinoum* quendam Scri-
CAP. XVI ptorem commenti ſint. Fœminis, v. g. *Nauſicaæ*, *Alcinoi* filiæ,
pag. 122. *Odyſſ. VI* tribuitur aurigatio, lotio veſtium, & interea, dum
126. ſiccarentur, pilæ luſus cum ancilla. Teſtatur *Athenæus*, *Suidas*, *Euſtathius*, ipſam inventionem σφαίρας, pilæ luſoriæ, *Nauſicaæ*
127. adſcribi ab *Anagallide*, Grammatica Corcyræa. Celeberrimus vero *Iſaacus Newtonus*, ad *Suidam* provocans, ridiculo propemodum lapſu *Nauſicaam* conſtituit inventricem ſphæræ cœleſtis, in libro *de la Chronologie des anciens Royaumes pag. 89*, veriſimile putans,

putans, ab Argonautis eam didicisse. Ita ex sphæra lusoria fit ei sphæra cœlestis, quod tanto magis mirum, quia apud *Suidam* sequitur σφαιρίζω, pila ludo. Laudatur quoque in fœminis Corcyræis ars telas texendi *Odyss. VI, VII*, & in *Nausicaa* pudor virgineus. Atque hæc ex *Homericis* antiquitatibus, quarum loco *And. Marmora* plane refragantia *Homericis*, & sine ullius vetusti scriptoris autoritate conficta ex ingenio, obtrudit. Facilius quis ignoscat juveni ascetæ, Indicis in *Bibliothecam Coislinianam* autori, ubi *Alcinoo*, Phæacum Regi, *Alcinoi* Platonici, qui 1300 annis a priori abest, tractatus περὶ τῶν Πλάτωνος δογμάτων adscribitur. Mox post *Ulyssem* Phæacias oras legit *Æneas* apud *Virgilium Æn. III*, & *Ovid. Metam. XIII*, ubi iterum *Marmora* fabulas cudit, *Helenum* in Corcyram appulisse dictitans, cum in Epiro descendentem faciant veteres, & Buthroti urbis e regione Corcyræ conditorem. Sed qui factum dicamus, ut Buthroti urbs, quamvis *Virgilio celsa*, se non conspiciendam dederit *Nic. Franc. Haymio*, qui in *Thesauro Britannico* ad Buthrotorum numum, qui affertur *Vol. II pag. 101*, fatetur, se prorsus ignorare, qua ea urbs terrarum parte sita sit. In Corcyram colonia deducta est a *Cherſicrate*, expulsis prioribus incolis, atque ex eo tempore Corcyra dicta, teste *Strabone*, *Eustathio*, & *Conone* apud *Photium*. Sexcentis annis post Troica tempora id factum esse, *Timæus* autor est, alii aliter, &, quanquam *Timæi* diligentiam Chronologicam commendat *Diodorus Sic. Lib. V*, tamen *Periandri* ætas, quam hæc deductio antecessit, non patitur, ut tanto intervallo hanc deductionem a Troicis temporibus removeamus. Corinthiam originem Corcyræorum numi Pegaso notati monstrant, quod insigne urbis matris pro more colonia retinuit. Hic iterum urbem, a *Cherſicrate* conditam, *Marmora* quoad singulas partes & ædificia describit sine teste. Vicissim Corcyræorum colonia, Epidamnus seu Dyrrachium & Apollonia. De Dyrrachio inter Corinthios & Corcyræos controversia & bellum Peloponnesiacum ortum. Sic & Apolloniam, quam *Strabo*, *Scymnus*, & *Pausanias*, a Corcyræis & Corinthiis repetunt, solis Corinthiis adscribit *Thucydides*, *Plinius*, *Dio-*

Marginalia: CAP. XVII pag. 131. 140. — CAP. XVIII pag. 142. 144. — CAP. XIX pag. 148. 150. 153. 155. — CAP. XX pag. 157. 159.

Diodorus, Stephanus. Quod igitur apud *Stephanum* pro κο-
ρινθίων ἀποικία *Berchelius* legi vult κερκυραίων καὶ κορινθίων,
violentum est, falsumque, quod solus præter *Stephanum Thucy-*
Pag. 162. *dides* id asserat. Aliæ etiam fuerunt Corcyræorum coloniæ,
qui, toto circa mari potiti, Corinthios præ se contemserunt, au-
tore *Thucydide Lib. I,* unde inter populos θαλαττοκρατοῦν-
τας in Chronici *Eusebiani* lacuna *num. 13* & *14* forte locum
CAP. XXI Corcyræi inveniant. Incertæ ætatis sunt Corcyræorum quæ-
pag. 166. dam donaria, inprimis flagellum æreum, cum ære seu lebete
Dodonæo conjunctum, sic, ut flagelli extrema, a vento agitata,
sonum continuo in lebete ederent. Templum Dodonæi Jovis
in continente Corcyræ opposita seu Thesprotia fuisse, colligitur
ex excerptis ex *Lib. VII Epitomes Strabonis.* Proverbium au-
tem Κερκυραίων μάστιξ, hinc ortum, quamvis aliter a plerisque
expositum, videtur perinde ut alterum æris Dodonæi, ἀσιγή-
τοιο λέβητος, pertinere ad hominem improbæ & importunæ
CAP. XXII loquacitatis. Inseritur alius donarii inscriptio Corcyræa ex
pag. 174. *Diario Italico Montfauconii*, cujus versio obscurior explicatur;
item Epigramma Græcum, mendis respersum, & ineditum existi-
matum in eo *Diario*, affertur absque iis mendis, cum nova
186. versione, ex *Cyriaco Anconitano* & *Holstenio.* Epigramma pro
CAP. XXIII ἐπιγραφῇ poni, multis testimoniis ostenditur. Numi Corcy-
pag. 189. ræi a *Marmora* imperite explicantur. Nomina propria Νικά-
νωρ, Φίλων, Φιλωνίδας, conjuncta cum voce κερκυραίων, ex-
ponit: *Corcira degli amici, Corcira vedesti, Corcirei vittoriosi.*
Somniat & Corcyræorum Reges *Chersicratem, Alcmeum*, alios
numos in honorem Corcyræorum cusos, ubi nulla eorum
191. mentio. Ex numo *Philippi* Imperatoris cum templo, argu-
mentatur, Corcyræos illum pro Christiano habuisse; ex alio
Constantini M., in quo mulier cum palma, infert, jam ab eo
tempore Corcyram Virginem & Martyrem in honore habi-
193. tam; quasi nullum unquam apud ethnicos locum habuissent seu
templa seu palmæ. Corrigitur explicatio variorum numorum.
CAP. XXIV De *Periandro* agitur, Corintho æque ac Corcyræ imperante,
pag. 200. ejusque filio, *Lycophrone*, a Corcyræis interfecto. In bello Græ-
corum contra *Xerxem* Corcyræi cum auxilium promisissent,

missis

missis 60 triremibus, nihil egerunt, nisi ut eventum belli specularentur; quare, de delenda Corcyra cum Græci consilium cepissent, a *Themistocle* deterriti sunt, qui deinde, velut de Corcyra bene meritus, in eam insulam confugit, quanquam inde ad Molossorum Regem se recipere coactus fuit, unde iterum *Marmora* falso regnum ibi tenuisse scribit. Post *Periandri* excessum, & *Xerxiani* belli turbinem, Peloponnesiacum bellum atrox anno ante C. N. 431 exarsit. Origo fuit certamen Corinthiorum & Corcyræorum de Epidamno. Hinc Corcyræ seditio funesta, cum Corcyræorum 250 capti a Corinthiis, & humaniter tractati, ac deinde dimissi, id egerunt, ut Corcyram Corinthiorum ditioni adjungerent. De *Marmora* notandum, quod ei ab Italo quodam calamum commodatum comperimus, quodque voluerit in nova editione multa supplere, multa emendare, teste *Sponio Itin. Tom. III.*

CAP. XXV pag. 205.

216.

Accedit ad *Corcyræ Primordia* Appendix, sacra quædam Corcyræ primordia repræsentans, scilicet recens initam rationem Eminentiss. Cardinalis, pro innocue retinenda, quæ ibi viget inter Latinos & Græcos, in sacris consuetudine. In titulo est effigies urbis Corcyræ. Subjunguntur duæ tabulæ æneæ, quæ repræsentant sacras quasdam cerimonias, Corcyræ celebratas, quarum archetypa, Græco penicillo adumbrata, in Vaticana Pinacotheca asservantur. Argumentum primæ continetur hac Epigraphe: *Bis in anno Græcus Corcyræ clerus ad aulam palatii Archiepiscopalis solenni pompa accedit, multosque annos Romano Pontifici Græcis cantilenis apprecatur, & ipsi Archiepiscopo, a quo postea generosis vinis & bellariis donatur.* Alterius epigraphe hæc est: *Anno MDCCXXIV die XII Dec. Archiepiscopus Corcyrensis Ecclesiam Græcam S. Spiridionis solenni pompa, urbano Magistratu deducente, (quod nemini ex Prædecessoribus suis contigerat,) ingressus est, & Græco sermone panegyricam ad eum orationem habuit Græcus Orator.* Ipsa Appendix continet, præter allocutiones Emin. Cardinalis ad Corcyrenses & Brixienses, Epistolas ejus duas ad Papam *Benedictum XIII*, de ordinationibus Græcorum per Archiepiscopum Latinum, & quibusdam ritibus Græcorum corrigendis, cum Papæ responso.

Versuch einer Kirchen-Historie, rc.

h. e.

DELINEATIO HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ, quatenus ipsa est instar Isagoges ad Jurisprudentiam Ecclesiasticam. Seculum II. Autore JO. GEORGIO PERTSCHIO, JCto, Regi M. Britanniæ & Electori Brunsuicensi a Consiliis Aulæ, Assessore Dicasterii Aul. Hannoverani, Protosyndico Reipublicæ Hildesiensis, Directore Dicasterii Ecclesiastici in eadem urbe. Accedunt Indices in Sec. I & II.

Lipsiæ, impensis Jo. Mich. Teubneri, 1737, 4.

Alph. 3 plag. 7.

Inest Operi Tabula æri incisa, quæ systema exhibet Valentinianorum ad *pag. 322.*

Procedit auspicato Seculum II Historiæ Ecclesiasticæ, quam Ill. *Pertschio* debemus. Inscripsit hanc *Partem* Serenissimæ *Elisabethæ Sophiæ Mariæ*, Viduæ Gloriosiss. Principis *Augusti Wilhelmi*, Ducis quondam Brunsuicensium & Luneburgensium. In præmonendis disserit de eo, quod in Jurisprudentia est pulchrum, imitatus exempla *Crosæ* & *Jo. Franc. Buddei*. Pulchritudinem distribuit in idealem & sensualem, atque ad utramque constituendam requirit 1) *varietatem* in eis, quæ simul existunt, 2) *concordiam eorum ad eundem finem*, 3) *regularitatem*, 4) *ordinem*, & 5) *proportionem*. Deinde subjicit exempla & illustrationes, antequam ad *§. 16* pervenit. Quo facto, succincte de varietate, concordia, regularitate, ordine, & proportione doctrinarum Juris haud unius disserit. An leges civiles universæ eundem ad scopum sensumque tendant, ipse videtur dubitare. Id inprimis in tractatione agit, ut Juri Ecclesiastico reformando materiem & fundamenta subministret. Clericis & Theologis ubique adversissimum se præbet, horumque nævos tam acerbe notat, ut magis vix possit. Jure id, an injuria, factum sit, alii inquirant. Tractatio ipsa constat *Capitibus XVIII. Primo* exponit de statu religionis & Ecclesiæ Christianæ generatim; *secundo* de corruptela religionis & irrepenti superstitione; *tertio*

tio de doctoribus Ecclesiæ celeberrimis, eorumque vita, opinionibus, fatis, scriptis, & reliquis momentis, eodem spectantibus; *quarto* de locis Christianarum Congregationum; *quinto* de personis ecclesiasticis, & hierarchia; *sexto* de tempore conventuum Christianorum, de festis & jejuniorum statis diebus; *septimo* de cultu Dei externo & cerimoniis; *octavo* de Baptismo; *nono* de agapis, sacra cœna, & confessione auriculari; *decimo* de excommunicatione & pœnitentia ecclesiastica; *undecimo* de bonis ecclesiasticis, quæ consistebant nec in decimis, nec in primitiis frugum, nec in agris, statisve reditibus, sed in eleemosynis & sponte oblatis; *duodecimo* de Conciliis & judiciis ecclesiasticis; *decimo tertio* de hæresibus, quas subinde excusat, licet munus advocati hæreticorum detrectet; *decimo quarto* de persecutionibus ac calumniis, in Christianos temere conjectis; *decimo quinto* de statu conjugali & œconomico Christianorum; *decimo sexto* de cura pro ægrotis ac defunctis; *decimo septimo* de nonnullis scriptis suppostitiis; ac tandem *duodevicesimo* de statu Ethnicorum & Judæorum. Accedunt appendicis loco nonnulla conjectanea. Nunc dabimus ea, quæ Autori sunt maxime propria, nec alibi quærentibus facile offeruntur. Seculo secundo doctrinæ Christianæ puritas & Christianorum vita passim contrahere vitium, damnumque pati, cœpit, si ipsius amplectendum sit judicium. Antistites Ecclesiarum, sibi solis veritates patere, existimabant, per manus & hæreditatem quasi traditas. Ea, quæ in sacro Codice de perpetuitate & firmamento Ecclesiæ a sensibus disjunctæ leguntur perscripta, doctores Ecclesiarum de sese dicta credebant. *Irenæus* successionem doctrinæ verioris ab Episcoporum personali successione derivat. Nemo non ad traditionem Apostolicam provocavit, ac nonnulli ex eodem fonte *chiliasmum* propugnare haud erubuerunt. De principatu & prærogativis Ecclesiæ ipsæ cœperunt inter se concertare. Eæ, quæ videbantur eximiæ, reliquas sibi subjicere tentarunt. *Irenæus* Romanam habuit jam pro celsiori, seu *principaliori*. Nec tamen propterea Episcopus Romanus in Ecclesias reliquas potestatem obtinuit, licet eam cœperit anhelare. Viguit arctissimi mutuique nexus consortium inter Ec-

Pag. 3 seq.

4.

5.

7.

 clesias

clesias particulares, adeo, ut spiritus unus eos videretur ani-
Pag. 11. mare. Religio Christiana sese longe lateque diffudit, in Gal-
lias usque. Disciplinæ, qua Christiani utebantur, severitas re-
spuebat coronas in capite, unguenta exotica, spectacula, &
12. ea, quæ speciem peccati præbere poterant. Miracula nonnulla
fuerunt effectui data eo ævo; viguit vaticinandi divina facul-
tas; in mortibus cruentissimis subeundis constantia admodum
13. mirifica eluxit. In scholis elementa religionis Christianæ tra-
debantur. *Lucium*, Britannorum Regem, nomen Christo
14. dedisse, merito negatur. Seculo secundo nondum obtinuit
Symbolum Apostolicum eam formam, qua illud nunc apparet
instructum. Successio Episcoporum Romanorum difficultatibus
17. suis laborat, licet *Pearsonus* & *Dodwellus* eam expedire & ex-
tricare contenderint. Diptycha erant libri, in quibus scribe-
bantur nomina Episcoporum, bene de cœtu meritorum, & eo-
19. rum, qui in communione Ecclesiæ fuerant defuncti. Corru-
ptelarum, in fundum rei Christianæ irrepentium, hi exstitere
gradus. Episcopi cœperunt affectare dominatum. Doctrinas
Christianas plerique e Philosophiæ loculis illustrarunt, imo com-
probarunt. Episcopatuum domicilia pro sedibus Apostolorum
21. reputata. Christiani cœperunt dissentientes, Judæos & Gnosti-
cos, odisse & insectari. Signo crucis miram vim plerique
tribuerunt. Martyria seu lavacra sanguinis sustinere vicem Ba-
23. ptismi, credidere multi. Veneratio, erga Martyres elucens, ju-
sto major cœpit reddi. Reliquias collegerunt & asservarunt
Christiani ex corporibus Sanctorum, eisque primo honorem
tribuerunt nimium, ex quo tandem sequenti tempore adoratio
25. earum succrevit. Diebus martyriorum conventus acti, & do-
na, sponte oblata, reddita, ex quo more officia pro requie &
sacrificia pro defunctis tandem enata fuerunt. Allegoriis pre-
tium justo majus fuit tributum. Sex millenniis exactis succes-
27. surum esse diem extremum, nonnulli sibi persuaserant. *Poly-
carpum* habuisse pro capite Ecclesiarum Christianarum Episco-
44. pum Romanum, fabulæ loco habendum. Autor suspicatur,
locum, quo *Joannes* dicitur in dolium ferventi oleo plenum
conjectus fuisse, esse in Epistolam *Polycarpi* aliunde intrusum.

Agit

Agit hinc Autor de *Ignatio, Polycarpo, Agrippa Castore, Quadrato, Aristide, Aquila, Aristone Pellao, Justino Martyre, Hegesippo,* Pag. 49.
fabuloso rei ecclesiasticæ historiographo, *Dionysio Corinthiaco,* 71.
cœlibatus obtrusi refutatore, *Philippo*, Episcopo Gortyniorum, 76.
Melitone, Episcopo Sardensi, *Athenagora*, *Pinyto*, Episcopo Cnossensi, cœlibatus patrono, *Theophilo*, Episcopo Antiocheno, *Tatiano*, Encratitarum autore, qui spiritum hominis ab anima distinxit, *Musano, Modesto, Claudio Apollinari*, apologeta, 79.
Miltiade, *Irenao*, Historiæ philosophicæ imperito, exigui judicii homine, *Panteno*, Alexandrino scilicet catecheta, *Apollonio* utroque, *Rhodone, Serapione, Theophilo.* Cæsareensi, *Clemente Alexandrino*, erroribus variis insigni, *Tertulliano*, severo morum magistro, *Polycrate, Athenogeno*, & *Abercio*, ac methodo demonstrandi, Patribus usitato. Nec templa, nec altaria, Christianis tunc erant. Presbyteris paulatim nomen inditum est *Sacerdotum.* Populus Christianus per consuetudinem tacitam Clericis peculiarem ordinem, & inde enatam dignitatem, concessit. Episcopi jam ultra Presbyteros eminuerunt. De origine Episcoporum adduntur haud tralatitia, nec non de eorum munere. Metropolitani nondum Seculo secundo innotuerunt. Multi Episcopi, Presbyteri, ac Diaconi, uxoribus erant instructi. De Monachis & Virginibus cœnobio inclusis altum ea ætate fuit silentium. Clerici honesto, communi tamen, vestitu utebantur. Philosophi, ad sacra Christiana transgressi, pallii gestamen retinebant. Sabbatum magnum vocabatur id, quod proxime festum Pascha præcedebat. Dies Veneris, quo Christus in crucem fuit sublatus, appellatus fuit Pascha. De figendo Paschatis die lites fuerunt motæ, quæ hic copiose recensentur. *Oblationes pro defunctis facta* ita sunt intelligendæ, ut eæ quotannis in die martyrii & emortuali darentur effectui, constantes ex pane & vino. Cognati illius, qui mortem suam obierat, in conventum asportabant hæc dona, ut ostenderent, illum in communione Christianæ fidei decessisse de vita. Dona autem ipsa, sponte oblata, transferebantur ad usus pios, agaparum, sacræ cœnæ, eleemosynarum. Diebus martyrum festis prælegebantur acta martyrii eo

[Margin: 90. — 94 seq. — 108 seq. — 119. — 120 seq. — 130 seq. — 140. — 153. — 160 seq. — 175 seq. — 176. — 181 seq.]

in loco, quo martyr brabeum constantiæ reportaverat, vel sepulturam nactus erat. Ut Christiani ad dies illos sancte concelebrandos se præpararent, nocte antecedenti vigilias agebant conjunctim. Hæc *vigiliarum sacrarum* fuit origo. *Proces-*
Pag. 184. *sio* tum denotabat populi coitionem & conventum. Deambulationes religiosæ, quæ vocantur *processiones*, penitus ea ætate erant incognitæ. Jejunia pendebant a cujusque arbitrio. *Montanus* primus leges de jejuniorum modo & momentis tu-
189 seq. lit. Ex *Tertulliano* jejunium quadragesimale nequit comprobari, licet consuetudo ita ferret, ut Christiani ante pascha
191. nonnullis diebus jejunarent. Nonnulli 40 horis, quibus credebant Christum in sepulchro fuisse detentum, jejunarunt continenter. Coitiones, ad preces publice & conjunctim dicen-
195. das institutæ, vocabantur *stationes*, quæ cum jejuniis ad horam
212 seq. pomeridianam tertiam erant connexæ. *Antiphonæ* nondum audiebantur. Christum universi Christiani pro Deo habue-
214. runt, Deum vero trinum esse crediderunt, præter quem nemo fuit adoratus, vel religiose cultus. Sacrificia proprie sic dicta Christianis erant ignota, præter illud unicum & perfectum, semel a Christo peractum, quod non est repetendum. Oratio-
219. nes sacræ ad verba quædam sacri Codicis conformabantur, de reliquo sua simplicitate & artium vacuitate sese commendabant.
227. Infantes tum esse baptizatos, constat ex *Tertulliano.* Episco-
229. pus baptizabat, ejusque ex permissione Presbyter vel Diaconus. Sponsores aderant baptismo infantum, ut loco eorum renun-
232. tiarent Satanæ, & Confessionem fidei ederent. Nomina tum baptizatis fuisse imposita, Ill. Autor inficiatur. Baptizatus ter
235. fuit immersus, præterea unctus, & manuum impositione ornatus. Baptizatis, veluti infantibus recens natis, lac & mel præ-
237. bebatur. Ipsis novam vestem fuisse indutam, & crucem inter baptizandum impertitam, probabile est, nequaquam vero
238. certum. Exorcismus non nisi obsessis fuit adhibitus. Obitus
239. martyrum existimabatur baptismus secundus. Agapæ erant
244. in usu, ac in abusum jam transierant. Disciplina arcani exsti-
249. tit nulla, ne quidem in doctrinis mysteria complexis. Missam
256 seq. Pontificiorum & transsubstantiationem, eis approbatam, Christiani

ſtiani ignorarunt. Sub utraque ſpecie & Laici & Clerici ſacram ſumſere cœnam, tum jejuni, tum pranſi. De *antidoris* & *eulogiis*, tum privatis, tum publicis, diſſerit Autor concinne & præclare. Confeſſionem auricularem, vel ejus ſpeciem, ſacræ cœnæ candidatis ante epulum illud ſolenne fuiſſe impertitam, merito ipſe pernegat. Non eſt opus, ut ejusdem ſententiam de *excommunicatione* cum Lectoribus communicemus, quam alibi fuſe expoſuit. *Pietiſmi* vocem ferre nequit, hujusque architectos paſſim reprehendit, commemorans e contrario hæreſin quandam, quam vocat *explorantium arterias Veneris*. Seculo ſecundo certe hæc hæreſis non fuit exorta. Illa utrum inter Jureconſultos, an inter Theologos, clanculum ſerpat, quibusque parentibus ac obſtetricibus fuerit procreata, id malumus ex aliis diſcere, quam aſſequi conjectando. De Seculorum *tertii* & *quarti* hiſtoria, quam & ipſam nuper Ill. Autor prelo exire juſſit, proxime dicemus.

Pag. 263.
268.
272.

LA FRIPONNERIE LAIQUE DES PRETENDUS Eſprits forts d' Angleterre, &c.

h. e.

VERSUTIA FRAUDULENTA LAICA INGEniorum Angliæ fortium, ſeu Annotationes PHILELEUTHERI *Lipſienſis in Cogitata de libertate cogitandi, converſæ ex Anglico, ſecundum editionem ſeptimam, opera Anonymi.*

Amſtelodami, impenſis Jo. Wetſteinii & G. Smithi, 1738, 8. Alph. 1 plag. 3½.

Operæ pretium fecit ille, qui hasce Annotationes in linguam Gallicam, Europæis familiariorem, ex Anglica transfudit, egregiisque novis ditavit notarum acceſſionibus. Annotationum Autor exſtitit *Richardus Bentlejus*, primæ magnitudinis in orbe literario ſidus, cui aſſurgunt merito, quicunque a doctrinæ ſolidæ & elegantis ſtudio non ſunt alieni. Ad libri notitiam externam nonnihil eſt commemorandum, præeunte interpreta-

pretationis architecto. Hoc enim pacto Lectoribus apponitur promulsis, quæ salivam ad pernoscendam tractationem ipsam potest movere. Londini A. 1713 in publicam lucem exiit Anonymi liber, qui prætulit hanc inscriptionem: *Discours sur la liberté de penser, occasionné par la naissance & l' accroissement d' une Secte, qui en tire son nom.* Destinatio scriptoris, finisque libello præstitutus, versatur in prosternendis religionis universæ, tum naturalis, tum revelatæ, fundamentis, quasi libere cogitare non valeat quisquam, nisi atheismo patefaciat fenestram. Nec tamen Autor tantum audaciæ adhibuit, ut recta ad id enuntiandum sit grassatus, quod moliebatur. Profligatum ivit Jus naturale & Christianum, quo homines solent sententias novas sub judicium vocare, antequam eis assensum adjungant. Illusio hæc eo temeritatis processit, ut autoritas Jesu Christi ejusque sanctissimorum Apostolorum in comparationem cum sacerdotibus religionum quarumcunque fuerit adducta, quasi religionem inter ac imposturam ecclesiasticam nihil intersit. Nullum certe exstitit scriptum unquam insolentius & periculosius, ac Ecclesiæ Christianæ exitiabilius illo, quod de libertate cogitandi est inscriptum. Editum id fuit primo A. 1712, datumque ad d. 29 Jan. A. 1713. Exempla fuerunt distributa mense Februario. Ordines summatesque Britanniæ eam ob causam coierunt ad concilium. Caput regni, Londinum, stupuit. Proceres, tum illi, qui *Wigs*, tum ii, qui *Toris* appellantur, dolebant, Autorem labefactatum ire communionem Episcopalem, ita, ut symbola & fidem omnium Christiani orbis societatum evertere conaretur. Prima omnium cura in eo, ut Autor libri famosi cognosceretur, laboravit. Qui conjecturis nitebantur probabilioribus, *Joannem Tolandum* designabant. Quæ opinio etiam in hæc *Eruditorum Acta* transiit *A. 1714 Mens. Maj. pag. 229,* & *Mens. Jul. pag. 312.* Typographus *Joannes Darby*, ab administris status publici interrogatus autorem, *Antonii Collini* esse manuscriptum, quod in lucem emiserit, fuit professus. *Collinus* successioni Hannoveranæ favebat. Quare ii, qui hanc limis spectabant oculis, animum induxerunt ad credendum, aliisque persuadendum,

dendum, Libertinos, Deiſtas, ac Arianos, ſub ea veluti umbone latitaturos, quæ conjectura, infirmiſſimo, vel potius nullo, ſuperſtructa fundamento, nonnullos eo adegit, ut perperam arbitrarentur, proceres, qui vocabantur *Wigs*, fautores ſucceſſionis Hannoveranæ, favere Deiſmo ac Libertiniſmo, eorumque præſidio irreligionem in ſolio iri collocatum. *Collinus* jam ineunte anno 1710 ediderat librum: ***Prieſtcraft in perfection***, id eſt, ***de impoſtura eccleſiaſtica ad umbilicum adducta***. Agebatur in eo de parte ultima Articuli XX Confeſſionis fidei Anglicanæ, quæ docet, ***Eccleſiæ propriam eſſe poteſtatem ſtatuendi ritus ac cerimonias, ac definiendi intentatas fidei controverſias.*** Contendebat Autor, clauſulam hanc abfuiſſe ab avtographo, A. 1562 a Clericis conſignato, A. 1571 ab ordinibus regni approbato, ac eapropter a Clericis primariis doloſe intruſam. Turbæ *Sacheverellii*, quibus tum flagrabat Anglia, erant in cauſa, ut *Collini* ille inſultus, quo ipſa in diſcrimen conjiciebatur religio, a maxima doctorum, certe politicorum, multitudine & approbatione & elogiis ornaretur, licet viri & optimi & autoritate conſpicui diſſentirent, ac reclamarent audaciſſimæ & profuſæ hominis licentiæ. Quibus momentis circumſtantibus ipſe *Collinus* adeo fuit accenſus, ut majora concupiſceret temeritatis præmia, ac de libertate cogitandi commentaretur. Hoc ipſo excitavit Theologos ad apologias, religioni Chriſtianæ afferendas, & ad ſomnia *Colliniana* explodenda. Anonymi ediderunt in contrarium ***Penſées libres ſur le Diſcours de la liberté de penſer***, paginarum 68, & ***la Liberté de penſer bien definie***, paginarum 131. ***Samuel Bycroftus Collinianis*** conatibus opponebat librum, particulatim ſcribi edique ſolitum, cui titulus: ***le Gardien***, cui & methodus, & perfecta rerum tractatio, deerat. ***Whiſtonus*** ille famoſus primam dedit operam, ut *Collini* ſtoliditatem bene depexam daret in libro: ***Reflexions ſur une Brochure anonyme***, 8, paginarum 55. ***Benjamin Hoadly***, tum Rector Eccleſiæ S. Petri Pauperis, poſtea Epiſcopus Wintonienſis, ſcripſit ſuppreſſo nomine adverſus eundem ***Queſtions adreſſées aux Auteurs du Diſcours ſur la liberté de penſer.*** Omittimus Diſſertationes Virorum celeberri-

 morum,

morum, *G. S. Treueri*, *C. D. Kochii*, *C. M. Pfaffii*, aliorumque, quibus *Collini* licentiofus reique Chriftianæ inimicus animus fuit repreffus ac caftigatus. *Richardus* enim *Bentlejus* fenior nobis eft unus inftar omnium, qui ad utrumque paratus, ad Philologi ac Theologi munus obeundum, eo ufus eft ftilo, quo ignorantia & impudentia *Collini* protrahitur quam maxime in lucem. Hic enim *Collinus* oftentavit in libro fuo diffufam lectionis varietatem, & undecunque congeffit loca & teftimonia. *Bentlejus* contra oftendit folidiffime, *Collinum* mala fide egiffe, truncaffe veterum teftimonia, ea pervertiffe, minus recte intellexiffe, fcholisque Philologorum debere adhuc didactra. Et, cum *Collinus* in eo fefe inprimis exerceat, ut ecclefiaftas atro carbone notet, rifuique exponat, *Bentlejus* contemtum illum Clericis intentatum retorquet, ac in illud caput ridiculum, *Collinum*, materiam vilipendiorum rejicit, licet interpres ejus *de vitiis fraudibusque eorum, qui facris operantur*, Pag. 13. nonnihil Præfationi intexuerit, quod non ordini, fed hominibus, eft attribuendum. *Collinus* non nifi teftimonia veterum, fatiris confperfa, repræfentat, a philofophando fatis remotus. *Bentlejus* hæc duo ipfius propugnacula ariete eruditionis admoto perfringit & fubvertit, & plerumque cornicem Æfopicam, rifus aliorum moventem, furtivisque nudatam coloribus, exagitat, par pari relaturus. Deducit ipfe antagoniftam ad fubfellia Criticorum, ad expofitiones, quas de autoritate teftimoniorum concinnare decet, ad ruborem, ad ignominiam. Trahit adverfarium ad infpiciendas fraudes technasque fuas, quas ei oftendit, explicat, ac penitus detegit, nihilque facit reliqui, ut focietatem *Collinianam* propriæ ftoliditatis, quam ipfa in Epifcopis Presbyterisque Angliæ fefe inventuram exiftimat, convincat. Sexcentas admifit *Collinus* impofturas admodum pellucentes, ac audaciffimas fraudes, ratus, ea a fefe effe comprobata veterum teftimoniis, de quibus hi ne quidem per fomnium cogitaverant, ut fectam *Collini* haud immerito dixeris *ftolidam*, *impudentem*, & *deceptricem*, complexum vero doctrinarum ejus pulchre folideque appellare liceat *Donquichotifmum*. *Bentlejus* initio edidit XXXIII primas annotationes, eas fcopo fuf-

fectu-

fecturas, sibi persuadens. Editæ fuerunt illæ anno ineunte 1713, consecratæque Doctori *Hare*, tum Decano Vigorniensi, nunc Decano Ecclesiæ S. Pauli Londini ac Episcopo Cicestriensi. *Harium* inter ac *Bentlejum* ea ætate intercessit summa amicitiæ amoenitas, quæ posthæc sublata fuit æmulationis impetu, quo uterque *Terentium* in publicam emisit lucem. *Bentlejus* sese vocavit *Phileleutherum Lipsiensem*, ut ea liberius proferret, quæ Anglum minus decere videbantur. *Harius* publice per Epistolam gratias egit *Bentlejo*, eumque ad opus continuandum obnixe impulit. Hisce precibus hic adductus, *Partem* composuit *secundam*, XX annotationibus novis constantem, anno 1713 exeunte editam. Et, cum restarent nonnulla *Collini*, quibus vindiciæ vel responsiones videbantur opponendæ, ipse *Bentlejus* denuo calamum arripuit, ac, duobus tribusve foliis, quæ partem annotationis 54 constituunt, consignatis, eum denuo abjecit, vel potius aliis memoratu dignis laboribus destinavit. In editione septima Anglicana nihil præterea occurrit, ad cujus præscriptum hanc Gallicam editionem fuisse adornatam, satis constat. Vix apparuerat *Collini* Commentatio de Libertate cogitandi, cum ipse A. 1713 in Belgium concederet, ubi in itinere A. 1711 ad notitiam *Joannis Clerici*, aliorumque virorum, laude eruditionis celebrium, pervenerat, quibus reditum promiserat proxime futurum. Erat ipsi animus in Galliam Italiamque proficiscendi. Cum in Flandriam venisset, nuntius, ipsi de morte *Trolopii*, proxima quem cognatione contigit, allatus, mutare consilia, ac ipsum Londinum jussit redire, quo A. 1713 d. 18 Oct. revertit. A. 1715 secessit in prædia sua, intra Essexiam sita, fungens muniis Judicis ac Centurionis secundarii, ab ea provincia delegati. Obiit diem supremum Londini A. 1729 d. 13 Dec. sepultus in sacrario Oxoniensi, quod ibidem existit, ubi monumentum in ipsius honorem fuisse positum, mirantur multi. De Libertate cogitandi id, quod *Collinus* consarcinaverat, Opusculum bis Londini, ac tertium Hagæ Comitum, prodiit publicis descriptum formis. In una editionum exstat index erratorum, ac nonnullæ in contextu mutationes habentur, quæ ex

Pag. 19.

22.

annotationibus *Bentleji* fuerunt enatæ. Memorandum quo-
que est illud, ipsum curasse interpretationem Hagæ Comitum
Gallicam, quam *T. Johnson* in 12 typis impressam ibi dedit
sub titulo: *Discours sur la Liberté de penser, écrit à l' occa-
sion d'une nouvelle Secte d' Esprits forts ou de gens, qui pen-
sent librement, traduit de l' Anglois & augmenté d' une Let-
Pag. 26. *tre d' un Médecin Arabe, à Londres, 1714.* In hac interpre-
tatione Autor sæpius avtographum primum deserit, emendat,
truncat, accessionibus locupletat, tam in contextu, quam in notis
subjectis, loquendi modulos duriores passim emollit, ac ita se
gerit, ut videatur annotationes *Bentleji* hoc pacto elusurus
fuisse. Nihilo minus *pag. 131* ad hasce non respexit, repetens
vulgatissimam illam cantilenam, quæ, non dari codicem N. T.
lectionibus variantibus vacuum, dictitat. At *pag. 49* admoni-
tionibus *Bentleji* morem gessit, nominatim facta de *Phileleu-
thero Lipsiensi* mentione. Hic enim, viros Angliæ ecclesiasti-
cos universos narratiunculis, quæ de incantatoribus ac incan-
tatricibus circumferuntur, fidem habere, negaverat. *Collinus*,
qui antea secus statuerat, *Bentleji* apologiam facit suam, excu-
sat Anglis sese, ac Clericis Angliæ ad unum omnibus fabulas ac
commemorationes de incantationibus probari, inficiatur. *Col-
linus* vero interpretationem illam ipsam haud composuit, quip-
pe non satis a linguæ Gallicæ peritia instructus. Sunt, qui conje-
ctant, doctissimum *van Effen*, haud ita pridem Silvæ Ducum de-
functum, qui instinctu Serenissimi Principis Sabaudiæ *Eugenii* A.
1712 Hagæ Comitum convertit in Gallicum D. *Jonathanis Swifti
Narrationem de dolio* (conte du tonneau), interpretem *Collini*
egisse. Inter Germanos *Fabricii*, *Buddei*, *Jablonskii*, ac alia
magna nomina, ausus *Collinianos* refrænarunt scriptorum inter-
ventu, præsidiisque munitissimis. Inter Gallos contra eos ar-
30. mis induit sese *Joannes Petrus de Crosa* (Crousaz), edioditque
Amstelodami A. 1718 *Examen du Traité de la Liberté de pen-
ser*, Opus tanto Viro dignum. Insurrexit contra eosdem Au-
tor Pontificius, qui Bruxellis A. 1715, 8, edidit telam araneo-
rum, cui præfixit titulum: *Le parti le plus sûr, ou la Ve-
rité reconnue en deux Propositions &c. au sujet du Discours
de*

de la liberté de penser, par le Chevalier, à qui l' Auteur de ce Discours l' avoit adressé. Hic antagonista pro more affectatorum suæ Ecclesiæ contendit, viam examinis, a *Collino* stabilitam, Protestantibus esse indicio ac documento, ipsis, ea veluti incerta & infinita labyrinthi opera repudiata, ad Pontificiam Ecclesiam esse redeundum. Eum scilicet scopum *Collino* fuisse ob oculos versatum, ex matre Pontificia nato, *Bentlejus* suspicatur in annotationibus 13 & 45. Hæc ad *Collini* scriptum. De methodo *Bentleji*, ac Interpretis labore, nunc paucula sunt dicenda. Interpres usus fuit editione Anglica septima, A. 1737 edita in lucem, præferente adhuc *Phileleutheri* nomen. *Bentlejus* id potissimum agit, ut in Laicos illos, qui hominibus de Ecclesia nil nisi imposturas & pravitates vaferrimas objiciunt, missilia retorqueat, ipsosque omnium bipedum stolidissimos, dolosissimos, ac Alcinoos, esse, demonstret. Interpres verbum verbo haud reddidit, sed, ut orationem repræsentaret, sensus fideliter referentem, lucidam, apteque cohærentem, nulli operæ pepercit. *Bentlejus* plerumque sese hominibus, suæ eruditionis apparatu præmunitis, credidit scripsisse. Interpres vero, ut lectori consuleret, notas addidit exquisitissimas, theologicas, historicas, criticas, & inprimis literarias, quæ controversias & fata aliquot summorum virorum exponunt, locis veterum fœnerantur perspicuitatem, & insignem *Bentlejanæ* refutationi lucem affundunt. Hæc ad genus interpretandi. Dolemus, nos fere jam adeo fuisse longos, ut vela sint contrahenda. Ne tamen de interno *Bentlejanæ* Commentationis pretio nihil dixisse, vel nucleum prætermisisse, videamur, nonnihil lubet inde delibare. Primo quidem *Collinus* ferre eos non potest, qui aliis, minori peritia instructis, viam ad cœlestem beatitudinem præeunt. Respondet *Bentlejus* falsè, *Collinum* ex aliorum sententiis verbisque librum suum confarcinasse, ab aliis didicisse, artem gradiendi ab aliorum manuductione traxisse, ac eo ipso nosse debere, hominem hominis esse ducem, idque voluisse ita fieri naturæ autorem. *Collinus*, sese benefacturum aliis ita, in Epistola pronuntiavit dedicatoria, ne inde quid mali arcessat, eoque fine, nomen

ſuum ſupprimere, duxit conſultum. Reſpondet Cenſor, eam eſſe virtutem atheis propriam; at Apoſtolos publicæ ſaluti cum
Pag. 17. pernicie ſua conſuluiſſe: docens, *Collino* libere cogitare idem eſſe ac eſſe audacem, temerarium, & arrogantem in judicando, ſectamque *Collinianam* cum Præadamitis, quos probabiliter *Col-*
21. *linus* exiſtimavit exſtitiſſe, exæquandam eſſe, nec tamen illam univerſo hominum generi eſſe poſſe communem, ſiquidem aliter, ac temere audacterque, judicantes ab ea ſint excluſi. *Col-*
27. *linus* ſuis ſtipendia annua depoſcit, quæ hominibus de Eccleſia invidet, ſectamque libere cogitantium a tempore, quo *Guilielmus III* ſceptrum Britannicum capeſſivit, deducere conatur. Idem Iliada *Homeri* pro epitoma omnium artium & ſcientia-
31. rum habuit, haud ſecus ac ille, qui nuper *incunabula omnium ſcientiarum* in ea ſeſe pervidiſſe viſus eſt. Sed falſe explodit *Bentlejus* id argumentum, quo illud *Collinus* ſeſe demonſtra-
32 ſeq. turum ſpoponderat. *Bentlejus* negat, *Homerum* carminibus ſuis æternitatem perpetuumque ævum tribuiſſe, quamvis ita
34. viſum fuiſſet *Collino*, qui, omnes ſimulacrorum cultores, Deum eſſe ſimilem bovi, feli, vel plantæ, affirmaſſe, perperam con-
40. tendit. Ne Ægyptii quidem tam inſulſe ratiocinati fuerunt, qui non *Serapidem* magis, quam ſtrepitus, per pudenda corporis expreſſos, contremuerunt. *Collinus* Patres Eccleſiæ primæ notat, eo quod Deum dixere corporeum & materialem. *Ter-*
43. *tullianus* fere ſolus ita ſenſit, *incorporale* id eſſe ratus, quod non exiſtit. Sed vocum poteſtas eſt examinanda ratione ejus ætatis, quam Patres illi vivendo attigerunt. *Collinus* deteſtatur dogma de cujusquam hominis *infallibilitate*, de *cultu imagi-*
48 ſeq. *num*, ac *reliquiarum*. Sed eis gratias agere recuſat, qui libertatem ſentiendi, homine dignam, ſuo ſanguine redemerunt. Multos porro errores Patribus ſanctis exprobrat, mirumque in modum ac ultra jus faſque eos amplificat. Profligat inſul-
56. tus *Bentlejus* admodum ſolide univerſos. Templa pro Eccleſiis habenda eſſe ubique apud ſcriptores, idem inficiatur. *Collini*, ejusque ſectatorum, atheiſmum detegit *pag. 70 ſeq.* Superſtitiones magicas non ab impoſturis religioſorum hominum, ſed ab ignoratione cauſarum phyſicarum, eſſe deducendas, oſten-

ostendit. Religionem a superstitione monet differre. Lectiones variantes, a *Millio* collectas, non pugnare cum contextus stabilitate, disputat. *Ciceronem*, *Platonem*, *Socratem*, *Catonem*, *Livium*, aliosque, defendit, eorumque loca a *Collino* minus dextre intellecta, minusque recte habita esse, demonstrat, idque dat operam, ut omnes, quotquot *Bentleji* annotationes attente legerunt, *Collinum* explodant. Pag. 81.

JOANNIS FRANCISCI LE FEVRE, BISUNTINI, D. Med. in Academia Vesuntina Medicae Facultatis Professoris Regii, Opera, duobus Voluminibus comprehensa, scilicet in Tomo primo Canones de usu missionis sanguinis ac aliarum artificialium sanguinis evacuationum, & cautiones in abusum; quibus accessit Tractatus de natura, usu, & abusu Caffé, Thé, Chocolatæ, & Tabaci; in Tomo secundo Physiologia medica, in qua ventilantur sententiæ veterum ac recentiorum Anatomico-Physiologorum circa omnes mentis & corporis humani functiones.

Tomi II.

Vesuntione, apud Joannem Baptistam Charmet, 1737, 4.
Tom. I Alph. 1 plag. 9½. Tom. II Alph. 1 plag. 1.

Dividuntur Phlebotomiæ in varias species, nominatim vacuativam, derivativam, revulsivam, aversoriam. Evacuativæ usus ad omnes corporis humani partes, sive arteria, sive vena secta fuerit, spectat; fluente tamen sanguine, & aliquo post tempore, antequam distribuatur sanguis superstes, æquilibrium solidorum & fluidorum tollitur. Hanc Plethora vera indicat, qua præsente aliæ evacuationes nil quidquam prosunt. Plethoræ morbificus effectus, nempe vasorum sanguiferorum ultra naturalem capacitatem distensio, secta vena tollitur, pulsus fit liberior, & circuitus sanguinis acceleratur, inde secretiones & excretiones adaugentur. Hac prævia ipsorum medicamentorum in sanguinem ingressus facilitatur vena secta, ipsius sanguinis, inspectione medica, dignoscitur

ſcitur conditio. Derivativa majorem ſanguinis copiam parti, cujus vena ſecatur, infert, nec huic tantum, ſed intimis etiam, quotquot ab una arteria replentur. Magnum venæ ſectæ vulnus & violentior hinc ſanguinis influxus fortius & efficacius derivat. Brevis eſt ejus operatio, nec niſi durante fluxu ſanguinis durat. Sectio ſaphenæ ſanguinem derivat in aortam deſcendentem; inde noxia erit ejus apertura in morbis partium, quæ ab ejus ramis implentur, e. g. in phlegmone pulmonum, &c. Sectio venæ jugularis derivativa equidem eſt, ſed arterioſum ſanguinem violentius ad cerebrum ducit, unde, niſi præmiſſis aliis evacuantibus, non tentanda. Quantum ſanguinis ſecta vena adducitur ad partem vulneratam, tantum a vicinis partibus, quibus arteriæ ejusdem majoris communio intercedit, derivatur. Nam vacuæ venæ arteria proſpicit, & interea collaterales partes aliqua ſanguinis parte carere ſinit. Sic ſaphena ſecta derivat a partibus, quibus aorta deſcendens ſanguinem largitur, ſed & ſanguinis motum in iisdem accelerat, unde in derivatione inſtituenda opus eſt, ut adſit obſtructio recens, abſit inflammatio. Aliarum venæſectionum in remotis partibus eadem eſt ratio. Non autem ſanguine tantum ex vena miſſo derivamus, ſed & alio modo id peragitur, in ipſo affecto loco, nempe in varicum inciſionibus, hirudinum ſuctu, ſcarificationibus. Revulſiva venæſectio a derivativa differt tanquam cauſa ab effectu. Hæc omnibus inflammationibus ſingulare eſt ſolatium, ſed in maxime diſtantibus ab affecto loco partibus eſt adminiſtranda, & liberalius quidem, imo crebrius, & brevioribus intervallis. Averſoria vel diverſoria venæſectio a prioribus differt loco, ubi adminiſtratur. Cum enim ſanguis, qui mittitur ex vena, reſpondentem ſibi arteriam ſollicitet, ut plus ſanguinis adducatur, neceſſario iſte ſanguinis rivus reliquas partes aliqua illis competente portione privat. Inde ſequitur, medianam ſectam ſuppleri ab arteria brachiali, & hanc aortæ deſcendenti & carotidibus præripere illum, quo ceteroquin turgidæ futuræ erant ſanguineæ, hinc averti ſanguinem ab iſtis locis, id quod in hæmorrhagiis variis potiſſimum ſalutare eſt. Hiſce canonibus, ex naturali vaſorum inter ſe nexu depromtis, perquam

quam utilia enaſcuntur conſectaria, de uſu & abuſu venæ ſectionis in diverſis ætatibus & temperamentis, de quantitate ſanguinis definienda, deque vaſorum ſecandorum ſelectu. Inutilis eſt venarum in eadem parte ſelectus; ſive baſilicam, ſive cephalicam, ſive medianam, ſecueris, perinde id eſt; ſed arduum eſt, pro loci affecti conditione, venam, modo ſuperiorum, modo inferiorum extremitatum, modo ipſum morbi locum, vulnerare cum ſucceſſu. Adducuntur hinc ſinguli morbi, &, quid ſalutis ex vena ſecta in his exſpectari debeat, declaratur. Quatuorviratus, Caffée, Thé, Cioccolatæ, & Tabaci, peculiari Tractatu ſub cenſuram vocatur. Coffe, Cavoveh Orientalibus, ex Jasminorum gente, baccæ arboris ejusdem nominis nucleus, ab ipſo inventionis tempore ſomnum avertiſſe deprehenſus fuit; ſale enim volatili & oleo æthereo aromatico gaudere deſtillatione cognoſcitur. Diureticus eſt potus, uſtulati nuclei decocti cum lacte ſanguinem temperant, antiſcorbuticum ſunt, & acido tanquam alcali reſiſtunt. Aſt non minora mala hinc incommodo ſunt utentibus. Nocet hæmorrhagia viſcerumque intemperie affectis, plethoricos excruciat, phthiſicos interimit. Thea, *Tſia* Japonenſibus, *Tizai* Tataris, eſt frutex Sinenſis, cujus folia prima, ante æquinoctium vernum lecta, magnatibus & imperiali domui deſtinantur; inde Thea Imperialis. Prout folia tardius, Aprili Majove menſe, colliguntur, minori ſunt in pretio; inde Thea Boy, viridis, aliæque ſpecies. Theæ infuſa proſunt vigilias exercentibus, virium defectu laborantibus, obſtructionem ſecretionum ſolennium paſſis, ulceroſis, tabidis. Aſt pituitoſis humidisque, & ſalium in ſanguinis maſſa pauperie laborantibus, obeſt Thea. Cioccolata, Indis Cocoatle, id eſt, aqua Cocci, eſt infuſum cocci aliorumque aromaticorum fructuum, in maſſam compactorum. Præcipuum tamen ingrediens eſt Cacao. Noſtri addunt Vanigliam, aliaque aromata. Agit tanquam aromaticum, adeoque debilibus, atoniam paſſis, excretionum frequentia exercitatis, rei venereæ intentis, prodeſt; obeſt juvenibus plethoricis, ſcorbuticis, ad hæmorrhagiam proclivibus. Eadem ſolertia Tabaci, vel pro fumo, vel pro errhino uſurpati, laudes canuntur, contumeliæ non reticentur.

Tomus,

Tomus alter doctrinam hominis sani exponit, functionum seriem recenset, & partium solidarum & fluidarum æquilibrium pro vita & sanitate facienda declarat. Præmittuntur principia constitutiva corporum, qualia Peripateticis, Cartesianis, Chymicis, fuerint. Octo esse cupit; a Cartesianis adoptat materiam subtilem, materiem globosam, a Peripateticis aerem, aquam, & terram, a Chymicis sal, sulphur, & mercurium. Omnium existentiam, essentiam, figuras, affectiones, declarat, quorum æquali vel inæquali miscela fiant in humoribus temperamenta, in solidis organorum conformationes. Hominis partes essentiales sunt anima & corpus; illa vel independentes a corpore actiones exercet, vel harmonia ligatas. Motus corporei item sunt vel voluntarii, mente conscia facti, vel mechanici, seu spontanei, quos naturales vocat. Ast vitales appellat omnes reliquos, quicunque mentis imperio non parent. Partes solidas in genere, inde specialius definit, nexumque & mutuas ab humoribus passas affectiones doctrinæ præmittit. De secretionibus, animali æque ac reliquis, ita differit, ut, glandulas nihil aliud esse quam arteriolarum glomeres, supponat, neque glandulas ubique adesse debere largiatur. Inde organorum singulorum œconomiam internam pro hac vel illa actione variam inducit, cutem aggressus primo loco, cujus vel in sudore perficiendo, vel in Sanctoriana transpiratione celebranda, virtutes exponit. Cumque ab inanitate vasorum sensus vacui necessarius oboriatur, de mediis jacturam corpusculorum supplendi cogitat anima, hinc de alimentorum appetitu, gustu, manducatione, deglutitione, digestione, chylificatione, omnibus ad nutritionem facientibus actionibus, proximo loco agitur. Vita, quæ in perenni humorum circulo consistit, declaratur per leges hydraulicas motuum cordis & vasorum, quæ respiratione & actione pulmonum in animalibus atmosphæricis sustinentur & adjuvantur; interea mens objectorum qualitates sensoriis expiscatur pro hauriendis ideis, iisdemque vario modo componendis, ut veri falsique sit cognitio, utque voluntatis arbitrium judicio reliquarum animæ facultatum constet, harum omnium quies est in somno, major motus in vigiliis & animi pathematibus. Hæc omnia non nisi in pro-

priam

priam vitam collocantur officia, aſt alien e, id eſt, ſobolis, vitæ proſpiciunt actiones plaſticæ utriusque ſexus, quibus fœtus intra ovulum animatur, qui tunc ſua ſimul matrisque vita vivens nutritur, hinc paritur. Hæc omnia breviter, aſt methodice, erudite, & jucunde, pertractantur.

SOPRA L' AURORA BOREALE, COMPARSA IL DI 16 Dicembre l'Anno 1737, Oſſervazione del Sign. Poleni, &c.

h. e.

MARCHIONIS JO. POLENI, MATHEMATUM Profeſſoris Publici Patavini, Obſervatio Auroræ borealis, viſæ nocte diem 16 Decembris Anni 1737 inſequente; Explicatio Abbatis FRANCISCI BOSELLINI; Deſcriptio Doctoris EUSTACHII ZANOTTI; &c.

Venetiis, apud Petrum Baſſaglia, 1738, 4.

Plag. 4.

Aliquot Schediaſmatum Syllogen hic exhibemus, quam Virorum in obſervandis naturæ phænomenis diligentiſſimorum cura peperit. Agmen ducit Celeb. *Poleni* Obſervatio Auroræ illius plane inſignis, quæ nocte poſt d. 16 Dec. A. 1737 effulſit. Aer tum temporis adeo tranquillus erat, ut Anemoſcopii ope cognoſci debuerit, e quanam plaga ſpiraret ventus, qui erat borealis. Mercurius in Boroſcopio ad inſolitam altitudinem, ſcilicet ad digit. 30 dec. 24 ped. Anglic. adſcenderat. In Thermometro *Amontoniano* erat Mercurii altitudo dig. 48 dec. 78, & in Thermometro, quod a ſe inventum & conſtructum Petropoli Cel. Editori dono miſit Cel. *de l' Iſle*, (in quo ex majore vel minore Mercurii denſitate altitudines variantur, menſuraque ſumitur pone vacuum ſuperius ſpatium,) numerabantur partes 42. Hora $5\frac{1}{4}$ prope horizontem zona nigricans, in ſuperiore ſuo limbo ſubobſcure cærulea, conſpiciebatur, ſuperque eam alia admodum lucida, quam tertia inſequebatur, ignito colore rubeſcens. Altitudo zonæ ſecundæ dupla primæ videbatur, tertiæ dupla ſecundæ. Pluribus

bus in locis ultra 40 gradus exporrigebatur. In horizonte zonæ occupabant 55 gradus versus orientem, & 70 versus occidentem, initio divisionis in puncto intersectionis meridiani & horizontis borealis facti. Horizonti fere parallelæ erant, nisi quod tertia inæquales habebat altitudine partes limbi sui, ac quædam in eo quasi launiæ & virgæ, & a primo grado ad sextum occidentalem quædam velut latior trabs observabatur. Stellæ per inferiorem vix translucebant, per mediam perspicue, per superiorem obscurius. Punctum temporis primum, quo aurora erupit, connotari non potuit. Ab occasu Solis circa horizontem plurimus rubor diffusus, & phænomeno admixtus. Post tres horæ quadrantes contractior zonarum longitudo decem circiter gradibus ab utraque parte. In eo spatio occidentem versus, quod aurora reliquerat, tractus quidam 3 vel 4 graduum remanserat, circumseptus atra nubecula, qui hiatus aliquis esse videbatur. Prope zenith nubes tenues, partim subalbidæ, partim admodum rubentes. Paulo post hor. 6 pars superior virgas rubras copiosius evibrare cœpit, admisto tamen colore subalbido subfuscoque. Mox ab ipso æquinoctiali occidente columna prodire rubra, valde lucida, ad trientem cœli exporrecta, & tantillo post in iridis aliquam speciem recurvata. Hora $6\frac{3}{4}$ rubeus color languidior, zonæ non adeo distinctæ; longitudo earum orientalis ad 20 gradus; occidentalis, quæ prius. Hor. 7 Phænomenon interruptum, in duas partes divisum. Extremitatis occidentalis pars rubra curvabatur in arcum desinentem prope horizontem. Prope ab 84 gr. occid. hiatus quidam priori similis. Hora 7. 20′ tota aurora dilutior; pars tamen versus occidentem ultima specie ignita micabat. Paulo post hor. 8, quæ tum tenebant zonæ, nigricans inferior, superque eam albescens splendensque altera, conspectæ, earundemque partes quodammodo agitari, & fluctuare. Hora $8\frac{1}{2}$ extemplo ab 8 gradu occid. ad 50 orient. vividior altiorque reddita clara illa zona; super eam nova, ampla, ignea quodammodo, variis distincta virgis, sursum tendentibus ad 60 usque altitudinis gradum. Pars occidentalis formam nubis tenuioris induerat. Circa finem hor. 8 gradibus 16 ortum versus rubra quædam &

recur-

recurva trabs ad zenith usque alata; aliaque similis, ab occidente ultra 80 gradum egressa, ad idem cœli punctum summum, ei juncta. Hora 9 divulsæ trabes considere cœperunt; ubi tamen copulatæ antea fuerant, nubecula quædam rubescens hæsit, figuram & magnitudinem identidem mutans. Totum Phænomenon imminui, diluique. Hora $9\frac{1}{4}$ occidentalis pars transfigurata in speciem unicæ nubis, bene terminatæ, & valde rubescentis; aliquanto tamen contractior erat, quam ante. Paulo post hor. 10 lucidius fiebat cœlum a gr. 84 occ. ad 18 or. & ad altitudinem 50 grad. & amplius. Post 36′ Phænomenon contractius; parte superiore admodum rubente, virgis hastisque distincta; id quod cessabat hor. 11, totaque aurora, in partes suas scissa, lumen debilius reddebat. Post 10′ scissura major visa, graduum fere 20; hora $10\frac{1}{2}$ rubeus color intendebat, potius tamen ad occidentem; sed post horæ quadrantem & lumen & rubor languescebant. Hor. 12 Auroræ lumen fere exstinctum; post 20′ alba quædam & sublucida trabs apparere visa ad gradum 30 occid. altaque gr. 60, sed mox e conspectu erepta. Post semihorium, supererat in parte occidentali prope horizontem lumen prorsus tenue, quod hor. $13\frac{1}{4}$ adhuc magis contractum, hora denique 14 prorsus exstinctum, observationi finem imposuit. Aeris tranquillitas per totum observationis tempus fere eadem fuit; nullus ex materia objecta strepitus, rumor, sibilus, vel auditus. Et hæc quidem est observationis *Poleniana* summa, quam cum Lectoribus nostris communicare operæ pretium duximus. Alias quoque species luminosas in cœlo se conspexisse, narrat Vir Cel. quæ ad modo descripti Phænomeni genus ratione aliqua referri queant; plane tamen existimat, diligentius servandam esse memoriam hujusce, quod magnitudine, lumine, figura, coloribus, duratione, priora illa longe superaverit.

Observationem hancce excipit Explicatio Auroræ borealis, nocte post 16 Dec. A. 1733 visæ, Autore *Francisco Bosellini*. In eo scilicet is est, ut quatuor hisce quæstionibus faciat satis; nimirum, unde producatur aurora; quomodo fiat; an antiquioribus temporibus jam cognita fuerit; quidnam portendat. Ad *pri-*

mam & *secundam* quæstionem quod attinet, en Viri theoriam, qua solvere illam aggreditur, quam licet, brevissime propositam. Primo quidem, inquit, ignis nihil aliud est, quam radices solares, iique conferti. Nihil igitur inter lucem ignemque interest, quam radiorum densitates. Sol, ceu luminis ignisque fons unicus, inexhausta semper ejus profluvia emittit, quæ ad ima usque terræ viscera penetrant; in quibus cum tanta sit corporum nitrosorum, sulphureorum, bituminosorum, & similium, copia, eorumque mixtura incredibilis, concludere licet, innumerabiles lucis atomos ibi intercipi, corporumque quasi vinculis contineri, in flammas utrique erupturas, nisi exhalationibus continuis, aut a ventis quoque, solverentur, abigerenturque. Quin imo ipsum solare corpus detrimentum pateretur, inque nihilum tandem rediret, nisi isthæ lucis particulæ, quas adeo copiose ejicit, ad ipsum resilirent. Lucis igitur ignisque materia, oceani instar, Solem circumfluendo, postquam emissa fuit, & cœli spatia terrasque pervasit, ad eum redire cogitur. Teste enim *Lucretio*,

- - quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum Cœli rellatum templa receptant.

Præterea incredibilis particularum sulphurearum, nitrosarum, &c. e terra, & aquearum e mari fluviisque, copia exhalat, & in auras disseminatur, tam a ventis, quam a particulis lucis, fontem suum motu pernicissimo repetentibus, abrepta. Quoties igitur lucis particulæ corpuscula terrestria vel aquea in eam atmosphæræ regionem secum abduxerunt, ut motu revolutionis diurnæ annuæque concitatissimo, pro ratione nimirum distantiæ a centro terræ, ferantur; accidet, ut corpuscula hæcce, quippe segniora, a solaribus atomis destituantur, adeoque recidant, disseminata, aut conglobata, varieque sese permiscendo, corpora quædam majora & graviora effingant. Nihilo tamen minus ea ingentem adhuc particularum solarium numerum continere existimanda sunt, cum omnes omnino ex iis evolare non potuerint. Si aqueæ particulæ prævaleant, ita generabuntur nubes, pluvia, ros, & similia. Quodsi autem terræ quidam

tra-

tractus ficcitatem extraordinariam patiatur, particulæ nitrosæ, sulphureæ, oleosæ, & similes, majori copia advehentur, & atmosphæra replebitur materia inflammabili, hoc est, quæ quamplurimis particulis lucidis igneisque referta est. Quæ si deinceps a causa quacunque in statu æquilibrii, hoc est, in aere, suspensa teneatur, accendaturque; videbitur Phænomenon istud & Meteoron, quod Auroræ borealis nomine appellamus. Ea igitur tota componitur ex particulis lucidis, igneis, solaribus, quæ ex corporibus combustibilibus, jam antea in altum abreptis, posteaque relapsis, avelluntur, in quorum cellulis subtilissimis inclusa hæserant, ab iis relicta, quæ ad solem redierunt. Hactenus Viri Cl. hanc in rem cogitata, de quibus judicium sit penes Lectorem. *Tertiam* quæstionem affirmat, adductis *Plinii*, *Senecæ*que, testimoniis. *Quartam* ita definit, ut, mali quidquam ex auroræ borealis adspectu præsagiendam esse, neget, moneat tamen, atmosphæræ statui aliquid mutationis eam procul dubio imprimere, ejusque defæcationem aliquam esse.

Tertium Sylloges Schediasma Autorem habet Cl. *Zanottum*, in Acad. Bononiensi Professionis Astronomicæ Substitutum. Exhibet & hic accuratam Observationem non minus, quam delineationem, Auroræ ejusdem, quæ cum *Poleniana* in multis conspirat. Frequentes tamen Bononiæ nubes, cum Patavii cœlum semper sudum fuerit. Mercurii quoque altitudo insignis. Die 16 Decembris per aerem diffusa erat nebula subtilissima, diebus item antecedentibus & succedentibus. Crepusculum diei 17 vespertinum ad altitudinem insolitam pertingebat; boream inter & occidentem vapor rubicundus, isque subtilissimus, spargebatur, quem *Polenus* quoque notavit.

Quartum itidem exhibet aliquam de hac Aurora relationem, prout Romæ conspecta fuit; quæ Autorem habet *Jo. Franc. Baldini*, Clericum regul. Congregat. Somascenæ. Hic Auroram gigni statuit ex particulis subtilissimis, quæ a fodinis sulphuris, carbonum, ferri, aluminis, &c. avolant, in regionibus præcipue septentrionalibus. Quotus enim quisque est, qui in re dubia suo ingenio non indulgeat?

Quin-

Quintum tandem de eadem illa Aurora relatio est, ex Observationum literariarum, quæ *Veronæ* publicantur, *Tomo II* excerpta; de qua proxime suo loco. Itaque hic manum de tabula.

ΑΝΑΚΡΕΟΝΤΟΣ ΤΗΙΟΥ ΜΕΛΗ, &c.
h. e.

ANACREONTIS TEJI CARMINA, ACCURATE edita cum Notis perpetuis, & versione Latina, numeris Elegiacis paraphrastice expressa. Accedunt ejusdem, ut perhibetur, fragmenta, & Poetriæ SAPPHUS, quæ supersunt.

Londini, impensis Lawtoni Gilliver, 1733, 12 maj.

Plag. 10.

Præf. pag. I. Prodiit hac nova facie tener ille ex Græcis quondam Ionibus lusor amorum, *Anacreon* Tejus. Editorem, præter molle, quod huic inest Lyrico, ingenii dictionisque flumen, etiam castitas major, quam pro lubrica amatorum protervitate, movit, ut hanc editionem studiosis literarum Græcarum adornaret nitidiorem atque commodiorem. Tanto minus dubitavit carmina hæc, mollem *Epicuri* amœnitatem spirantia, verecundæ juvenum ætati transmittere, quanto magis innoxia, imo & frugifera, exemplo ipsius hujus editionis interpretis cognita
VI. judicavit. Quam enim olim adolescentulus quidam Anglus
III. domestico labore contexuit versionem, tantum roboris eidem asserit dedisse, ut vir maturioris judicii factus, illam non politam solum, sed etiam ipsum Autorem ita illustratum emendatumque, potuerit exhibere. Et, quantum hic quidem in utraque re præstandum susceperit, Editoris ipsius, quas adjecit, consilii rationes aperiunt. Contextioni Græci sermonis suum stabilemque reddere sensum inprimis conatur. Codicibus hinc collatis, ex variis lectionum notis meliora quæque selegit, vagis obscurisque vel finitis, vel illustratis. Quo quidem in negotio *Barnesium, Tanaquil Fabrum, Dacierum, Baxterum*, se se-

ſecutum profitetur. Pauciores notas, easque tantum, quæ vocibus inſolentioribus inſervirent explicandis, ſubjecit, ne, undecunque corradendo leviſſima quæque, ſuffarto libro ſupervacuum accederet onus. Interpretationi ipſi inſolita quædam forma eſt, & ceteris ejus generis paulo abhorrens. Secundam ab *Henrico Stephano*, quæ dictione ligata, primam, quæ elegis concinna prodierit, affirmat. Verenti enim, ne vivo carmini per verſionem ſolutam corpus quaſi exſangue per pœnam Mezentii videatur jungi, non verbis verba, ſed numeris numeros, reddi placuit. Sic enim, præter mentem, & elegantiam nativam facillime retineri poſſe, ratus eſt. Qua ratione id aſſecutus ſit, præſertim cum circumloquendo paulo evaſerit verboſior, lectoris pro ſuo cuique arbitrio ſit interpretatio. Id tantum vetamur mirari, quod elegos metro lyrico aptaverit. Horum enim blanditiis putat molle illud carminis argumentum non apprime ſolum congruere, ſed etiam elegias tibiis quondam, teſte *Horatio*, accini moris fuiſſe; exinde ipſius etiam *Ovidii* elegos probat fidibus Tejis reſpondiſſe, cujus quidem primum carmen ab *Anacreonte* mutuo videatur ſumtum. Explicatis hoc modo Odis, quas Autori ſuo deberi, ſatis conſtet, fragmenta & carmina incertiora cum Poetriæ *Sapphus* reliquiis lyrico metro interpretatus eſt, ut ſe nec ejus artis expertem ſiſteret. Feſtinanti demum opus ſuum abſolutum, occurrit editio hujus *Anacreontis Pauwiana*. Paucis itaque, quibus diſſenſerit a ſe, monitis, hunc vano nomine Critici ſuperbientem, quod obvium quemque nugis laceſſiverit, ſuo ſibi gladio paucis tentavit jugulandum.

CAROLI FRIDERICI LOEW, NOBILIS Hungari, Acad. Cæſ. Nat. Curioſorum Adjuncti, Epiſtola ad Celeberrimos omnium Regionum Botanicos, qua de Flora Pannonica conſcribenda conſilium cum ipſis communicat, & ſingulos ad commercium Botanicum, mutuamque rariorum plantarum, ſeminumque, communicationem, perofficioſe & peramanter invitat.

 Tan-

Tantum mihi audaciæ dedit cum vestræ humanitatis fiducia, tum incredibilis illa, qua semper flagravi, *Plantas Pannonicas* describendi, & cum orbe erudito communicandi, cupiditas, ut non sim veritus Vos, in hoc studii genere alioquin occupatissimos, appellare. Pro illa cupiditate, ex Academia in Hungariam redux, A. 1721, frequentissime ad conquirendas & contemplandas plantas excurri, &, plantarum varietate motus, *Floræ Semproniensi* primam manum admovi. Sed intervenerunt consilio cum alia, tum præcipue apud Vindobonenses oblata artis medicæ exercendæ occasio. Igitur Vindobonam vocatus, per decem, & sex annos in aula Cæsarea commorantibus Regum Principumque Legatis non solum, sed ipsis etiam Serenissimis S. R. I. Ducibus plurimis, regnantibus æque, atque aliis, Saxonicis, Meinungensibus, Gothaicis, Hildburghausensibus, Würtembergicis, Hasso-Cassellanis, Barutho-Brandeburgicis, Onoldinis, aliisque, artis salutaris opera præsto fui, a nonnullis Principibus Consiliarii & Archiatri dignitate, cujus gradum etiam nunc teneo, ornatus. Hac occasione describere institui plantas, quæ tum erant in horto Serenissimi Principis, *Eugenii Francisci*, Sabaudiæ & Pedemontii Ducis, celeberrimo, sed grave impedimentum conatui obstitit atque offecit. Etsi enim invictissimus ille Heros, non tantum opinione famæ horti sui, hac ratione illustrandæ, sed etiam Aulicorum Ministrorum, Legatorum, Consiliariorumque Cæsareorum Aulico-bellicorum, interventu, permotus, facilem mihi & liberum cum in hortum, tum in Bibliothecam, in qua libros Botanicos rariores consulerem, aditum concessit; tantum tamen abest, ut vel Bibliothecæ præfectus, vel horti, hoc tempore fere neglecti, procurator, negotium hoc promoverit, ut potius impediverit. Hæc autem non obstabant, quo minus in aliis elaborarem, sigillatim, per vacui temporis momenta, Historiam naturalem illustrarem, *Historiam regni Hungariæ* conscriberem, eamque multis curiosioribus, ad statum naturalem pertinentibus, descriptione item cimeliorum regni Hungariæ, ad exemplar, quod in Augustissimo Cimeliarchio Vindobonensi asservatur, exactissime, cum Gemma Augustea, delinea-

lineatorum, Numiſmatibus etiam, aliisque rarioribus, ad antiquam æque, atque vel medii ævi, vel recentiorem, Hiſtoriam facientibus, ſingulari cura collectis, exornarem, mox etiam cum Sereniſſimo Duce Saxoniæ regnante, Coburgico-Meinungenſi, *Antonio Ulrico*, Domino clementiſſimo, mineralia, & foſſilia, inprimisque gemmas, atque lapides, duriores & molliores, opacos & pellucidos, nobiliores & viliores, omnis generis, undique conquirerem. Talium rerum tam limatam politamque varietatem alibi occurrere conſpiciendam, induci non poſſum, ut credam; quæ adeo ſatis ſuperque de eruditiſſimi, & exquiſitiore literatura politiſſimi, Principis hujus curioſitate teſtatur: cujus ego clementiæ, ut multa alia, ita præcipue doctrinæ & cognitionis felicia incrementa, accepta refero. Semper enim, quoties mihi vel in aliis negotiis, vel ad menſam, ejus conveniendi poteſtas data eſt, doctiorem a doctiſſimo Principe, raro ſui ordinis exemplo, ætatis ſuæ phœnice, me receſſiſſe, ingenue prædico. Reverſus ante annum in Hungariam, ad *Floram Sempronienſem*, cujus conſcribendæ initium ante complures annos feci, continuandam acceſſi, tanto majore libertate in eo negotio occupatus, quo liberior in Sempronienſi, quem vocant, Comitatu aditus ad quævis loca patet, quoque major eſt Sempronii, ubi tonſores, pharmacopœi, & balneatores Medicos, Medici autem nonnulli, ſordida avaritia impulſi, contra antiquorum & cordatorum Medicorum inſtitutum, pharmacopœos, agunt, in liberali otio, a gravioribus impedimentis vacuitas, ad rerum naturalium contemplationem & deſcriptionem (de qua medicaſtri illi ne quidem cogitare poſſunt,) conferenda. Quid patriæ meæ filii in harum rerum ſtudio præſtiterint, vel ex *Jo. Jac. Scheuchzeri Bibliotheca Scriptorum Hiſtoriæ naturalis omnium terræ Regionum inſervientium*, patet, ubi *pag. 140* ſcribit, *Hungarorum bellicoſam nationem, bellis atque perſecutionibus continuis infeſtatam, non tantum habere otii, ut aliquid temporis ſtudio huic impendere poſſit Hiſtorico-Naturali: tam pauca eſſe, quæ circa hanc materiam proſtent, & ab Hungaris ipſis quidem exarata pæne nulla.*

nulla. Etiam *Jac. Tollius* in *Epistolis itinerariis pag. 181* conqueritur, se, cum plurimas in Pannonicis montibus herbas, & in his nonnullas florum elegantia commendabiles, ignotas hactenus, observasset, & ad eos detulisset, quos eas nosse decuerat, nominaque & naturam exquisivisset, nihil nisi doloris incrementum retulisse, quod pictore careret, qui delinearet, cum siccandi, domumque deferendi, tempus & occasio deessent. Tractatus duos, quos *de Gemmis Hungariæ*, nec non de *Balsamo Hungariæ Carpathico*, scripsit D. *Christ. Aug. ab Hortis*, Vir doctissimus, manu scriptos, cum rarissima Bibliotheca, vicinis Polonis venditos esse, testatur non modo *Phil. Jac. Sachs a Lewenheimb* in *Schol. ad Obs. 28 pag. 57 Eph. Nat. Cur. D. 1 A. 11*, sed & *Jo. Ad. Raymannus*, Physicus Eperiensis celeberrimus, in literis ad me datis confirmat. Negat in illis, se vel de *Procopii Bonani*, Cæs. Camer. in fodinis Regiis Hungariæ Archiatri, raro doctissimoque libro *de admirandis rebus Hungariæ*, plus quam ducentis tabulis æneis aucto, & sumtibus Archiepiscopi; Palatini Hungariæ, & Comitis, *Nadasdi*, faustam Lucinam exspectante, vel de *Chr. Aug. ab Hortis* scriptis, quidquam deprehendisse, cum hujus utrumque scriptum in Poloniam delatum feratur. Unde & *Henr. Christ. Henninius* in *Annotat. & Observ. ad Jac. Tollii Epist. Itin. V pag. 210* ex animo dolet horum librorum doctissimi *Chr. Aug. ab Hortis* interitum, quem Virum, Silesium, Nissa oriundum, atque deinde a S. C. R. Majestate libertate nobilitari Hungarica gratiose donatum, circa annum 1640 Carpathum conscendisse, & balsamum, vel oleum, nemini antea cognitum, ibidem primum destillasse, testis est D. *Jo. Mileier*, Medicus Leutschoviensis famigeratissimus, in doctissima Disputatione medica inaugurali, *de morbo Tsommor*, Hungaris endemio, *pag. 45*. Atque, uti exstat *Hortus Posoniensis*, Hungarico idiomate conscriptus, & A. 1664 editus, in quo erudite, & satis accurate, duobus libris, de floribus & plantis, quarum usus frequentior est, exposuit, ita inter extraneos præcipue commemorandus est *Carolus Clusius*, cujus plane singularem in descri-

describendis plantis Pannonicis laborem non possum non admirari. Eum ego erudito & candido Lectori, instituta quadam perpetua ejus IV Librorum, quos *de Stirpium historia* edidit, recensione, ipsius fere *Clusii* verbis, æstimandam proponam. Collegit Vir eruditissimus & curiosissimus in longis & variis peregrinationibus, sigillatim per Pannoniam, Austriam, & vicinas quasdem provincias, multas plantas, & stirpes rariores, non solum in locis, quæ faciles habent aditus, sed etiam in summis summarum Alpium superciliis, ut in quibusdam per nivem, glaciali duritie constrictam, ferreis uncis ad pedes alligatis, eidem delabendum fuerit. Pannoniam, cum superiorem, tum inferiorem, interamnem etiam, cujus pars tunc *Windischland* appellabatur, ultra Dravum flumen, cum Illustrissimo Comite *de Battyan* intravit. Et, velut non solum in monte Prellenberg, alteri, qui Haimburgensis dicitur, vicino, Hungariæque, qua Austriam spectat, extremo, sed aliis etiam, jam Altenburgi, jam Petronellæ, jam supra Posonium, & Teben, ultra Danubium, jam etiam supra arcem D. *Georgii*, jam ad oppidum Stamphen, aliquot milliaribus ultra Posonium, jam circa Tirnaviam, singulari studio rariores plantas annotavit, ita in siccis pratis, supra & infra Sempronium, occurrentes plantæ, & in his copiose proveniens Echium, flore rubro eleganti, alibi non observatum, nunc intensiore, nunc dilutiore, colore ludens, ipsi admirationem movit. Multas, a nemine adhuc descriptas, herbas deprehendit ad montem, Eisenberg dictum, & Pinkæ, fluvio, imminentem, qua ad vallem, Pinka Thal, a fluvio nuncupatam, descensus est; plures collegit circa oppidum Zolnok æque atque circa Németh Vjvár, Germanice *Gyssing* dictam, arcem munitissimam Illustrissimi Comitis *Balthas. de Battyán;* plurimas descripsit in Pannoniæ interamnis, nunc Slavoniæ, illa silva montosa, ducente ex arce Grebén, inter Savum & Dravum, flumina, versus Varasdinum. His & stirpes addidit, quas vel ad Comitis *de Zrinio* arcem, Csakathurn, vel ad arcem Fridau, vel non procul a Lindwa, Illustrissimi Comitis *de Bánfy* arce, in Comitatu Szaladiensi,

vel ad Chyztreg, ejusdem *Bámfy* oppidum in Pannonia, invenit. Ita vero multum in hoc ſtudio præſtitiſſe exiſtimandus eſt *Cluſius*. Sive enim vias, ſive agros, vel ſegetibus refertos, vel deſertos, ſive prata, ſive ſilvas, vel cæduas, vel incæduas, ſive montes, ſummorumque Alpium ſupercilia, ſaxa, & rupes, hic locorum percurras, ſive aprica ſpectes loca, ſive umbroſa, ſive ſicciora, ſive humidiora, & uliginoſa, atque ex his vel paludoſa ſaliceta, vel harundineta, juxta piſcinas æque, atque ſtagnantes aquas, aut rivos, fluviosque minores, perluſtres, vix plantulam deprehendes, quam ſolertiſſimus Autor noſter ſicco pede prætereierit, qui etiam in urbis vallo, foſſis, muris vetuſtis, & ruderibus, ad margines item viarum, agrorum, ſilvarum, vinearum, occurrentes plantas libro ſuo inſervit. Icones plantarum, occurrunt numero 359, ſatis accuratæ, plantarum, ſi cum iis conferantur, naturali formæ utplurimum reſpondentes. Herbam adeo quamque, pro illorum temporum ratione, non modo apto nomine donavit, ſed & accuratiſſime deſcripſit. In imponendis autem nominibus tantam ſolertiam & cautionem adhibuit, ut ſæpe anonymam relinquere plantam maluerit, quam nomen ei, non ſatis aptum, ponere. Curioſus librorum *Cluſii* lector, iconem plantæ alicujus non oſcitanter contemplans, illico agnoſcet ejus genus, radicem, ramulos, folia, flores, ſemen, locum natalem, aliaque plura. Autor enim curioſus & ſolers etiam temporis rationem habuit, quove menſe planta vel florem, vel fructum, aut ſemen, ferat, annotavit, & de peregrinis etiam nominibus, ſigillatim Hungaricis & Germanicis, cognoſcendis ſollicitus fuit, atque adeo de his & rhizotomas mulieres Auſtriacas, & venatores, & paſtores montanos, & alios ruſticos incolas, ſæpius in conſilium vocavit. Hungarica quidem nomina in hoc Opere *Cluſii* pleraque mendoſe expreſſa occurrunt; quod tamen magis typographi, quam *Cluſii*, culpa accidiſſe cenſeo, hoc magis, quod ipſe omni cogitatione curaque in eam rem incubuerit, ut non ſolum accurata nomina communicaret, verum etiam adderet, quid hoc vel illo nomine Hungari ſignificantius exprimere voluerint.

rint. Hujus tantæ ſolertiæ, quam in hoc ſtudio adhibuit eruditiſſimus *Cluſius*, gloria ſempiterna apud nos memoria conſervabitur: cujus poſteris prodendæ vix commodiorem mihi occaſionem relictam eſſe arbitror, quam ſi nobile ejus, quo diu noctuque flagravit, in plantis Pannonicis, inprimis vero Sempronienſibus, quas admiratus eſt *Cluſius*, cum tamen eas vix a limine ſalutarit, deſcribendis ſtudium æmuler, & idem inſtitutum ſedulus urgeam, ſimilibusque monumentis plantas Sempronienſis territorii, indigenas æque, atque alias rariores, ſollicitius ad poſteros transmittam. Fructum ex hoc labore inprimis Sempronienſes meos percepturos ſpero, quibus hac ratione non modo ſalubriores, ſed & peſtiferæ vitandæque, plantæ innoteſcent. Illud etiam futurum confido, ut alii quoque patriæ filii hoc exemplo ad parem plantas, in aliis Hungariæ Comitatibus occurrentes, deſcribendi ſolertiam incendantur. Tale quid certe in animo habuit eruditiſſimus vir juvenis, *Samuel Wachſmannus*, Leutſchovia-Hungarus, quem ſocium in Botanicis, apud Saxones cum ageremus, indefeſſum ſemper habui. Sed mors conatibus intervenit prænatura, quæ mihi deſideratiſſimum laboris ſocium, cum in Belgio commoraretur, eripuit; cujus immaturum obitum etiam nunc eo acerbius fero, quo plura & exquiſitiora in hoc ſtudii genere ab ipſo exſpectanda fuiſſent. Vos igitur, Viri Celeberrimi, perofficioſe compellandos duxi, & vel illo *Ciceronis*, *in omni honeſto nihil tam illuſtre, nec quod latius pateat, eſſe*, Libro V de Fin. ſtatuentis, *quam conjunctionem inter homines hominum, & quaſi quandam ſocietatem, & communicationem utilitatum*, ad benevolam conſpirationem conſenſumque invitandos. In hoc benevolentiæ genere præſtando ſi Vos habuero faciles, cerno jam animo, quanto mihi, tot tantorumque Virorum autoritate & benevolentia etiam contra invidorum malevolentiam munito, totius operis decurſus facilior ſit futurus. Equidem, cum hæc ſcribebam, non decerant, quæ inſtituto operi moram & impedimentum illatura videbantur. Armorum enim ſtrepitu, & peſtilentiæ, quæ per quosdam Hungariæ tractus inciderat, metu, cives

mei

mei suspensi erant. Ego tamen, spe gratiæ & præsidii divini confirmatior, aerem etiam Sempronii, dum hæc addo, saluberrimum, & cives ita bene valentes, ut vix quisquam infirmus fores meas pulset, aut opem imploret, sentiens, nunquam vel adversorum, vel publicæ calamitatis, metu ita animum despondi, ut, seria omittenda, & ignavo dolori indulgendum esse, putaverim. Hoc igitur, studio nunquam interrupto, per hæc tempora egi, ut describentis plantis Pannonicis curiosorum votis satisfacerem. In hoc instituto adhuc occupatum, ut vos, Viri Celeberrimi, consiliis & opera perbenigne juvetis, oro atque obtestor, Vobis ego vicissim non semina solum plantarum Pannonicarum rariorum, rarioresque plantas, sed & vera atque genuina, multumque a *Clusianis*, *Mentzelianis*que, diversa, verbo, accuratiora plantarum nomina Hungarica in *Flora Semproniensi* spondeo. Studium, & operam promtissimam, quantam quidem ad hos conatus, feliciter provehendos, præbere possit, mecum liberaliter spondet, omni meo præconio, quod ad humanitatem, stili elegantioris, rei herbariæ, studium, omnivariamque literaturam, major, D. *Jo. Christoph. Deccardus*, Scholæ Semproniensis Rector Clarissimus, qui graviores curas, quas in scholis publice docentibus vana sterilisque cathedra affert, ceterasque molestias, quas in pistrinum scholasticum compacti quotidie capiunt, vel vinearum, vel horti, florumque, cultura, vel etiam plantarum indigenarum studio, quo non vulgariter delectatur, lenire solet. Agite igitur, Viri Celeberrimi, date non inviti locum precibus, vos ad commercium Botanicum, & rariorum seminum, plantarumque, communicationem mutuam peramanter invitantis, & laborem meum, typis destinatum, conciliata etiam cordati alicujus Bibliopolæ voluntate, (cum talium Virorum apud nos copia non sit,) cujus opera cum orbe literato feliciter communicetur, promti facilesque promovete. Reliquum est, ut vestro favori me studiaque mea commendem, nihil dubitans, quin de hoc meo instituto recte benigneque sitis existimaturi. Dabam Sempronii in Hungaria d. 25 Aug. A. O. R. CIↃIↃCC XXXIX.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXXXIX.

BIBLIOTHECA BENEDICTINO-CASINENSIS, sive Scriptorum Congregationis Casinensis, alias S. Justinæ Patavinæ, qui in ea ad hæc usque tempora floruerunt, operum ac gestorum notitiæ; Autore Reverendissimo Patre, D. MARIANO ARMELLINI, ejusdem Congregationis S. Petri de Assisio Abbate.

Partes II.

Assisii, typis Feliciani & Philippi Campitelli, fratrum, 1731 & 1732, fol.

Pars I Alph. 2 plag. 14, Pars II Alph. 2 plag. 10, Appendix, Fulginei, 1732, plag. 3.

B*enedictinorum* nomen non in Ecclesiastica solum, sed & in Literaria, Historia celebre est. Quis enim est, qui *Gregorii M., Cassiodori, Ildefonsi, Bedæ, Alcuini, Walafridi Strabonis, Rabani Magnentii Mauri, Adonis, Usuardi, Hermanni Contracti, Amularii Fortunati, Haymonis, Lanfranci, Anselmi, Ruperti, Damiani, Bernardi, Dacherii, Mabillonii, Bonæ, Aguirrii, Sfondrati*, aliorumque Benedictinorum, nomina ignoret? Quorum quidem Ordinis sui sociorum merita cum *Beda, Trithemius, Wion, Jepesius, Bucelinus, Mabillonius*, & *Bernardus Pezius*, scriptis editis celebrarint; tantum abest, ut diligentissimo D. *Armellini* vitio vertamus, quod tantorum virorum vestigiis insistat, ut singularem ejus solertiam laude utique dignissimam censeamus. Neque enim ejus institutum est,

ea repetere, quæ illi literis atque memoriæ prodidere; ſed eorum tantum, qui tribus hiſce poſtremis Seculis, quibus Congregatio S. *Juſtinæ Patavinæ* ſubſiſtit, in ea claruerunt, opera & res geſtas deſcribere conſtituit. Cujus quidem Congregationis hæc eſt ratio. Cum ſub initium Seculi quinti atque decimi ob varia infortunia nobiliſſima quæque in Italia Ordinis Benedictini, nedum inferiora, Cœnobia, protrita regulari diſciplina, & diſſipata re familiari, in ruinis jacerent, pauciſſimis duntaxat monachis in aliquibus illorum relictis, repente ex *Ludovici Barbo*, Nobilis Veneti, S. Georgii in Alba olim Canonici, per *Gregorium XII* in D. *Juſtinæ Patavinæ* Abbatem inſperata electione mutata prorſus rerum facies apparuit. *Ludovici* enim *Barbo* auſpiciis atque ſolertia non antiqua ſolum diſciplina reſtituta, ſed & ſtatus Benedictinorum œconomicus ad priſtinum rediit ſplendorem. Quin imo hoc exemplo permoti, tum aliquot Commendatarii Abbates, tum Pontifices maximi, aliique Principes, plura per totam Italiam Cœnobia *Juſtinæ* monachis ſimili ratione reparanda & adminiſtranda certatim tradidere: non quidem omnia, quæ adhuc in Italia ſupererant, imo, ſi cum antiquis conferantur, valde pauca, tot tamen, taliaque, ut ampliſſimam ac celeberrimam Congregationem efficere potuerint. Nam monaſticæ diſciplinæ inſtauratæ fama *Nicolaum Guaſconum*, Nobilem Florentinum, impulit, ut inſignem in patria Abbatiam, quam in Commendam obtinebat, ab *Hugone*, Etruriæ Principe, olim erectam, Patribus *Juſtinæ Patavinæ* cederet. Deinceps *Guido Gonzaga* Cœnobium Benedictinum in agro Mantuano ampliſſimum, favente *Martino V*, Pontifice maximo, Congregationi S. *Juſtinæ* adjunxit, quo eodem Pontifice Patriarchalis D. *Pauli* Romæ Baſilica, Monaſteriumque, eidem Congregationi acceſſit. In cujus vaſtiſſimi templi & antiquiſſimi Cœnobii inſtaurationem ſtrenuam operam contulit Cardinalis *Condelmerius*, qui poſtea *Eugenius IV* Congregationem hanc impenſe coluit, fovit, ac propugnavit. Crevitque Congregatio Cœnobiorum numero ac dignitate per univerſam Italiam, cum A. 1505 *Caſinenſe* Archiſterium, totius monaſtici ordinis fons & origo, ſub

Jo-

Joanne Cardinali *Mediceo*, qui postea *Leo X*, opera *Magni Consalvi*, *Justinianæ* Congregationi annexum fuit. Ex quo tempore *Congregatio Casinensis*, alias *S. Justinæ de Padua*, appellata est. Neque ita multo post A. 1506 *Sicula* Congregatio, quæ pluribus Monasteriis constabat, inter quæ tria nobilissima numerabantur, *Panormitanum S. Martini*, *Messanense S. Placidi*, *Catanense S. Nicolai de Arenis*, haud parvum eidem Congregationi incrementum addidit. Dum autem Cl. *Armellinus* Bibliothecam Scriptorum hujus Congregationis exhibet, omnes sine discrimine Scriptores Alphabetico ordine recenset. Neque enim illos prætereundos censuit, qui exigui momenti libros luci exposuere. Videlicet *Gerh. Jo. Vossii* exemplo hanc methodum tuetur. Is in Præfatione in *Partem II Lib. III de Historicis Latinis incertæ ætatis*, Lugd. Batav. 1651, *pag. 689*, *inque his ipsis*, inquit, *eam institi viam, ut non contentus exponere majorum gentium Historicos, comites iis dederim, quos putarem* quomodocunque *in Historicorum grege tueri nomen suum posse. Imo etiam asseclas hic videre est* minutos *aliquos, qui profecto longius etiam abessent ab historicæ rei principibus, quam a Diis* Consentibus *distare ii olim credebantur, quos* Patellarios *dixere. Neque in eo peccasse mihi vel minimum videor. Siquidem ita semper animus fuit meus, ut ubique veritas grata esset & accepta; eoque, ut eos inprimis æstimo, qui & multa, & eleganter, de rebus antiquis prodiderunt, ita nec eos aspernari soleo, qui minora, ut potuere, modo sciri ea ullo modo interesset, in literas retulissent. Quod consilium meum optimo me cuique probaturum penitus confido.* Summam igitur in recensendis omnibus iis, quæ ad Monachos eruditos Congregationis S. *Justinæ Patavinæ* pertinent, servat ἀκρίβειαν, nihilque eorum omittit, quæ ad eorum laudem & notitias, quas quidem nancisci licuit, facere possunt. Præter varias Operum editiones, undique conquisitas, Autorum etiam, qui illorum mentionem faciunt, testimonia affert, totidemque verbis recenset. Atque, ut jucundior hujus Bibliothecæ lectio reddatur, Epitaphiis, Inscriptionibus, Elogiis, ceterisque prosaicis encomiis, poeticos etiam flores adjecit, quibus Scriptores hujus

Congregationis a nonnullis Poetis exornantur. Appendicis autem loco *de Viris literis illustribus e Congregatione Casinensi, de quibus tamen non liquet, an aliquid scriptis consignaverint*, Commentationem attexuit. Quo quidem labore suo illud se effecisse sibi persuadet, ut publice jam constet, e *Casinensi*, seu S. *Justinæ Patavinæ*, Congregatione Philologos, Historicos, Literatores, Philosophos, & Mathematicos excellentissimos, prodiisse. Ad quod quidem, de sententia Cl. *Armellini*, plurimum contulit, ac in præsens etiam confert, *Collegium Anselmo-Benedictinum*, sub *Innocentio XI* in monasterio monachorum Casinensium Romæ erectum. In quo, sub egregiis præceptoribus, bonæ spei juvenes, ex tota Congregatione delecti, multa eruditione imbuti, post ingenii ac doctrinæ plura exhibita in alma Urbe specimina, aliorum magistri variis in locis constituti, rem literariam strenue promovent, & amplificant.

JACOBI GRETSERI, SOCIETATIS JESU Theologi, Opera omnia, antehac ab ipsomet Autore accurate recognita, Opusculis multis, Notis, & Paralipomenis pluribus, propriis locis in hac editione insertis, aucta & illustrata, nunc selecto ordine in certos titulos revocata.

Tomus IX & X.

Ratisbonæ, sumtibus Jo. Conradi Peez & Felicis Bader, 1736 & 1737, fol.

Tomus IX Alph. 10, Tomus X Alph. 11.

Diximus nuper de Operum *Gretseri Tomo septimo* & *octavo*; jam, quid *nonus* ac *decimus* secum ferant, docebimus. Et *nonus* quidem exhibet primo loco *Defensionis Controversiarum* Roberti Bellarmini, *S. R. E. Cardinalis amplissimi*, *Tomum secundum*, *de Christo*, *Christique vicario*, *Pontifice Romano*, *adversus* Junium, Danæum, Sibrandum, Sutlivium, Witackerum, Chamierum, Abbatum, Povelum, Dresserum, *aliosque Sectarios*. Præmissa est huic *Tomo* Præfatio *Gret-*

Gretseri, quomodo Hæretici Scripturas tractent, citent, incautosque illaqueent, deque sectariis, qui secundam & tertiam Illustrissimi Cardinalis Bellarmini *Controversiam de Christo, & Christi vicario, allatrarunt.* Præter scripta, *priore* jam *Tomo* refutata, *Gretseri* impetum hic sustinent *Matthæi Sutlivii*, Angli, Decani (*Pseudodecanum* vocat *Gretserus*) Exoniensis, *liber de Antichristo*, Danielis Chamieri *de Oecumenico Pontifice Libri sex*, Sam. Huberi *Antibellarminus*, Roberti Abbati *Demonstratio Antichristi*, Gabrielis Poveli *Disputationes Theologicæ de Antichristo, & ejus Ecclesia*, ut ceteros taceamus. *Controversiæ* Bellarminianæ *de Christo* cum sint *Libri quinque*, totidem *Libris* ipsa ejus defensio decurrit. Accessit vero Libro secundo *Disputatio de Sacrosanctæ Trinitatis mysterio, in qua potissimum de processione Sancti Spiritus contra Græcos disseritur, ejusque defensio;* Libro tertio *Digressio contra* Hunnium, *ejusque Hyperaspisten* Mævium; porro *Refutatio* Mæviani *libelli contra Judicium* Bellarmini *de Libro Concordiæ*, & *Notationes in Disputationem* Ergasili Augustani *de Christo;* Libro quarto *Digressiuncula contra* Mævium. Inde ad defendendam *Controversiarum* Bellarmini *tertiam* progreditur *Gretserus*, in cujus Operibus jam legitur *Reverendissimi & Illustrissimi* Roberti Bellarmini, *S. R. E. Cardinalis amplissimi, tertia Controversia generalis de summo Pontifice, quinque Libris explicata, & nunc per* Jac. Gretserum, *Societatis Jesu Theologum, a Sectariorum calumniis vindicata.* Implet hæc ipsa *Voluminis* hujus partem maximam, quippe ad præcipuum doctrinæ Pontificiæ momentum spectans. *Appendicem* ei *Gretserus* dedit *de mirifico & honorifico Opere* Samuelis Huberi, *Lutherani Prædicantis*, in qua, dici vix potest, quantam in *Huberi Antibellarminum* petulantiam exerceat. Sed longior & gravior quodammodo hac ipsa est *Appendix* alia, *Apologiam* sistens *trium Librorum de Translatione Imperii Romani a Græcis ad Francos*, *adversus* Franciscum Junium, *Calvinistam*, & Matthæum Dresserum, *Lutheranum.* Prodierat olim *Marsilii de Padua* liber eruditus *de Translatione Imperii Romani ad Germanos*, in quo de-

fenderat veram illam, & certiſſimis monumentis innixam, ſententiam, translationem Imperii Romani ad Francos ſeu Germanos non eſſe factam a Pontifice. Id graviter ferens *Bellarminus*, oppoſuit *Marſilio Libros tres*, quos deinde data opera *Franc. Junius* & *Matth. Dreſſerus* refutarunt. Cum his igitur Duumviris digladiatur *Gretſerus*, ſed iis, ne quid diſſimulemus, armis, quæ ridiculum inſpicienti cuique ſpectaculum faciant. Subjicitur opellæ huic *Admonitio de Animadverſionibus* Junii *in libellum* Bellarmini, *quem adverſus Anonymum quendam Calviniſtam edidit.* Omnium poſtrema eſt *Satyra in Chriſti, & ejusdem in terris vicarii, Romani Pontificis, Satyricos, & plus quam Hipponacteos inſectatores*, verſu hexametro effuſa, *Juvenalis* cujusdam aut *Perſii* ſales ſapiens, ſcilicet.

Pergimus ad *Tomum decimum*, ampliſſimis cœleſtium animarum, quibus glorioſum Sanctorum nomen Eccleſia Romana tribuit, vitis, tanquam tot gemmis, exornatum. Primum ſuo jure in hoc ſacrario locum tenet *Vita D. Mariæ Virginis, Deique genitricis, in gratiam Congregationis & Virginis annuntiatæ* edita. Virginem Deiparam e veſtigio ſequitur *Innatius Loyola*, autor quippe Ordinis illius, cui nomen addixerat *Gretſerus.* Jam enim legimus *Libros quinque Apologeticos pro Vita* Ignatii Loyolæ, *Societatis Jeſu fundatoris, edita a* Petro Ribadeneira, *contra calumnias cujusdam Chriſtiani* Simonis Lithi Miſeni, *Calviniſtæ.* Eſt hic *Simon Lithus Miſenus*, quem petit *Gretſerus*, clariſſimus ille Seculi XVI Philologus, *Simon Stenius*, natione Miſnenſis, cujus tunc in *Vitam Ignatii*, a *Petro Ribadeneira* ſcriptam, *Scholia* prodierant. Idem deinde ad *Apologiam* Jac. Gretſeri *Reſponſiones* edidit, quibus denuo oppoſuit *Gretſerus Libros quinque Apologeticos pro Vita B.* P. Ignatii, *Societatis Jeſu fundatoris, adverſus iteratas calumnias cujusdam Chriſtiani* Simonis Lithi Miſeni, *Calviniſtæ.* Nec ſic ſatis fuit controverſiarum. Nam, cum *Stenii* prodiret *Jacobus Gretſerus denudatus*, excepit hunc *Gretſeri Lithus Miſenus Calviniſta, nunc tertio Libris quinque dedolatus, pro defenſione B.* P. Ignatii, *qui Societatem eandem inſtituit ac fundavit.*

davit. Inde ad amœniores Sanctorum Vitas reducimur. Jam enim meriturus optime de *Divis Bambergensibus Gretserus*, exhibet primo incerti Autoris *Vitam S. Henrici Imperatoris*, jam olim *Tomo VI Lectionum antiquarum Canisii* publicatam, sed jam denuo ex optimis Codicibus plenius & correctius editam, & annotationibus *Gretseri* instructam. Commode huic jungitur *Vita S. Kunegundis, Imperatricis, quæ cum sancto suo conjuge* Henrico *Imp. Episcopatum Bambergensem condidit ac fundavit*, a *Gretsero* ex variis Codicibus auctior & emendatior, quam antea exstabat, edita, ejusdemque Notis illustrata. Tum sequuntur *Vitæ S. Ottonis, Babebergensis Episcopi, ac Pomeranicæ gentis Apostoli, Libri quatuor, scripti ab* Andrea, *Monasterii S. Michaelis prope Bambergam Abbate*, a *Gretsero* partim nunc primum in lucem prolati, partim annotationibus ornati. Subjiciuntur his *variæ Epistolæ, ad rerum Bambergensium illustrationem pertinentes*, a *Gretsero* primum ex antiquis Codicibus editæ, ejusdemque passim notulis conspersæ, quarum nonnullæ ad ipsum illum *Othonem* ab *Henrico* IV Imp. datæ sunt. Ad ejusdem *Othonis* quodammodo historiam spectant, quæ jam leguntur, *varia Imperatorum, Regum, ac Principum, Diplomata, res Ratisbonenses illustrantia*, ex Codice antiquo Viennensi a *Gretsero* exscripta. *Divis Bambergensibus* in hoc *Volumine* comites dati sunt *Divi Eystettenses*, quorum ut memoriam æternitati consecraret *Gretserus*, publicavit, quem primo loco hic conspicimus, *Philippi, Ecclesiæ Eystettensis XXXIX Episcopi, de ejusdem Ecclesiæ Divis tutelaribus, S.* Richardo, *S.* Willibaldo, *S.* Wunibaldo, *S.* Walpurga, *Commentarium*, eundemque locupletavit S. *Solæ, S. Deochari*, & *S. Sebaldi*, vitis, explicata simul Episcopatus Eystettensis origine. Adjecit idem *Observationum* in hunc *Philippi* Commentarium *Libros duos*, ad illustrandam partim, partim etiam emendandam, hanc Historiam conscriptos, nec non *Catalogum historicum omnium Episcoporum Eystettensium, usque ad Reverendiss. Præsulem & Illustrissimum Principem*, Joannem Christophorum a Westerstetten, satis, ut videtur, diligenter contextum. Claudit hunc *Tomum Fons olei Walpurgini*

gini apud Eyſtettenſes explicatus atque defenſus a Jac. Gretſero, ſeu *Diſſertatio de Oleo S. Walpurgis, Virginis apud Eyſtettenſes ſepultæ*, cui Appendicis loco acceſſit *recentium quorundam miraculorum, quæ Deus per oleum S. Walpurgis patravit*, recenſio.

Huc usque proceſſit Operum *Gretſeri* Collectio, quam commodus librorum ordo, & ampliſſimi rerum notabiliorum Indices, ſingulis ſubjecti *Voluminibus*, ſatis Lectori, inprimis aliena a noſtris ſacra ſectanti, commendant.

DE SERENISSIMÆ DOMUS AUSTRIACÆ Advocatia Provinciali ſuperioris atque inferioris Sueviæ Diſquiſitio hiſtorica LUDOVICI BARTHOLOMÆI HERTTENSTEINII, J. U. L. & Reip. Ulmanæ Conſiliarii.

Notum eſt & perceelebre Præfecturæ Provincialis Sueviæ in Annalibus, veterumque Chartarum monumentis, nomen; at ignota plerisque ejus hiſtoria, nec ſatis perſpecta ratio, frequentesque proinde de ea eruditorum errores, nec minores de Suevorum in explicandis ejusmodi argumentis negligentia querelæ. Equidem non penitus contemnenda ſunt quorundam Scriptorum in nobiliſſimam hancce hiſtoriæ patrem ſtudia, ſed tantam ubivis invenies ſententiarum & opinionum ambiguitatem, quin imo contrarietatem, ut difficile ſit, diſtinctam exinde ideam elicere, ne dicam, ſolidi quid concludere. Ut igitur, illuſtratis hactenus hac ratione *Ducatus* & *Principatus* Suevici viciſſitudinibus, etiam ſumma clariſſimi hujus thematis obſcuritas, diſſipatis, quibus undique involutum eſt, incertitudinis nebulis, clarior aliquando evaderet, ac conterranei mei leviuſculo hocce conatu ad diligentiorem ejus inveſtigationem ſollicitarentur, præſens conſcripſi meletema, in cujus evolutione ea, qua fieri potuerit, perſpicuitate ita verſabor, ut ex optimis quibusque documentis, editis, ineditis, primo quidem Præfecturæ hujus nomen, diviſionem, & originem, poſtea ejusdem fata, munera, ac appertinentias, & denique illius ſucceſſionem, breviter ac ſuccincte ſum delineaturus.

I. Quod

I. Quod igitur ad nomen *Landvogtiæ* attinet, patrii ſermonis, & ex vocabulis *Vogt*, Advocatus, Præfectus, & *Land*, provincia, ſive terra, compoſitum, illud eſſe, nemo facile negaverit. Quem enim Romani Præfectum vel Præſidem provinciæ dixerunt, illum Germani *einen Land-Vogt oder Land-Pfleger*, regionem autem, ejusmodi Advocatis commiſſam, *Terram Advocatorum*, *ein Land der Vægten*, *oder ein Vogt-Land*, nominarunt, quæ appellatio etiam Præfecturæ cuidam Franciæ orientalis ad noſtra usque tempora permanſit. Quemadmodum autem ex hac ipſa nominis etymologia per ſe conſtat, hoſce Advocatos provinciales cum Advocatis Eccleſiarum & Civitatum, *denen Kaſten-Vægten und Reichs-Schultheiſſen*, non eſſe confundendos, ita etiam horum Advocatorum Provincialium in Suevia varia olim fuerunt genera, ſollicite proinde a ſe invicem diſtinguenda. Ut enim taceam inſulſam illam *Lazii* de univerſa olim Suevia abrogatis Pagis in Landvogtias diviſa fabulam, extra omnem certe dubitationis aleam poſitum eſt, & *Ergoviam*, & *Briſgoviam*, & *Turgoviam*, imo, ut Cl. *Bruckerus* nuper ſcite explicavit, & civitatem *Auguſtanam*, ſuos olim peculiares habuiſſe Advocatos Provinciales, id quod inter alia ex *Cruſii* inprimis teſtimonio patet, qui expreſſe refert, A. 1300 aut circiter ab *Alberto* Rege tres fuiſſe *Advocatos provinciales* conſtitutos, *in Suevia Comitem Württembergicum*, *in Briſgovia filium Domini Ochſenſteinenſis*, & trans Rhenum *in Alſatia Dominum Henricum de Liechtenberg*. Et, quamvis harum una vel altera interdum etiam una cum Præfectura Sueviæ, de qua hic nobis ſermo eſt, eidem Advocato ſimul adminiſtranda conceſſa fuerit, qua ratione A. 982 *Wernerus a Seldenecca*, & A. 1284 *Albertus Comes ab Hohenberg*, *Sueviam & Auguſtam Vindelicorum*, A. 1360 *Fridericus*, *Dux Teccenſis*, *Sueviam & Alſatiam*, A. 1367 *Joannes*, *Epiſcopus Brixenſis*, *Sueviam*, *Turgoviam*, *Ergoviam*, *& Alſatiam*, & A. 1409 *Hermannus*, *Comes a Sulz*, *Sueviam*, *Ergoviam*, *& Briſgoviam*, ſimul gubernarunt, unaquævis tamen diſtinctas ſuas habuit rationes, diſtinctos limites, & diſtincta etiam ſuo modo officia, ita tamen, ut hæc noſtra, de qua loquimur, Præfectura mater

ter quasi reliquarum fuerit, easdemque & dignitate, & antiquitate, & terrarum latitudine, quam longissime superaverit, proinde etiam per excellentiam *Advocatia Provincialis Sueviæ*, cujus tamen etiam reliquæ partes fuerant, appellata, & ab *Heidero* passim *Archi-Præfecturæ* encomio insignita.

II. At nec ipsa hæc, quam modo innuimus, *Archi-Præfectura* Sueviæ distinctione carebat, sed ad imitationem ipsius provinciæ in duas partes distinguebatur, *Sueviæ* scilicet *superioris*, quæ, ut *F. Fabri* verbis utar, contra Alpes porrigitur, & *inferioris*, quæ contra Rhenum protenditur; quapropter etiam in Annalibus & Chartis antiquis frequens *Advocatorum provinciæ superioris Sueviæ* fit mentio, quales inprimis A. 1010 *Henricus a Weissenhorn*, A. 1275 *Hugo Comes a Werdenberg*, A. 1333 *Henricus de Sweiningen*, A. 1347 *Joannes Henricus de Strutwingen*, A. 1353 *Ulricus Comes de Helffenstein*, A. 1373 *Joannes Comes a Lotheim*, & A. 1430 *Fridericus Burggravius de Nüremberg*, prædicantur; qui, ut reliqui eorum successores, in arce Ravenspurgensi, A. 1647 a Suecis deleta, sedem suam habuerunt. Ex *inferioris* autem *Sueviæ Advocatis*, ut ingenue rem fatear, nullum hactenus inveni, hac distinctione usum; probabile tamen est, & inferiorem Sueviam peculiaribus Præsidibus fuisse rectam: unde etiam *Albertus I* A. 1305 *Advocatis suis Provincialibus*, *Ludovicus IV* A. 1331 *dess Reichs getreuen Land-Vægten*, & *Carolus IV seinen und dess Reichs-Land-Vægten* in plurali numero mandarunt, quamvis non negandum, etiam superiorem Sueviam a pluribus interdum Advocatis simul rectam fuisse, qua ratione *Carolus IV*, teste *Crusio*, A. 1353 *Ulricum Comitem de Helffenstein*, & *Eberhardum Dapiferum de Waldpurg*, Præfectos provinciales Sueviæ superioris nominavit. Quamvis autem hoc argumentum hac ratione per se evidenter non concludat; clarissime tamen thesin nostram comprobat testimonium *Wenceslai*, qui A. 1379 *sein und dess Reichs beede Land-Vogteyen in Obern und Niedern Schwaben Leopoldo* Austriaco oppignoravit, quarum fines sic distinguuntur, ut superior Advocatia loca circa villam Altorffensem & versus lacum Bodamicum, inferior autem loca circa

ca

ca Ileram & Danubium ſita, comprehendat. Qui vero utrique huic Præfecturæ ſimul præfuerunt, aut κατ' ἐξοχὴν *Advocati, Præſides*, vel *Præfecti, Sueviæ* audiebant, aut *Procuratores Imperatoris univerſales in Suevia*, qualis jam A. 1197 occurrit *Degenhardus ab Hellenſtein*, aut *Advocati Provinciales ſuperioris atque inferioris Sueviæ*, qualis a *Carolo IV*, teſte *Dattio*, *Fridericus Palatinus* conſtitutus fuit, & hi ob latitudinem provinciæ, cauſarumque dirimendarum multitudinem, plerumque ſub ſe habuerunt ſuos Vicarios, *Unter-Land-Vægte*, ex quibus primus fuiſſe videtur *Henricus Rüeder*, Eques, qui A. 1373 floruit. Noſtris autem temporibus illi, qui illuſtri hoc munere funguntur, *Kayſerliche Land-Vægt in Ober- und Nieder-Schwaben*, eorumque Vicarii *Land-Vogtey-Verwalter*, nominantur.

III. Hiſce præmiſſis, ulterius jam pergo ad originem hujus Præfecturæ, quam alii, ut aniles illas *Lyreri* nugas ſilentio prætercam, cum *Walzio* a Romanis, eorumque Imperatore *Valerio Probo*, alii cum *Ludewigio* a Francis, alii cum *Heidero* a reliquiis Comitatus Guelphici Altorffenſis, alii cum *Schwedero* ab exſtincta Ducum Hohenſtauffenſium Familia, alii denique cum *Lazio* a proſcriptione *Joannis* Parricidæ, repetunt; at, cum jam diu ante excidium Familiæ Welphicæ & Hohenſtauffenſis in veteribus chartis Præſidum Sueviæ mentio injiciatur, mea quidem qualicunque ſententia initia Præſidatus Suevici a Gothis, forma a Francis, incrementa autem a Guelphorum (quorum olim arx Ravenspurgenſis, antiqua Advocatorum ſedes, nativum domicilium fuerat,) exuviis repetenda erunt. Primus enim abſque dubio, teſte *Caſſiodoro* & *Agathia*, *Theodoricus* Præſides provinciales in Sueviam miſit, *Chlodoveus* autem ab initio Sueviam etiam per Præfectos Provinciales gubernavit; poſtquam vero ejus in regno ſucceſſores Sueviam in Ducatum converterunt, pars quidem Provinciæ ex obſervatione *Schilteri* feudi jure Ducibus ceſſit, quod autem reliquum erat, per Advocatos Provinciales adminiſtrabatur, ex quo, obſervante *Kælero*, per ſe patet, Ducatum & Landvogtiam Sueviæ coævas quidem, ſed ratione poteſtatis, jurisdictionis, ori-

ginis, & acquiſitionis, admodum inter ſe diſtinctas fuiſſe dignitates. Iterum iterumque ergo errat *Heiderus*, dum, Imperatores non prius de conſtituendis in Suevia Advocatis Provincialibus ſollicitos fuiſſe, aſſerit, quam, aſſertis Imperio juribus occaſu Ducum vacuis, haberent, in quo eorum cura occupari poſſet.

IV. Sed pedem jam moveo ad fata hujus Advocatiæ, quæ, Ducatu Sueviæ ſub ſtirpe Carolingica ſublato, una cum hoc per ſatis longum temporis ſpatium a *Cameræ Nuntiis* recta fuit, quorum alter, uti videtur, bona, ad Ducatum Sueviæ pertinentia, alter autem bona, ad fiſcum Regium ſpectantia, procuravit, proinde etiam, teſte *Spelmanno* & *Goldaſto*, haud raro *Advocati Imperiales* dicti. Ex quo autem Ducatus Sueviæ per *Conradum I* iterum fuit inſtauratus, etiam Advocatia Provincialis, quam *Moſerus* fruſtra patrimonio veterum Welphorum accenſet, iterum ſeparatas rationes habere cœpit, neque alia, poſt exſtinctam Hohenſtauffenſium Familiam, illius facies fuit. Licet enim Cel. *Schwederus* cum perſonato illo *Burgoldenſi* & Ill. *Moſero* exiſtimet, Præfecturam Sueviæ A. 1283 in Comitiis Auguſtanis, una cum Ducatus Suevici Domaniis, *Rudolpho* juniori tanquam feudum regale vexilliferum a parente fuiſſe conceſſam; conſtat tamen ex optimorum Scriptorum teſtimoniis, Sereniſſimam domum Auſtriacam non feudi, ſed pignoris, titulo illam acquiſiviſſe, unde etiam, teſte *Burgmeiſtero*, Imperator *Maximilianus II* agnatis ſuis, inveſtituram de hac Præfectura, tanquam de feudo Imperii principali, aliquando poſtulantibus, repulſam dedit, ex quo ſponte ſua corruit illud doctiſſimi alias *Heideri* conſectarium, quod ſcilicet Præfecti Provinciales veterum Ducum partes ſuſtineant, quamvis ipſe cum Ill. *Ludewigio* non aſſequar, quare *Rudolphus I* eo ipſo, quo Sueviam ab ordinibus pro filio ſuo demandavit obtinuitque, non ſimul Imperiali autoritate vel adjunxerit Landvogtiam, vel hanc ipſam eidem pariter rogaverit, perpetuo deinceps a Principe Sueviæ exornandam atque inſtruendam. Quicquid autem hujus rei ſit, certum tamen eſt, Advocatiam iſtam etiam exſtinctis Ducibus Suevorum penes Imperium permanſiſſe, id quod inter alia ex eo quoque patet, quod *Carolus IV*

A. 1359

A. 1359 civitatibus Sueviæ ſolenniſſime permiſerit, *die Land-Vogtey in Schwaben niemanden mehr zu verpfænden*, quamvis filius ejus *Wenceslaus* illam haud diu poſt annum 1379 *Leopoldo* Auſtriaco oppignoraverit, a quo tempore frequentibus viciſſitudinibus obnoxia, ac a variis varie dilacerata fuit; quare etiam *Fridericus III* Imperator A. 1482 Statibus Advocatiæ vicinis turbationem jurium, & injuſtam occupationem bonorum, ad eandem pertinentium, teſte *Ottone*, ſerio prohibuit, *Carolus V* autem eam A. 1548, accedente Electorum conſenſu, provida cura fratri Auguſtiſſimo *Ferdinando I* reluendam, & ſub lege reluitionis perpetuo poſſidendam, tradidit, qui deinceps A. 1562 Judicio provinciali novam Ordinationem præſcripſit, & eandem una cum aliis in Suevia bonis ad poſteros ſuos transmiſit, inter quos quidem Statusque immediatos Sueviæ variæ ſuper ejus reluitione, & Judicii provincialis abrogatione, annis præcipue 1585 & 1646, ortæ fuerunt controverſiæ, a *Lunigio*, *Burgmeiſtero*, & *Piſtorio*, latius explanatæ, & dudum in Comitiis tam univerſalibus, quam circularibus, agitatæ, quin imo ad ſolennes pacis Weſtphalicæ deliberationes delatæ. At, cum meum non ſit, tantas componere lites, præſtat judicium de iis ſuſpendere, quam tantorum Principum controverſiis imprudenter ſe immiſcere; quare etiam bella, inter Civitates Sueviæ & Comites Württembergicos ob jura Advocatiæ Seculo XIV orta, & non niſi gravi ære ſoluto, multoque ſanguine effuſo, ſedata, ſilentii peplo involvo, curioſum Lectorem ad *Nauclerum* & *Cruſium* remittens.

V. Ceterum Præfecti illi ab initio a Regibus Gothorum, poſtea a Regibus Francorum, & demum a Regibus Germanorum, ex primaria gentis nobilitate immediate fuerunt conſtituti. Quare etiam *Degenhardus ab Hellenſtein* A. 1197 *Procurator Imperatoris in Suevia*, & *Rudolphus de Homburg* A. 1362 *deſs Heil. Ræm. Reichs-Pfleger in Schwaben*, imo eorum ſucceſſores hodienum *Kayſerl. Land-Vægte*, audiunt, quorum haud pauci apud *Magerum* & *Burgmeiſterum Dei & Imperatoris*, quemadmodum *Judices Provinciales Imperatoris & Advocati gratia*, tales ſe ſcripſerunt; qua ratione A. 1378 *Conra-*

dus Stæffer von des Ræm. Kayſers und Herzog Friederichs von Bayern alſs Land-Vogts in Schwaben Gnaden freyer Land-Richter in der Pürſs audit. Ex quo autem Præfectura Sueviæ certis familiis oppignorata fuit, etiam jus conſtituendi Advocatum Provincialem ſimul eis ceſſit, id quod exempla *Rudolphi Comitis ab Hohenburg* A. 1379, *Conradi Stein a Reichenſtein* A. 1384, *Hermanni Comitis a Sulz* A. 1409, aliorumque, clariſſime docent.

VI. Fuit autem olim ſumma horum Advocatorum, tanquam Imperatoris & Imperii in terra Suevica Vicariorum, autoritas. Quapropter etiam antiquiſſimis jam temporibus titulo *nobilium* atque *ſtrenuorum* condecorati, & non minori fere, quam Duces, loco habiti fuerunt, inſignibus etiam veteris Ducatus Suevici uſi, & a *Goldaſto* inter quatuor Advocatos Imperii relati. Quin tantus illis olim exhibitus fuit honos, ut monaſteriorum civitatumque Imperii, quibus Imperatores quam optime cupiebant, defenſio illorum patrocinio commendata fuerit, id quod, præter alia innumera exempla, inprimis monaſterii *Pfullingenſis* de anno 1296, *Denckendorffenſis* de anno 1342, & *Kœnigsbrunnenſis* anno 1384, apud *Beſoldum*, nec non civitatis *Campidunenſis* de anno 1355 & 1361, teſtantur. In civitatibus autem Imperii, eorum defenſioni commiſſis, tanta quoque illorum fuit exiſtimatio, ut *Wenceslaus* A. 1383 illis expreſſe mandaverit, *Herzog Leopolden zu Oeſterreich alſs Ihrer Majeſtæt und des Reichs Land-Vogt gehorſam zu ſeyn*, quare etiam multæ ex illis Præfecto provinciali olim homagium præſtiterunt. Poſtquam autem & monaſteria & civitates illæ durius interdum a Præfectis habitæ fuerunt, ſenſim ſenſimque Imperiali autoritate illorum jugo & exactionibus, ut verba Diplomatum ſonant, fuerunt exemtæ, id quod in ſpecie, *Beſoldo* & *Burgermeiſtero* autoribus, A. 1305 Monaſterio *Bebenhuſano*, A. 1309 Monaſterio *Pfullingenſi*, A. 1377 *Eslingæ*, *Reutlingæ*, *Rothwilæ*, & *Wilæ*, accidit; unde etiam eſt, quod Præfecturæ jura hodie longe arctioribus, quam jurisdictio Judicii provincialis Suevici, limitibus conſtricta ſit, eique, recte id obſervante *Schwedero*, nulla amplius in monaſteria ac civitates Sue-

Sueviæ, ceu Status Imperii, superioritas competat, unde etiam *Fridericus III*, apud *Dattium*, A. 1489 expresse declaravit, *dass dasselb Land Schwaben und die Unterthanen darinn allein dem Rœm. Kaysser und dem H. Reich zugehœrig und unterworffen seyen, und sonst keinen andern Herrn, dann den Kayser, hætten*, &c. Et, quamvis cœnobia quædam, v. g. *Weingartense*, *Owense*, *Salmonis Villanum*, *Schussenriedense*, *Ochsenhusanum*, *Münchrodense*, *Buxheimense*, *Lindaviense*, *Lœwenthalense*, *Baindense*, *Guttenzellense*, una cum civitatibus *Buchhornensi*, *Wangensi*, *Überlingensi*, *Biberacensi*, *Memmingensi*, *Kauffburana*, *Pfullendorffensi*, *Reutlingensi*, *Eslingensi*, *Wilensi*, &c. Advocatiæ Provinciali hodienum certum aliquod tributum annuum persolvere teneantur, illud tamen non tam in signum subjectionis, quam in honorem protectionis, *wegen dess Schutz und Schirms und alss eine Ehrung wegen der Stædt-Steur und ihrer Ammann-Aembter*, ut & in recognitionem banni sanguinis, *wegen dess Blut-Banns*, fieri solet, id quod *Joannes Dapifer a Waldpurg*, apud *Burgmeisterum*, A. 1473 ipse agnovit, & in causa etiam fuit, quod Status A. 1523, a *Nicolao Zieglero* ad Comitia Provincialia Altorffensia citati, suasu Fœderis Suevici non comparuerint.

VII. Quod autem officium horum Præfectorum provincialium spectat, illud in eo maxime consistebat, ut census & reditus Imperii Imperiali nomine exigerent, negotiis judicialibus formam legemque præscriberent, provinciæ securitati invigilarent, pacem publicam sua autoritate firmarent, Monasteriorum, Civitatum, & Judæorum, curam gererent, viarum publicarum securitatem persecutione latronum promoverent, vasallos imperii in officio continerent, & denique Decreta Judicialia executioni mandarent; quem in finem etiam, præter Vicarium, *den Landvogtey-Verwalter*, Scribam, *den Land-Schreiber*, Fisci Patronum, *den Landgerichtlichen Fiscal*, aliosque officiales bene multos, *Landwaibel*, *Ambtleuth*, *Forstmeister*, *Überreuter*, *Ambts-Knecht*, &c. sub se habet, dum e contrario *Judex Provincialis*, *der Kayserl. Land-Richter*, teste vetere quodam MSto, immediate a Regimine Oenipontano dependet,

det, neque Advocati Provincialis jurisdictioni subjectus est, quamvis eodem cum illo loco, in villa scilicet Altorffensi, commoretur, & suo modo ejus inspectioni sit obnoxius.

VIII. Ipsa vero Landvogtia non tantum potestatem judiciariam exercet, sed satis etiam amplum territorium in Algovia, & in illo diversa castra, pagos, villas, Serenissimæ domui Austriacæ, partim quoad proprietatem, ut v. g. *der Flecken Altorff*, *die Burg und Væstin ob Ravenspurg*, *der Lehenhoff zu Oepffingen*, partim autem tantum quoad jurisdictionem, sive altam, sive bassam, sive utramque simul, subjectas, cum omnibus regalibus, *an hoher Obrigkeit*, *Herrlichkeit*, *Gerechtigkeiten*, *Lehenschafften*, *Mannschafften*, *Gülten*, *Aembter*, *Ehrungen*, *Zællen*, *Zwingen*, *Bænnen*, *Vogteyen*, *Vogt-Recht*, *Fæll*, *Gelæss*, *Frevel*, *Straffen*, *Bussen*, *Steuren*, *Forst*, *Wildbahn*, *Glaich*, &c. ut verba *Wenceslai*, *Sigismundi*, & *Caroli V* apud *Lunigium* sonant, comprehendit, ex quibus etiam Præfectus provincialis per suos officiales *Ambts-Knecht und Gefæll-Einnehmer*, quorum in superiori Landvogtia 15, in inferiori autem 3, constituuntur, haud contemnendos reditus percipit, id quod inter alia ex eo præcipue patet, quod non tantum *Wenceslaus* ex reditibus *Leopoldo* Austriaco annuam pensionem 6526 florenorum assignaverit, sed etiam, teste vetere MSto, 2727 subditi collectabiles in Landvogtia superiore reperiantur, quorum plurimi peculiares dominos habent, sed tamen quoad jurisdictionem altam Præfecturæ provinciali subjecti sunt, ut jam honoraria, a Statibus in ea, quin imo etiam extra eam, sitis quotannis Advocatis persolvi solita, silentio prætercam. Manifestus exinde est eruditissimi alias *Schragii* error, existimantis, Præfecturam provincialem Sueviæ nihil aliud unquam fuisse, quam jus Advocatiæ, ab Imperio dependentis, minime vero territorium significare, &, quicquid forte bonorum, rerum, hominum, prædiorum, &c. pertinentiarum nomine cum Landvogtia ipsa, seu potestate judiciaria, ab Imperio Serenissimæ domui Austriacæ fuerit concessum, non alio jure, quam dominii utilis, illi obtigisse, cui effato certe Literæ oppignorationis una cum quotidiana experientia e diametro contrariantur.

IX. Por-

IX. Porro etiam ad Præfecturam hancce Provincialem ex sensu dictorum Diplomatum olim pertinebant, & ex parte adhuc hodie pertinent, Judicium provinciale Sueviæ, *das Frey-Kayserliche Land-Gericht in Schwaben, auf der Leutkircher Heyde und in der Gepürss;* item Advocatia Civitatum Imperialium Augustensis & Giengensis, *dess Reichs Stædte Augspurg und Giengen*, nec non reliquarum Civitatum & Monasteriorum in limitibus ejus sitorum, *mit den anderen dess Reichs Stædten daselbst, Clæsteren,* &c. porro defensio Judæorum, quam A. 1431 in inferiori Suevia *Conradus Dominus in Weinsperg* vicario nomine exercuit, *alle Juden in Ober- und Nieder-Schwaben*, tutela hominum liberorum in campis Leut-Kirchensibus, *die freye Leuth auff der Leutkircher Heyde und in der Gepürss*, quorum transactiones, cum Advocatia provinciali super diversis gravaminibus initas, *Burgmeisterus* late recenset, potestas reluendi bona Imperii in Suevia oppignorata, & denique spes succedendi in Feuda Suevica in Landvogtia Suevica Imperio aperta, vulgo *Schwaben-Leben*, item *Herzog-Leben*, dicta, quorum sat magnus est numerus, & quorsum, teste eodem MSto supra citato, inprimis pertinent *Waschenburg, Habsperg, Justorff, Widenstein, Unter-Sulmatingen, Cronburg, Schwarzach, Erolzheim, Gleissenburg, Laupheim, Bussingen, Laubenberg, Eisenburg, Honburg, Grüningen, Graben, Stauffen, Fridingen, Hasenstein, Nieder-Marchtall, Hosheim, Rechbergshausen, Warthausen, Achburg, Freyberg, Ebenhofen, Stadion, Alberweiler, Wehrwag, Ellerbach, Brandenburg, Trauchburg, Vehringen, Sigmaringen, Wæhrstein, Rietheim, Blaubeuren,* &c.

X. Tandem coronidis loco adjungam catalogum Advocatorum provincialium Sueviæ, quotquot eorum hactenus in Chartis, Diplomatibus, Annalibus, apud *Goldastum, Bruschium, Stumpfium, Crusium, Heiderum, Dattium, Besoldum, Petri, Ottonem, Burgmeisterum, Ludewigium, Lehmannum, Kænigshofen, Münsterum, Bucelinum, Lunigium, Zeilerum,* aliosque, invenire licuit, quorum nomina, Chronologico ordine disposita, sunt sequentia: A. 499 Emericus, Comes Stabuli, *Sueviæ Præfectus*, A. 500 Fridiladus, *Rector provincialis in*

 Suevia,

Suevia, A. 600 Romulphus, *Comes provincialis Sueviæ*, A. 716 Sindelesius, *Alemanniæ Præfectus*, A. 718 Ottwinus, *Præses Sueviæ*, A. 764 Syllachus, Comes Ilergoviæ, *Præfectus Sueviæ*, A. 766 Gozbertus, Præses Ranckwilanus, *Landgravius Sueviæ*, A. 788 Gewoldus Comes a Bussen, *Præfectus Sueviæ*, A. 994 Wernherus a Seldenecca, *Advocatus Sueviæ*, A. 1010 Henricus a Weissenhorn, *Advocatus Provinciæ superioris Sueviæ*, A. 1197 Degenhardus ab Hellenstein, *Procurator Imperatoris universalis in Suevia*, A. 1227 Conradus Pincerna a Winterstetten, *Gubernator Sueviæ*, A. 1258 Rudolphus Dux, *Advocatus Terræ in Suevia*, A. 1274 Albertus Comes ab Hohenberg, *Advocatus Terræ in Suevia*, A. 1275 Hugo Comes a Werdenberg, *Landgravius superioris Sueviæ*, A. 1296 Lutherus de Isenburg, *Advocatus provincialis Sueviæ*, A. 1300 Eberhardus Comes de Württemberg, *Præfectus provincialis Sueviæ*, A. 1309 Conradus a Winsberg, A. 1313 Ulricus de Schellenberg, A. 1320 Ulricus Comes de Montfort, A. 1333 Henricus de Schweiningen, *Kaysser Ludwigs und seines Sohns Herzog Steffans Land-Vogt in Obern Schwaben*, A. 1336 Ulricus Comes de Württemberg, A. 1346 Comes a Werdenberg, A. 1347 Jo. Henricus a Struwingerr, *Unssers Herrn dess Kayssers Land-Vogt in Obern Schwaben*, A. 1353 Ulricus Comes de Helffenstein, *superioris Sueviæ Præfectus*, A. 1354 Eberhardus Dapifer de Waldpurg, A. 1355 Ulricus Comes de Helffenstein, A. 1360 Fridericus, Dux Teccensis, *Herzog Rudolphs von Oesterreich Land-Vogt in Schwaben und Elsass*, A. 1362 Rudolphus ab Homburg, *Pfleger dess Heil. Rœm. Reichs in Schwaben*, A. 1366 Joannes Dapifer de Waldpurg, A. 1367 Joannes, Episcopus Brixensis, *Land-Vogt in Schwaben, Türgœw, Ergœw, und Elsass*, A. 1370 Fridericus, Burggravius a Nüremberg, A. 1372 Burcardus Münch a Landscron, A. 1373 Joannes Comes a Lotheim, *Land-Vogt in Obern Schwaben*, A. 1378 Fridericus, Dux Bavariæ, A. 1379 Leopoldus, Dux Austriæ, ejusque nomine Rudolphus Comes ab Hohenburg, *Land-Vogt in Schwaben*, A. 1380 Sigbertus, Landgravius a Leichtenberg, A. 1381 Albertus Comes de Heiligenberg, A. 1384 Conradus Stein a Reichenstein,

ſtein, *Herzog Leopolds zu Oeſterreich Land-Vogt in Schwaben*, A. 1385 Joannes Dapifer a Waldpurg, A. 1386 Wilhelmus Fronberger, *Land-Vogt in Schwaben*, A. 1388 Eberhardus de Freyberg, Eques, A. 1389 Erneſtus, Dux Bavariæ, A. 1391 Wurſeboy a Swynacc, A. 1392 Petrus Loſinger, Eques, A. 1397 Stephanus, Dux Bavariæ, A. 1398 Waltherus a Kœnigseck, A. 1400 Ulricus Comes ab Helffenſtein, A. 1406 Joannes Comes a Werdenberg, A. 1407 Joannes Dapifer de Waldpurg, *deſs Heil. Rœm. Reichs Land-Vogt in Schwaben*, A. 1409 Hermannus Comes a Sulz, *Herzog Friederichs von Oeſterreich Land-Vogt in Schwaben, Ergœw, und Breiſsgœw*, A. 1413 Burcardus de Mannsberg, A. 1414 Rudolphus Comes a Montfort, *deſs Heil. Rœm. Reichs Land-Vogt in Schwaben*, A. 1415 Joannes Dapifer a Waldpurg, A. 1417 Stephanus, Dux Bavariæ, A. 1429 Jacobus & Eberhardus, Dapiferi de Waldpurg, *Land-Vogt in Ober-und Nieder-Schwaben*, A. 1430 Fridericus, Burggravius de Nüremberg, *deſs Heil. Rœm. Reichs Land-Vogt in Obern Schwaben*, A. 1431 Wilhelmus, Dux Bavariæ, *Kœnig Sigmunds und deſs Reichs Land-Vogt in Schwaben*, A. 1433 Eberhardus Dapifer de Waldpurg, A. 1440 Jacobus Dapifer de Waldpurg, *deſs Heil. Rœm. Reichs Land-Vogt in Obern uud Niedern Schwaben*, A. 1446 Georgius Dapifer a Waldpurg, A. 1452 Albertus, Dux Auſtriæ, ejusque nomine Lucas de Landau, Eques, A. 1453 Jacobus Dapifer de Waldpurg, *Herzog Albrechts von Oeſterreich Land-Vogt in Schwaben*, A. 1464 Joannes Dapifer de Waldpurg, *Herzog Sigismunds von Oeſterreich Land-Vogt in Schwaben*, A. 1484 Henricus de Schellenberg, A. 1486 Henricus Horber, *Herzog Sigismunds zu Oeſterreich Verweſser der Landvogtey in Schwaben*, & poſt eum Marquardus de Schellenberg, Eques, A. 1490 Joannes Comes de Sonnenberg, A. 1500 Jacobus a Landau, Eques, A. 1518 Nicolaus Ziegler de Bahr, ejusque nomine Reichart Speth de Sultzburg, A. 1527 Joannes de Fridingen, *Kœnig Ferdinands und Georg Truchſeſſens Land-Vogt in Schwaben*, A. 1544 Georgius Gienger & Joannes Wilhelmus de Laubenberg, A. 1551 Georgius Ylsing, Eques, A. 1581 Maximilia-

nus Baro ab Ylsing, A. 1583 Fridericus Baro ab Ylsing, A. 1589 Christophorus Jacobus Lidl, A. 1597 Georgius Fugger, Baro de Kirchberg & Weissenhorn, A. 1644 Joannes Georgius Comes a Kœnigseck, A. 1679 Antonius Eusebius Comes a Kœnigseck, A. 1692 Franciscus Maximilianus Comes a Kœnigseck, & denique ab A. 1710 modernus Illustrissimus ac Celsissimus Dominus, Carolus Sigfridus Comes de Kœnigseck in Aulendorff, &c. Heros togatus, singulari in literas literatosque amore non minus, quam reliquis virtutibus, quæ tanto muneri conveniunt, coruscus, & proinde immortali laude dignissimus.

D. Anton Balthasar Walthers Juristisch-Historische Betrachtungen über das Leiden und Sterben Jesu Christi, &c.

h. e.

D. ANTONII BALTH. WALTHERI, SERENISsimo Principi Würtembergo-Oelsnensi a Consiliis Regiminis, Meditationes Juridico-historicæ in passionem & mortem Jesu Christi; in quo Opusculo res hujus historiæ notatu digniores, prout a quatuor Evangelistis consignatæ fuerunt, ex Jure & Antiquitatibus, cum Romanis, tum Judaicis, illustrantur. Accedit notitia præliminaris de statu Judæorum politico sub regimine Romanorum, una cum duplici Appendice: 1) de vitiis in hoc processu criminali Pilato partim merito, partim sine causa, objectis, 2) de suppositis Actis judicialibus, huc pertinentibus.

Vratislaviæ & Lipsiæ, apud Danielem Pietsch, 1738, 8.

Alph. 1 plag. 8.

Amplissimus Autor nec ingenium, quod ei politissimum natura dedit, in nobiliori, quam est illud de Servatoris nostri morte, exercere argumento, nec elegantiori libello, quam quem nostris jam versamus manibus, publicum dare specimen doctrinæ suæ, potuit. Non sane crambem hic Lectori bis ac sæpius recoctam apposuit, nec, ex nostra quidem sententia, inter tot viros eruditos, Jureconsultos maxime, qui in illustranda

da Christi patientis historia operam collocarunt, invenietur ullus, qui vel perspicuitate, vel selectæ doctrinæ copia, vel judicii acumine, Præclarissimo Autori anteponendus jure videatur. Atque id ipsum luculentis probabimus exemplis, commonstraturi simul, quantam afferre possit utilitatem hoc Opusculum non studiosis modo Jurisprudentiæ, sed iis etiam, qui sacrarum literarum se profitentur cultores. Promulsidis quasi loco, & antequam ad eum, quem sibi constituerat, scopum accederet Vir laudatissimus, statum Judæorum politicum sub Romanorum imperio strictim carptimque describendum suscepit. Scilicet, cum *Hircanus* & *Aristobulus*, fratres, ex Asmonæorum gente oriundi, post patris *Alexandri Jannæi* obitum de successione in regno Judaico certarent, hæc controversia *Scauro*, qui *Pompeji* præfectus copiis erat, invadendæ Judææ præbebat occasionem. *Aristobulus*, oblata grandi æris summa, efficiebat, ut *Scaurus* ejus faveret consiliis, donec ipse mox *Pompejus* in Judæam veniret, &, splendidissimo munere ab *Aristobulo* frustra ipsi dato, *Hircani* partibus accederet, Hierosolymam templumque occuparet, *Aristobulum* caperet, Pontificatus dignitatem *Hircano* restitueret, urbi tributum imponeret, *Scaurum*que Syriæ pariter ac Judææ præficeret. *Julius Cæsar*, acerrimus quippe *Pompeji* adversarius, *Aristobulum* tuebatur, eumque, duabus tectum legionibus, in Judæam mittebat; at in itinere constitutum veneno interfecerunt *Pompeji* fautores, & filio ejus natu maximo, cui nomen *Alexandri*, *Scipionis* jussu, caput gladio demtum. Alter ejusdem filius, *Antigonus*, Romæ quidem de *Antipatro*, *Herodis M.* parente, qui purpuratorum in *Hircani* aula primarius majus Principe suo imperium sibi arrogaverat, graviter querebatur, sed *Antipater*, ad *Cæsarem* deductus, cicatrices monstrabat suas, & servitia Romanis exhibita tam vivis repræsentabat coloribus, ut augeret *Cæsar* illius potestatem, civisque Romani jura, & Procuratoris in Judæa dignitatem, ei tribueret. Quo facto Romani in Senatusconsulto, a *Josepho Lib. XIV Cap. 16* servato, Judæos amicos suos ac socios declarabant, quod ipsum fundamentum jecit fortunæ, qua deinceps *Herodes* M. eminuit. *Antipater* enim *Cæ-*

 saris

ſaris benevolentiæ, & *Hircani* languori, confiſus, Judaicæ provinciæ regimen inter ſuos diſtribuebat filios, & *Phaſaelum* urbi præficiebat Hieroſolymitanæ, *Herodem* autem, natu minorem filium, in Galilæam ablegabat, ubi, ſumto de *Ezechia*, peſſimo latrone, ſupplicio, populi ſibi favorem conciliavit. Cumque annis ſubſequentibus *Antigonus*, *Ariſtobuli* filius, Parthorum ſuffultus præſidio, occupaſſet templum, & non *Phaſaelum* modo, cui, ut ad gerendum regni ſceptrum inhabilis redderetur, aures abſcindi juſſerat, ſed ipſum etiam *Hircanum*, cepiſſet, *Herodes* commigrabat Romam, & *Ariſtobulo* juniori, *Hircani* filio, ſolium communire ſtudens, præter ſpem ab *Antonio*, qui poſt *Cæſaris* fatum *Caſſium* vicerat, multis ornatus honoribus, regnum ipſe accipiebat. Revertebatur igitur in Judæam, Romanoque exercitu urbem Hieroſolymitanam oppugnabat, tanto ſane ſucceſſu, ut non urbs modo & templum, multo effuſo ſanguine, ſed *Antigonus* quoque, in manus ejus traderetur, quem deinceps *Antonius* Antiochiæ interfecit. Sic, ut Poeta canit, omnia verti cernimus, atque illas gentes aſſumere robur, has concidere. Nullum nunc erat Aſmonæorum imperium, & *Hircanus*, qui *Herodis* parentem in ſummo dignitatis faſtigio collocaverat, qui ipſe antea imperantis fulſerat inſignibus, jam *Herodis* Regis poteſtati erat ſubjectus, & prima in Senatu magno ſede contentus eſſe debebat, quæ tamen lætitia (ſi lætitia potius eſt, quam dolor,) minus ei fuit diuturna, propterea, quod conjurationis cum *Malcho*, Arabe, ſuſpectus, ab *Herode*, aliquot annis poſt, e medio tollebatur. Cum deinceps *Auguſtus*, commiſſo apud Actium prælio, nobilem retuliſſet victoriam, *Herodis* maximi, quippe *Antonii* aſſeclæ, inclinata & prope jacens videbatur fortuna. Sed conferebat ſe Rhodum ad Imperatorem, &, qua erat ingenii calliditate, coram ipſo exhibita *Antonio* pro beneficiis ſuis officia oſtentabat, coronaque ad pedes *Auguſti* demiſſa pollicebatur, eadem ſe in eum fide futurum, ſi hanc ex manibus ejus reciperet. Ejusmodi imperterriti animi, erectæque indolis, ſignis pariter atque egregiis, quæ vincere mortalium pleroſque ſolent, muneribus, & Imperatoris, & totius Romani exercitus, gratiam ac favorem

aucu-

aucupabatur *Herodes*, ita quidem, ut in regni possessione ex voto maneret, & acceptis præter hoc locis, quæ *Cleopatræ* suæ donaverat *Antonius*, Procurator quoque in Syria constitueretur, imo paulo post Arabia, quam dono ei *Augustus* dederat, fines suos extensos conspiceret. Ne vero *Herodes* collectam Romanorum gratiam effunderet temere, incredibilem æris summam erogabat, complures in *Augusti* & *Agrippæ* honorem urbes condebat, eidem dedicabat Cæsaream, quæ Turris ante Stratonica vocabatur, ludisque, ad pompam & magnificentiam quam maxime comparatis, Romanorum imitari consuetudinem studebat, quod ipsum tamen ægre ferebant Judæi, a paganorum moribus alieni. Quo major igitur erat, qua Romani eum complectebantur, benevolentia, eo sane acerbius gentis suæ odium in se derivaverat, partim propter summam in Asmonæorum, & suam ipsius, familiam, infantesque Bethlemiticos, crudelitatem, partim ob sublatam majoris Synedrii potestatem, ac membrorum in eo cædem, quibus accedebant causæ aliæ, quarum jam paulo supra mentionem injecimus. *Herodes* simulata quidem in Judæorum sacra religione, splendidissima templi, bellorum frequentia propemodum destructi, renovatione, manuque, ingravescente annona, liberali & plena, conciliari rursus amorem posse civium, sibi persuaserat, sed nimis altis infixa radicibus hærebat crudelitatis memoria, ansamque conjurationum dabat, donec morbo tandem decederet *Herodes*, tam molesto gravique, ut sibi ipse cultro violentas inferre manus voluisse dicatur. Ex his, de quibus Amplissimus Autor uberiori sermone exposuit, miræ Judaici regni mutationes facile perspici possunt, quæ hæ sunt: primo, quod Romani illud quidem suo subjecerint imperio, hac tamen ratione, ut Judæi socii, amici, & confœderati Quiritium haberentur, tum, quod jura regia ab Asmonæorum gente ad ignobilem Judæisque incognitam familiam fuerint translata, denique, quod Judæis tributi solvendi necessitas a Romanis sit imposita. Adjecit Vir Clarissimus, præter succinctam de filiis *Herodis* M. notitiam, (inter quos *Herodes Antipas*, Tetrarcha, non confundi cum parente suo debet,)

bet,) plures obſervationes, ad hæc pertinentes capita, & notatu digniſſimas, quas vero, inſtituti noſtri non eſt, in medium proferri. Convertimur potius ad ipſas in hiſtoriam patientis Chriſti meditationes elegantiſſimas, profecto, & non mi-
Pag. 46 ſeq. noris utilitatis, quam jucunditatis. *Meditatione IV ad Cap. 26 v. 50 Matth.* duo notat Vir præſtantiſſimus. Dum enim Servator divinus *Judam* amicum ſuum vocat, magnum ipſi honorem habuit, quoniam ejusmodi compellatio non communi tantum ſalutationi, ſed nominibus etiam eorum, ad quos literas exarabant veteres, adjungi ſolebat. Longe illud honorificentius erat, ſi voce hac erga inferiores uterentur ſuperiores, id quod ex multis Imperatorum Reſcriptis patet, in quibus cum Magiſtratus, tum JCtos, quorum ſumma erat in aula autoritas, amicorum nomine inſignitos legimus. Sed & Chriſtus nominatim appellat proditorem ſuum, quod non minus honoris & amicitiæ declarandæ cauſa apud veteres erat receptum. Illi proinde, qui in Romano imperio munera ambiebant publica, hisce blanditiis favorem populi & vota captabant, ſervis eam in rem ſtipati nomenclatoribus, qui in tanta civium multitudine uniuscujusque nomen in aurem dicerent domino. Occurrit quoque ejusmodi conſuetudo in materia hæreditatum, & hæredes cumprimis honorari dicuntur ideo, quod nomen eorum in teſtamento ſit repertum, *l. 3 §. 2 D. de Legat. præſtat. l. 15 D. ad L. Corn. de Falſ.* &c. Filius ſane, in patria conſtitutus poteſtate, vel nominatim hæres ſcribi, vel nominatim exhæredari, debebat. Imo exhæredatio nominatim facta non tam ignominioſa videbatur, quam præteritio, ceu ex *Ulpiano l. 3. pr. D. de Liber. & poſth.* intelligitur. Generatim vero maximi inſtar opprobrii erat præteritio nominis. Argumentum ſuppeditant Cenſores, Senatorum nomina recitantes, qui, ſi quod prætermitterent, non ſolum id exiſtimationis læſio, ſed ſignum quoque certiſſimum, habebatur, non vocatum Senatorem ex ſenatu ejectum, nomenque illius in albo Senatorum deletum plane fuiſſe. Qui delicta commiſerant, eorum ſupprimebantur nomina, nec a quopiam gentis ſuæ amplius gerebantur, cujus moris veſtigia & noſtris

nostris temporibus in perduellionis crimine conspicimus. Quodsi igitur accurate perlustremus patientis Christi historiam, statim observare licet, Pharisæos ex odio & malitia Servatorem rarissime nomine suo, tanquam abominando, appellasse; vid. *Matth. XXVI, 61, 65, 66, Luc. XXIII, 2, 18. Meditatione XI ad* Pag. 79 seq.
Jo. XVIII, 24, leges neglexisse monetur Judæos, 1) quod Christum, ante causam cognitam, & nondum damnatum, vinxerint, cum alias judicem tale quid facere non deceat, nisi adsint indicia proxima, vel reus crimen fassus sit, aut in flagranti delicto fuerit deprehensus, idque non Romanis modo, sed Judaicis etiam, repugnasse Constitutionibus, quippe quæ, dicta demum sententia, in vincula duci reum permiserint; 2) quod vinctus in judicio respondere debuerit Christus, cum & hoc neque cum Romanis, neque Judaicis, legibus conveniat; 3) quod Servator in vinculis fuerit circumactus, qui procedendi modus non sine dedecore fuerit apud Romanos, *l. 10 D. ex quib. caus. major.* Præclara sunt, quæ *Meditatione XIX ad Matth. XXVII, 2,* 112 seq.
de *Pontio Pilato* disseruit doctissimus Autor. Variæ sunt de patria ejus & nomine eruditorum sententiæ, ridiculæ partim, partim a minimo probabilitatis gradu alienæ. *Chytræus*, eum Germanicæ fuisse originis, asseruit, alii Lugduni Batavorum, alii Glogaviæ in Silesia, natum perhibuerunt, si detestabili viro, qui id sine teste ullo affirmavit, *Jo. Stellero* in *Pilato defenso Cap. I* fidem habere velimus; plurimi vero doctorum, patria Romanum fuisse, contendunt. Nomen ejus a matre *Pila*, & patre, *Ato*, compositum esse, inepte somniat *Aureæ Legendæ* Autor, quem licet scriptorem nominatus modo *Stellerus* cum *Ludovico Vive* ferrei oris, & æneæ frontis, hominem dicat, ipse tamen non minus explodi meretur, dum *Pilati* nomen a pilo, quod armorum apud Romanos genus erat, deducit. *Tiberius* Imperator eum Procuratorem, seu, ut alii volunt, Præsidem, in Judæa constituerat, ubi vero multas excitavit turbas, de quibus *Josephus de Bell. Jud. II, 8,* & *Antiqu. Jud. XVIII, 4,* evolvi potest. *Philo de Legat. ad Cajum pag. 1034* eum hominem iracundum & ancipitem animi appellat, eidemque objicit venditatas sententias, rapinas, injurias, clades, tor-

menta, crebras cædes indemnatorum, & crudelitatem sævissimam. Quem habuerit *Pilatus* vitæ exitum, tantum sane abest, ut expeditum sit, ut multis commaculata fabulis universa hæc legatur historia. *Joannes Antiochenus* in *Excerptis Peirescianis pag. 809* commemorat, *Pilatum, Hannam, & Caipham, Neronis* jussu, Romam concessisse, ut de Christo capitis damnato sese defenderent, quo facto dimissum quidem ab Imperatore *Hannam* & *Caipham* sine pœna, *Pilatum* vero in carcerem conjectum, & gladii deinceps affectum supplicio, eam plane ob causam, quod Christum, virum magnum & celebrem, inscio *Nerone*, interficiendum tradiderit. Sed confutavit hanc narrationem *Bœclerus* in *Histor. universali IV primor. Secul. pag. 9.* Alii, quod ad sacra Christianorum transierit, martyrium passum esse *Pilatum*, sibi persuaserunt, quæ fabula natales debet suos Christiano ejusdem nominis Coptico. Plurimi opinantur, *Pilatum* a *Caligula* in exilium missum, in quo, peractis duobus annis, ipse sibi mortem intulerit. Quæ ejus in Judæa fuerit dignitas, non minus disceptatur. *Lactantii* sententia, quod Legati instar Syriam rexerit, arrisit paucissimis. Procuratorem fuisse, non uno argumento probant celeberrimi JCti, *Jac. Cujacius, Ge. Frantzkius, & Christ. Thomasius.* Ab his omnibus, aliis innixi rationibus, longissime recedunt *Jo. Robertus*, & *Ge. Casp. Kirchmaierus*, qui Vitembergæ quondam *de Pontio Pilato* Dissertationem ventilavit, cum pluribus aliis, qui *Pilatum* Præsidem Provinciæ faciunt. In tanto dissentientium numero Amplis. Autor, pensitato argumentorum pondere, nec ordinarium Provinciæ Præsidem, nec solum Procuratorem, vocat *Pilatum*, sed eum potius Procuratorem fuisse Syriæ, & in Judæa Procuratoris cum Præsidis potestate conjunctum gessisse munus, existimat, idque infra
Pag. 158 seq. *pag. 279* uberiori sermone evincit. *Meditatione XXV ad Jo. XVIII, 31*, de jurisdictione Judæorum, tempore Servatoris, cruci affixi, docte exponitur. *Augustinus, Baronius, Goodwinus*, aliique, affirmant, habuisse quidem Judæos superiorem, quam vocant, jurisdictionem, sed tum, instante Paschatos festo, (cujus etiam causa in locum juri dicundo destinatum non abie-

abierunt,) uti eadem haud potuisse. Quid vero? Nonne, monente id Autore Clarissimo, Judæi sine exceptione ulla fatentur: *nobis hominis interficiendi potestas non competit.* Et sane, si merum iis concessum fuisset imperium, sine dubio vel longe ante festum, vel peracto demum eodem, Processum hunc Criminalem instituissent, ne per traditionem Christi in *Pilati* manus suo renuntiare juri viderentur. Quid? quod Judæorum ipsi quidam scriptores, *Zach. Hubero* teste, disertis referant verbis, blasphemiæ reos, cujus & Christus accusatus, festo Paschatos ultimo affectos esse supplicio, ut eo major hominum turba conflueret. Plane singularis est *Edmundi Merillii* in *Notis ad h. l.* conjectura, vocem ἀποκτεῖναι de cruce tantum esse intelligendam, qua significare voluisse putat Judæos, Christum jam dudum mortis suæ genus indicasse, sed, cum alia in blasphemiam pœna apud eos sit statuta, crucis supplicium de eo sumi non posse, quanquam alias jure gladii non sint destituti. Verum enim vero tanti momenti rationes opposuit Autor, ut ipsum forte *Merillium*, si in eruditorum redire posset rempublicam, jam suæ pœniteret sententiæ. Aliter judicat *Jac. Gutherius* in egregio *de Officiis Augustæ Domus* opere, & Judæorum mentem ita interpretatur: Nos interficere debemus neminem, præsente *Pilato*, Provinciæ Procuratore, & Christo, præter blasphemiam, læsæ quoque majestatis criminis postulato. Nec id vero placet Amplissimo *Walthero*, qui concedit quidem, Judæis eam ob causam, quod *Pilatus* summum habuerit imperium, nullam, ad mortem damnandi quemquam, potestatem fuisse; sed, absente Procuratore superiorem iis competiisse jurisdictionem, ex Jure Romanorum publico recte negat. Quodsi enim, inquit, hæc ad neminem pertineat, nisi lege, vel constitutione speciali sit concessa, *l. 1 D. de Offic. ejus, cui mandata jurisd.* quo titulo Judæi, vel absente, vel mortuo, Procuratore, tantum sibi sine lege, sine constitutione ulla, sumere potuissent? Præter mortis autem casum Jure Romano nullum existere monstrat alium, ex quo probari queat, tam diu absuisse a provincia Procuratorem, ut Senatus interea Municipalis criminale constituerit judicium. Pro-

curator enim sub pœna Legis Juliæ Majestatis integra nocte abesse vetabatur, *l. 15 D. de Offic. Præf. Nov. 95*, nec ei ex provincia recedere licebat, donec advenisset successor, *l. 12 D. de Offic. Proconf. l. 12 D. de Offic. Præf. Aug.* Tum ad nonnulla *Gutberii* argumenta respondet Autor, & succincte opponit alia, quæ sententiæ ejus, sub Procuratorum regimine nihil superfuisse meri imperii Judæis, fidem roburque concilient. In promtu nobis erant plura elegantiora docti libelli capita: de candida Christi veste; de ritu Judæorum, dimittendi reos festo Paschatos; de ortu & progressu Constitutionis Romanæ, quæ uxores habere secum, vel intervisere, Magistratibus provincialibus non permisit; de more lavandi manus, innocentiæ signo; de cruribus mortuorum delinquentium suffringi solitis; & de quæstionibus illis: an crucis supplicium apud Judæos fuerit usitatum, & quo jure *Pilatus* Christum sepeliri passus sit; sed, ne in amplum nimis excurramus campum, præstat, de his omnibus tacere, quam pauca dicere. Satis ex his speciminibus cognoscitur doctrina Autoris Præclarissimi, quem in posterum aliis quoque ejusdem pretii scriptis hos nostros Annales esse ornaturum, non tam speramus, quam plane confidimus.

D. JOANNIS ERNESTI HEBENSTREIT, ANAT. & Chir. in Acad. Lipf. Prof. Publ. Ord. Acad. Imp. Natur. Curiof. Sodalis, de Usu partium Carmen, seu Physiologia metrica, ad modum Titi Lucretii Cari, in gratiam Auditorum, concinnata.

Lipsiæ, apud Jo. Christian. Langenhemium, 1739, 8 maj.
Plag. 8.

Etiam nostra ætate fuerunt docti quidam homines, qui, ad exponendas disciplinas liberales perperam adhiberi Poesin, ipsumque adeo *Lucretium* probabilem futurum fuisse Physicum, modo non carmine philosophatus esset, aut vicissim, modo non de natura rerum disputasset, versus componendi gloria non parum praestiturum fuisse, sibi persuaderent. At hi ipsi tum aliis veteris recentiorisque ævi exemplis, tum ipsa hac,

hac, quam nunc collaudandam suscepimus, Cel. *Hebenstreitii*, Collegæ nostri omnium amore dignissimi, Physiologia metrica, satis refelluntur, qua omnem de usu partium corporis humani doctrinam tam apte, clare, & concinne, versibus hexametris edisserit, simul vero tam scite ad artis poeticæ leges exigit, & tam pulchre ingenii luminibus distinguit, ut lectio libelli maximam animi voluptatem afferat. Meminerint tantum illi, aliud atque aliud carminis genus aliis atque aliis ornamentis opus habere, nec, quæ epico carmini conveniunt, in carmen dogmaticum cadere, aut, quæ Oden commendant, Satyram quoque decere. *Lucretium*, quod vel ex libelli inscriptione patet, imitatur Cel. *Hebenstreitius*, sed re vera superat, non rerum tantum præstantia, & scientiæ naturalis divitiis, sed ipsius quoque carminis pulchritudine, quod cum omnibus aliis veterum, de simili argumento compositis, ordine, perspicuitate, facilitate, elegantia, decore, suavitate, & concinnitate, cunctisque illis ornamentis, quæ artis poeticæ præceptiones requirunt, facile certat. Ita vero Cel. Autor in toto Opere procedit, ut cum partes ipsas accurate describat, tum earum functiones docte explanet, interdum quoque, ubi notabili dissensu inter se doctores hujus scientiæ divelluntur, varias sententias in medium adducat. Et idoneus admodum prælectionibus Academicis videtur hic libellus, ut singula fusiori sermone deduci, explicari, rationibusque & experimentis confirmari, queant. Opus suum præstantissimus Autor in *Capita* distinxit, singulorumque *Capitum* versus numeravit, locos παραλλήλȣς ex *Lucretio* præcipue, interdum quoque ex aliis Poetis Latinis, textui subjecit, atque in calce demum Indicem rerum præcipuarum instruxit. Initio Carminis, quod *de Physiologia in genere* agit, totam velut ejus summam exponit, & omne argumentum, de quo dicere instituit, complectitur. Hinc *Capite I, de ortu humano*, ad conceptionem, nutritionem, partumque fœtus describendum convertitur. *Cap. II, de homine nato*, ea, quæ infanti post partum accidunt, lactationem, item nutritionem, & incrementa, exponit, dataque hac occasione varias variarum ætatum mutationes vicissitudinesque naturales describit. *Cap. III, de*

actione organorum in alimenta, sitim, famem, masticationem, deglutitionem, actionem ventriculi in alimenta, functionem pancreatis, hepatis, lienis, omenti, intestinorum, transitum chyli per vasa lactea, & ductum thoracicum ad sanguinem, excretionemque fecum alvinarum, explicat. *Cap. IV circuitum sanguinis, actionemque cordis, Cap. V actionem pulmonum*, atque hinc omnem respirationis rationem, explanat. *Cap. VI, de circuitu sanguinis*, mirificam vasorum sanguiferorum structuram, & per omne corpus distributionem, sanguinisque in illis ad quascunque, minimas etiam, corporis partes itum reditumque, neque minus cruoris ex chylo ortum, quem sanguificationem vocant, vasa etiam lymphatica, & omnem nutritionis rationem, evolvit. *Cap. VII, de actione cerebri & nervorum*, tum has partes, earumque usum, tum fluidum nerveum, vasa lymphatica, glandulas, eorumque omnium officia, pertractat. *Cap. VIII, de secretione humorum*, præcipue de sanguinis menstrui, urinæ, transspiratione, & sudore, disquirit. *Cap. IX, de operatione mentis*, quinque sensus externos decantat. *Cap. X, de sensibus internis*, vires facultatesque mentis, quatuor temperamenta, animi affectus, eorumque indicia externa, & loquelam, persequitur. *Capite* demum *XI de motu*, eademque occasione de ossibus generatim, & de his, quæ nondum alio loco descripta fuerant, speciatim, posthæc de motu in genere, & de iis musculis in specie, quorum non antea facta erat mentio, ad extremum de somno, exponit. Quæ superius de carminis pulchritudine diximus, ea vel ex aliqua ejus parte satis intelligentur, ut exinde facilius de toto Opere existimare possint Lectores. Dabimus itaque, nullo selectu habito, ea ex doctrina de visu speciminis loco, quæ ad tunicas humoresque oculi, & ipsam visionis rationem, pertinent:

CAP. IX pag. 98 seq.

Tendo tenet bulbum, circumque locatur eundem,
Hinc albugineæ tunicæ celebratur origo.
Densa subest illi sclerotica, cornea dicta,
Anteriore loco, quo pellucente foramen
Effingit tunica; subtensa Ruyschia bulbum
Succingit, choroides ei subtenditur, illa

Pupil-

Pupillam facit & fibris fit mobilis iris.
Hæc radios lucis patefacta foramine quodam
Accipit, atque ligamento, ciliare vocato,
Efficit, ut lenti coalescat vitreus humor.
Mobilis est iris, quæ fulgida lumina motu
Dirigit, & strictam pupillam tendine fulcit
Et reserat, lucis fuerit si parcior usus,
Uvea quam circum choroidis germina flectit.
Circulus est illi quidam de tendine factus,
Ex vasis alius. Choroidis denique quædam
Lamina pigmento spissa nigredine tincto
Circumducta subest; bulbo facit illa colores.
Retina subsequitur, qua vitreus humor ubique
Cingitur; hanc præstant tenuissima nervea vasa.
Humor inest oculo varius, tunicisque tenetur.
Est aqueus quidam meliori sanguine natus,
Fomite perpetuo stillans, quem parvula vasa
In cameras plorant oculi, bulbumque rotundum
Efficiunt, lentemque rigant; his iris in undis
Fluctuat, hæ veniunt propriis ex fontibus intus.
Uvea perpetuos latices e sanguine stillat,
Diversisque viis repetit; circumfluus humor
Surgit, & absorptus per vasa renascitur idem,
Fitque novus; nam circuitum celebrare putatur.
Lens fluor est clausus crystallina, limpida vasa
Intertexta sibi tenet; hæc, plenissima luce,
Corpore convexo coeunt, crystallina theca
Includit lentem, quam vitreus excipit humor,
Amplexuque fovet. Claris pellucidus undis
Vitreus efficitur circumductaque locatus
Membrana, vasis unus fit millibus humor.
Exit ab objecto rebus conformis imago,
Seu propriam fundant rutilantia corpora lucem,
Sive superficiem peregrini luminis usus
Depingat radiis, faciatve reflexa colores
Lux oculis veros alios & imaginis umbra

Præ-

Prægnantes, alios simulato lumine falsos,
Quales iris habet vel pennis picta palumbes.
His a corporibus missos pellucidus aer
Diffundit late, qua cornea pervia lucem
Suscipit, & triplices, pupillæ ductilis usu,
Humores oculi radiis lucentibus implet.
Retina, nervifluis vasis & sanguine turgens,
Distinctis rerum formis depingitur intus,
Inde tremit, cerebroque facit de lumine sensum,
Corpora mensuris, numeris propiusve proculve
Stantia designat, desiderat inde vel odit
Res animus, formans visis meditamina rebus.

ELEMENS DES MATHEMATIQUES, &c.
h. e.

ELEMENTA MATHESEOS, QUÆ CONTINENT Geometriæ, Arithmeticæ, Algebræ, & Analyseos, rudimenta; Autore P. DUCLOS, *Soc. Jes. Math. Profess. in Collegio Lugdunensi, & Academiæ Artium Socio.*

Lugduni, apud Claudium Perrot, 1737, 8.
Alph. 1 plag. 4, Tabb. æn. 5.

Quæ ætatis nostræ felicitas est, an infelicitas, nihil hodie Elementis Mathematicis frequentius. Unus enim quisque fere, cui Matheseos docendæ provincia demandata est, profectibus Auditorum suorum egregie consultum iri existimat, si ab *Euclidæa* prolixitate abstrahantur, medulla tamen Geometriæ, cum Analyseos vel Algebræ principiis conjuncta, ipsis exhibeatur, quam fieri possit brevissime, methodoque maxime naturali. Cumque plures jam viri præstantes ejusmodi Epitomas in lucem emiserint; sæpiuscule tamen accidit, ut alii pro genio Auditorum suorum rem adhuc melius confici posse sibi persuadeant, novaque eorum usibus Elementa accommodent. Ea quoque causa fuit, cur Rev. Autor hæc sua Elementa publicare in animum induxerit, in quibus, ut verum fateamur,

mur, nec ordinem, nec claritatem, desideres. Nullique dubitamus, ex eorum lectione eos intra breve temporis spatium plurimum profecturos, qui ad Mathesin accedunt, incensumque iri ad altiora investiganda. Exhibentur hic scilicet principia Geometriæ, & cum demonstrationum brevitate talis rigor conjungitur, qualem quidem ferre possunt discentes. Arithmetica speciosa cum numerosa connectitur, uti fieri oportet. In Algebra, quicquid ad tractandas æquationes spectat, enucleatur, & illustratur. Ultra æquationes tamen secundi gradus non adscenditur. Problemata Geometrica, per Analysin hodiernam soluta, comparent, elicitis quoque eorum constructionibus ex calculo analytico. Quæ cum ita sint, nullum est dubium, quin hæc Elementa inter ea, quæ sunt melioris notæ, connumerari possint. Ne tamen *Euclides* ipse ex memoria Auditorum suorum deleatur, (id quod sæpissime accidere intelligimus, ex quo Elementorum conscribendorum mos invaluit,) in margine annotavit Autor, quæ propositiones *Euclideæ* suis respondeant.

CHRISTIANI BREITHAUPTI, PROF. LOG. ET Metaphys. Publ. Ord. Ars decifratoria, sive scientia occultas scripturas solvendi & legendi. Præmissa est Disquisitio historica, de variis modis occulte scribendi, tam apud veteres, quam recentiores, usitatis.

Helmstadii, apud Christ. Frider. Weygand, 1737, 8.
Plag. 13.

Qui Commentationem præsentem, ante decem hos annos a doctissimo Autore promissam, avide exspectarunt, horum spei nunc tandem, ea in lucem edita, egregiisque ejus dotibus, docendi fide, perspicuitate, ordine, & dictionis elegantia, satis esse factum, nulli plane dubitamus. Quamvis enim multa ipsum ab hoc labore absterrere valuissent, tum quod huc usque non solum juvenes splendido loco natos, sed viros etiam in amplissimis jam dignitatibus constitutos, intra sindonem in hac arte non sine magno lucro instituit, quo se post publicatum artificium cariturum

esse, facile videt, tum quod illi, qui hæc quondam edocti fuerunt, viliori nunc pretio absconditam ante scientiam omnibus propalari, ægrius aliquantum ferent; movit tamen eum ad edendum Opus ipsorum quorundam auditorum incuria, qui, promissam silentii fidem non servantes, quælibet, quæ sub conditione taciturnitatis iis tradita ad describendum fuerunt, ita inter familiares suos disseminarunt, ut nunc præcepta Autoris tanquam schedæ dissolutæ huc atque illuc circumvolitent, & timere ipse habeat, ne, si manum huic rei admovere porro cesset, reperiatur alius, qui observationes eas in publicam lucem producat. Accedebat & hoc, quod, cum non omnia, quæ hoc Opusculo continentur, ex se nata esse, sed plurima ejusmodi Autoribus, quorum opera aut plane nondum impressa fuerunt, aut exempla non amplius exstant, aut difficulter habentur, deberi, agnosceret, licet ea, magno & indefesso studio collecta, in meliorem ordinem redegerit, invidi atque inhumani animi esse putarit, ea pro rebus abstrusissimis & nemini cognitis venditare, atque occultatione morosa scrutatores rerum curiosarum ab earum cognitione prohibere. Sistit vero in præsenti velut quoddam tantum specimen artis decifratoriæ, qua illud occultarum scripturarum genus, quod vel per commutationem literarum vulgaris formæ, vel literas diversæ admodum ac novæ figuræ, quales sunt characteres arithmetici, chemici, astronomici, & id genus alii, scriptum fuit, solvi intelligique possit. Restant vero innumerabiles occulte scribendi modi, nulli arti, nullique ingenii humani solertiæ, pervii, nec a quopiam nisi clavis artificii conscio solubiles, quos si quis artis decifratoriæ beneficio enodare omnes atque explicare sustineret, næ is vanam atque irritam suscepturus esset operam. Quamvis & illud Cl. Autor contendat, inter mille occulte scribendi modos, quibus dissolvendis neminem fore parem nostra ætate creditur, vix unum vel alterum ejus generis occurrere, id quod exemplis aliquot declarat. Primo igitur loco exstat Disquisitio historica atque critica, de variis modis occulte scribendi, tam apud veteres, quam recentiores, usitatis, olim jam edita, de cujus & nos argumento videamus.

mus. Quamvis origo literarum & ſcribendi, ratione & auto- §. 1.
ris & temporis, ignoretur, inventis tamen literis in hoc etiam omni cura elaboratum fuit, ut occultum quoddam ſcripturæ genus, ſublimioribus doctrinæ capitibus, aut aliis quibusvis arcanis celandis, idoneum, excogitaretur. Qui labor tam felici- 2.
ter etiam ceſſit, ut omnis fere ævi memoria teſtetur, pleriſque gentibus peculiares ſuos deſcribendi modos fuiſſe. Ex antiquioribus magna & præcipua hanc ob cauſam Ægyptiorum eſt celebritas. Primus illorum occulte ſcribendi modus, partim ex certis ſententiis & argutis ſymbolis, partim ex hiſtoricis fictionibus, ſecretiori docendi methodo accommodatis, alter partim ex vulgaribus literis, partim ex ſymbolicis, compoſitus erat. Tertium vero occultarum literarum genus vocabatur ſacrum, quo ſublimia quævis de Deo, ſpiritibus, mundo, homine, aliisque naturæ ſecretis, myſteria, ſymbolis expreſſa, obeliſcis, pyramidibus, templorum valvis, exedris, aris, tabulis, ad illa æternitati commendanda, inſculpebant, unde poſtea hieroglyphicorum nomen acceperunt. Quæ hieroglyphica ſcriptura duplex erat, altera κυριολογικὴ, quando quælibet res propria imagine exprimebatur, altera συμβολικὴ, quando ſimilium imagine mentis cogitata adumbrabant, quæ poſterior huc potiſſimum pertinet. Ab Ægyptiis ad omnes to- 3.
tius fere orbis populos hæc per ſymbola mentem occultandi ratio, ſi *Clementi Alexandrino* fides eſt habenda, dimanavit. Veteres Judæos ſymbolis impenſe fuiſſe deditos, ex *Philone* atque Cabala confirmatur, multaque etiam Alphabeti ſecretioris atque ſcripturæ occultioris veſtigia hinc inde exſtant. Apud 4.
Græcos duo illi celeberrimi Philoſophi, *Pythagoras*, cujus adhuc celebrantur ſymbola, atque *Plato*, omnium primi, literaturam hieroglyphicam ex Ægypto in Græciam intulerunt. Habebant & Græci ſuos ταχυγράφους, & σημειογράφους, quorum erat, præter ſcribendi compendium, res etiam ſcribendas ignotis characteribus involvere. Frequenti apud Lacones in uſu erat Scytala illa, cujus rationem tantum non omnes poſtea probaverunt, ut de aliis apud Græcos occulte ſcribendi modis taceamus. Romanis non ante ea ars cognita fuiſſe videtur, quam 5.

Tiro, *Ciceronis* libertus, ipso *Tullio* autore, notas quasdam ταχυγραφίας potissimum causa primum adhiberet, quarum numerus ultra quinquaginta fere millia augebatur, ut in literatas ea & illiteratas dividerentur, &, qui iis utebantur, hinc notarii cognominarentur. Habuerunt & *Julius Cæsar* atque *Au-*
§. 6. *gustus* suas occulte scribendi rationes. Imo & veteres Christiani suos habuerunt notarios, quorum etsi præcipuum munus erat, Episcoporum, reliquorumque doctorum, conciones, vel alios sermones, calamo excipere, minime tamen dubitat Noster, quin illorum etiam opera ad negotia gravioris momenti occultanda, ne profanis mentibus innotescerent, adhibita fuerit. Imo exemplum Steganographiæ ipsi esse videntur obscurissimæ illæ atque horrisonæ prorsus veterum *Basilidianorum* voces, de quarum arcano sensu ne hodie quidem inter eruditos convenit. Saltem decantatissimum illud *Abracadabra* non ex meris tantum literis, nihil significantibus, constare, sed integras voces arcanum quendam sensum, quicunque is fuerit, in se continere,
7. arbitratur. Apud Germanos veteres, ut refert *Tacitus*, surculis ad edendas sortes amputatis, certæ quædam notæ, quibus a se invicem distinguerentur, fuerunt inscriptæ, & deinde soli sacerdotes, hoc est, nostro loquendi more, eruditi, & patresfamilias, scientiam illas interpretandi habuerunt. Ex quibus Noster concludit, notas has non vulgares fuisse literas, sed peculiare quoddam obscurissimorum signorum genus, ad res gravioris momenti occultandas accommodatum. *Carolum* quo-
*que *Magnum* studium cryptographicum in deliciis habuisse, multumque in eo consumsisse temporis, multi, & inprimis *Tritbemius*, memorant. In *Otfrido* tamen, Monacho Weissenburgensi, ad quem *Tritbemius* provocat, nihil ejus rei Autor
8. invenit. Normanni etiam, a literarum studiis ceteroquin alieni, impetu in Galliam facto, Gallorum vero viribus nondum adeo prostratis, ut inter hos sine metu secure vivere liceret, clandestinis literis, ne consilia sua proderentur, inter se agere cœperunt, Græcis literis loco Latinarum usi, sed non ita, ut eadem litera Græca Latinæ responderet, sed alio singulari modo,
9. pluribus hic indicato. Cimbri atque Dani literas invenerunt Runi-

Runicas, quæ mysticæ etiam atque occultæ appellantur. Post Caroli M. tempora inter Germanos *Rudolphus* Imperator singulare arcanum, occulte scribendi, excogitasse fertur. Neque Scholastici etiam cryptographiæ ignari prorsus fuisse videntur, quod ex ipsorum *Barbara*, *Celarent*, &c. patet. Omnibus vero, qui ex Germanis inde a *Carolo M.* de studiis Steganographicis præclare meruerunt, palmam fecisse dubiam videtur *Jo. Trithemius*, qui se genio quodam ad eam rem suscipiendam excitatum fuisse asseverat, duoque Opera condidit, Steganographiam nempe, septem Libris constantem, quorum quatuor priores, mirificis artibus, secundum pollicitationes ipsius Autoris, in quadam ad *Joannem Bostium*, Ordinis Carmelitani Monachum epistola, referti, temporum injuria perierunt, reliqui vero tres hodieque superfunt, nihil aliud, quam varios & diversos occulte scribendi modos, continentes; & Polygraphiam, in sex Libros minores divisam, cujus argumentum a Steganographia non est diversum, sed alio tantum ordine tractatum. *Trithemius*, pro genio illius Seculi, ob hæc, quæ jactitabat, mysteria, præcipue, quod, ad ea magis obscuranda, variis spirituum ac dæmonum nominibus usus esset, non solum ipse apud multos magiæ suspicionem incurrit, sed αὐτογράφῳ etiam librorum Steganographiæ id accidit, ut jussu Electoris Palatini *Friderici* II flammis addiceretur. Ipse autem nefandi hujus sceleris suspicionem gravissima detestatione a se amolitur, tum vero alios habuit famæ suæ vindices, & *Gustavum* præcipue *Selenum*, qui hanc labem a nomine *Trithemiano* absterserunt. Recentiori ætate quidam *Trithemium* emendarunt, atque obscure ab ipso dicta illustrarunt, inter quos principatum merito tenet *Gustavus Selenus*, sive Sereniss. Dux Brunsvicensis & Luneburgensis, *Augustus*, in Cryptographia sua, sub initium Seculi proxime elapsi typis exscripta, quæ novem Libris constat, & ungues admorsos sapit. Alii meliora artificia, saltem *Trithemianis* non inferiora, reperire laborarunt, ex quibus *Cardanus* abjectissime de *Trithemio* judicat, quæ vero ab ipso excogitata essent, reliquis omnibus longissime anteire, sibi ex arroganti & stulto fastu persuasit, variasque Cryptographiæ ratio- §. 10.

tiones propoſuit, ſed vel jejunas, frigidasque, & ineptas, vel
adeo obſcuras, ut nemo eas intellectu & mentis acumine aſſe-
§. 13. quatur. Poſthæc *Athanaſius Kircherus*, ſuaſu inprimis Illuſtriſſ.
Comitis *de Martiniz* eo tempore Proregis Regni Bohemiæ,
magnique literatorum Mæcenatis, in id incubuit, ut arcana il-
la, quæ *Trithemius* in Epiſtola ad *Joannem Boſtium* pollicita-
tus quidem erat, ſed, ſiniſtra metuens eruditorum judicia, ipſe
etiam ſuppreſſerat, perveſtigaret atque detegeret, quibus arti-
ficiis inventis & ipſe *Caſpar Schottus* mirum quantum gloria-
14. tur. Denique & hic ipſe & *Caſpar Schottus* in Magia crypto-
graphica, *Jo. Baptiſta Porta* in Magia naturali, *Daniel Swen-
terus*, ſub ficto nomine *Jani Herculis de Sunde*, in Steganologia
& Steganographia nova, & *Joannes Balthaſar Friderici* in Cry-
ptographia, artem hanc magis amplificare contenderunt.
Anglorum Cryptographiam Noſter non attingit, quoniam ho-
rum libri ipſi non ad manus fuerunt. Abſoluta igitur Cry-
ptographiæ hiſtoria, ad ipſam denique, quam hoc Opuſculo pan-
dere & explicare inſtituit, artem decifratoriam progreditur,
CAP. I ita, ut *Cap. I* originem, fata, & præcipuos ejus cultores, com-
§. 1. memoret. Artis autem decifratoriæ nomine intelligit ſcien-
tiam, quæ rationem, ſcripturam occultam, ſive abſtruſis chara-
cteribus, ſive cifris, aliisque obſcuris ſignis, involuta fuerit, vel
quodcunque aliud antiquum monumentum, perobſcuris & ob-
ſoletis literarum ductibus refertum, ſolvendi legendique expli-
2. cat. Quamvis autem nonnulli artis hujus inventæ gloriam ad
Prophetam *Danielem* tanquam primum autorem referunt,
quod ſolus ille reconditæ ſcripturæ, qua Deus Babyloniorum
Regi *Belſazari* interitum prænuntiavit, legendæ interpretan-
dæque par fuerit; temere tamen hoc artis præceptis effectum
eſſe dicitur, cum potius vates, divino colluſtratus lumine, id ope
immediatæ cujusdam revelationis præſtitiſſe videatur. Lon-
gius autem illorum Criticorum procedit audacia ſeu temeritas,
qui figuras ipſas literarum determinare e ſacris literis conantur.
3. In Ægyptiorum, Græcorum, Romanorumque, hiſtoria vix ar-
4. tis ejus veſtigia exſtant. Medio etiam ævo prorſus ignota &
5. neglecta fuiſſe videtur. Recentiori autem ætate a celeberrimis
viris

viris magis exculta fuit, & ab iis ipsis præcipue, qui & Cryptographiæ operam aliquam navarunt, ex quibus inter Germanos nominatim hic *Daniel Swenterus*, *Caspar Schottus*, *Gustavus Selenus*, *Athanasius Kircherus*, *Ludovicus Henricus Hillerus*, & *Ludov. Ernestus Neuburgius*, cujus eximiam in hac arte peritiam Epistola Rev. Abbatis Loccumensis, *Bœhmeri*, in fine hujus Opusculi subnexa, pluribus prædicat, inter Anglos *Joannes Wallisius*, inter Italos *Anton. Maria Caspi*, & demum novissime inter Germanos *Nic. Seelanderus*, & Medicus quidam adhuc ignotus, laudantur. Mancam tamen & imperfectam esse hanc Historiæ literariæ particulam, Noster fatetur, quod ars ea a majoribus tam parum exculta, neque ejus utilitas perspecta fuerit. *Cap. II* requisita ad artem decifratoriam feliciter exercendam necessaria generatim proponit, ubi quidem ingenium ad hoc negotium idoneum, linguarum, inprimis Grammaticæ, notitiam, patientiamque, postulat, ac præterea in conditionem, nomen, & mores scriptoris, aliasque circumstantias, diligenter inquirendum, nec minus temporis rationem habendam, scripturæ autem nimis brevi operam nulla ratione dandam, regulas quoque non separatim, sed omnes simul & conjunctim, sumendas, & denique exercitationis assiduitatem adjungendam esse, inculcat. *Caput III* de fundamentis & regulis ejus artis agit, & scripturam occultam investigaturo ad duo potissimum monet attendendum esse, literarum scilicet frequentiam, & illarum, quem inter se habent, nexum, & ratione frequentiæ quidem in omnibus linguis frequentiores esse vocales consonantibus; ratione nexus autem generatim geminatas esse consonantes, quas præcedat vocalis & sequatur, paucis exceptis, in quibus res aliter se habeat. Quibus præmissis, singulares quasdam regulas de linguis hodieque usitatis, nimirum Germanica, Latina, Italica, Hispanica, Gallica, Anglicana, denique & Græca, exponit. Criteria autem, ex quibus, scripturam aliquam lingua Germanica consignatam esse, dignosci queat, constituit 1) raritatem vocum, quæ ex una litera constant, 2) frequentiam geminatarum, præcipue in fine vocum, 3) frequentem recursum τȣ̃ *e* in vocibus prolixioribus, & denique 4) viginti quatuor di-

§. 6. 7. 8, 9. 10. 11. 12. CAP. II §. 2, 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. CAP. III. §. 1. 2. 3. 4-10. 12-17. 19-21. 23-39. 41-43. 11.

versas

§. 18. versos characteres. Inter criteria Latinæ linguæ refert 1) raritatem duplicatarum, 2) frequentiam vocum, tres literas tantum habentium, & 3) viginti duo diversa alphabeti signa.
22. Criteriis linguæ Italicæ assignat 1) nimiam duplicatarum frequentiam, 2) longiora vocabula, 3) viginti diversas alphabeti
29. notas. Linguæ Hispanicæ criteria esse dicuntur 1) voces prolixiores, 2) copia duplicatarum literarum mediocris, 3) vigin-
34. ti sex diversa alphabeti signa. Inter criteria linguæ Gallicæ numerantur 1) frequentia vocum, quæ unam, duas, tres, vel quatuor, habent literas, 2) *e* frequenter finale, 3) viginti tres di-
40. versi characteres. Linguæ Anglicanæ criteriis adscribuntur 1) viginti quatuor diversi characteres, 2) finales duplicatæ, 3) paucitas vocum, quæ ex una tantum litera constant. Linguæ
41. Græcæ criteria ponuntur in frequentia trium aut quatuor vocalium, in una voce se immediate sequentium, 2) in multitudine vocum, unam, duas, vel tres, literas tantum habentium, &
CAP. IV. 3) viginti quatuor diversis literarum figuris. *Capite IV* mo-
§. 1. dum occultam scripturam investigandi solvendique docturus, proposito ejusmodi scripturæ exemplo, per singulas partes de-
2. clarat, qua ratione lingua, in qua consignata fuerit, investigari,
4. quo pacto vocales detegi, qua ratione consonantes perquiri,
CAP. V. & quæ alia observari, debeant. *Capite* denique *V* de usu hujus
§. 1. artis diplomatico & critico exponit, qui etsi nostra ætate ob nimis perplexam occulte scribendi rationem, nunc usitatam, quodammodo cessare videatur, multa tamen ab hac arte
2. supersunt commoda, in historicis monumentis, medii inprimis ævi, recte intelligendis atque illustrandis. Exempli loco hic ex Codice pervetusto Bibliothecæ Augustissimi Imperatoris perobscura & perplexa scriptura repetitur, quam *Lambecius* nulla ratione intelligere potuit, Noster autem explanat; neque minus initium Diplomatis Imperatoris *Henrici III*, &
3. Bullæ item papalis *Sixti II*, P. R. cujus utriusque literæ majusculæ fere omnes, qua figuram, sibi similes esse videntur, verus ta-
4. men sensus a Nostro eruitur. Denique proponit quæstionem, beneficione artis decifratoriæ lingua etiam prorsus ignota & peregrina legi ac detegi queat, idque negotium sibi non plane videri

videri ἀδύνατον respondet, modo lingua hæc ignota cum linguis jam notis multa habeat communia. Ad extremum, exercitationis causa, aliquot occultarum scripturarum exempla, characteribus, literis item Latinis, Germanicis, Græcis, Hebræis, mixtis quoque characteribus, literis, & numeris, contexta, subjungit, quibus res quædam arcanæ, eædemque curiosissimæ, continentur, quæ, si veræ essent, efficerent sane, ne operæ horum solutioni impensæ quemquam pœniteret. Docent enim super aqua ambulare; longitudinem maris invenire; e ferro, quod in metalli fodinis silvæ Herciniæ reperitur, aurum, in eo latens, magno cum lucro extrahere; plantas in typum futuræ mortuorum resurrectionis resuscitare. Quorum itaque, hæc explorare, interest, huc accedant, & in solvendis iis ingenii industriæque nervos contendant, ac, detecta clave, id, præter lucrum, quod inde exspectare licet, præmii loco ferant, ut non tam Oedipi nobis, quam magni Apollines, videantur. Ipse autem Cl. Autor illa, quorum nunc se primas veluti lineas duxisse ait, accuratius aliquando expendet, editisque Supplementis ad suam maturitatem perducet. §. 5.

D. JO. ANDREÆ DE ASTESATIS, BRIXIANI, Benedictino-Cassinensis, Epistola, in qua annus decimus septimus supra octingentesimum Bernardi, Regis Italiæ, emortualis ostenditur, & aliæ Lotharii Imperatoris ac Ludovici junioris, ejus filii, a vulgatis noviter observatæ Epochæ exhibentur.

Mediolani, uti conjectamus, 1733, 4.
Plag. 6½.

Venerandus Autor Epistolæ subjecit hæc verba: *Mediolani, ex ædibus S. Simpliciani, prid. Id. Januarii A. 1733.* Ex ea lacinia annum locumque impressionis divinavimus, siquidem prima libri pagina utrumque momentum prætermittit. Typographus Lectorem in limine statim docet, sibi forte fortuna hanc Epistolam oblatam fuisse, dignam utique, quæ edatur. Autor ipse videtur hoc pacto cessisse diffidentium invidiæ.

 No-

Nomen ejus de reliquo est celeberrimum, quippe qui publicæ jam luci donavit *Opusculum Evangelistæ Manhelmi de obsidione Brixiæ*, commentariis suis atque annotationibus apprime exornatum, edititque artis criticæ specimen singulare, cujus ope tenebras obscuriorum temporum dispulit, restituta Diplomatum serie & Chronologiæ ratione. Posthæc nonnulla objecit Anonymo Autori *Dissertationis de Italia medii ævi*, quæ A. 1729 cum responsis ejusdem Anonymi recusa fuerunt Mediolani. Hæc vero Epistola est instar corollarii ad annotata in Dissertatione de Italia ævi medii. Controversus fuit huc usque inter eruditos verus *Bernardi*, Regis Italiæ, annus emortualis, quem hic fuisse inventum & confirmatum lætamur. Patescunt ita simul nonnulla, ad Epocham *Lotharii* Imperatoris ac *Ludovici* junioris spectantia. Hæc ad notitiam libri externam. Videamus nunc, quid Musæ intra velum recondiderint, postquam Italiæ gratulati fuerimus, quod ibi liceat Theologis quoque excolere & perquirere historiam patriæ, quæ libertas haud ita pridem a nonnullis in Germania attentari cœpit. Annalista *Lambecianus*, *Bertinianus*, *Cæsareus*, nec non *Eginhardus*, *Hermannus Contractus*, ac recentiores, *Sigonius*, quem *Joseph. Antonius Saxius*, Vir incomparabilis doctrinæ, notis illustratum nuper edidit, *Baronius*, *Pagius*, nec non novissime inclyti Mediolanenses Socii Palatini in *Rer. Ital. Script. Tom. II ad Pasch. Bull. pag. 220*, aliique, obitum *Bernardi*, Italiæ Regis, ad annum vulgaris Æræ 818 referunt. Noster eum affigit anno 817, nec tamen exagitat dissentientes more, vilissimis tenebrionibus tantum solenni. Testem laudat Epigraphen illam insignem, obviam in lapide penes perantiquam Ambrosianam Basilicam, quæ habet, *Bernardum* post regnum quatuor annorum & mensium quinque, XV Cal. Maji, (id est, XVII Aprilis die,) Indictione X, decessisse. Accedit *Ludovici Pii* testimonium, in Capitularibus apud *Baluzium* ad annum 817 dicentis, regnum Italiæ fore subjectum filio suo *Lothario*, uti sibi *præsenti tempore subjectum maneat.* Hæc protulit in procerum regni conventu *Ludovicus*, utique defuncto *Bernhardo*. *Bernhardi* non una fuit Epocha. Prima ab 8 Julii A. 910, nempe emortualis anni patris *Pipi-*

Pag. 6. 7.

Pipini, deducitur. Anni tamen regiminis inde non supputantur. Secunda exordium capit ab anno 912 inter 8 ac 18 Pag. 8.
Novembris diem, cum *Bernardus* sub *Valæ* tutela ab avo *Carolo* in Italiam fuit missus. Hinc omnia privata documenta, tum conscripta, deducuntur, exordiumque sumunt, uti ex Farfensis Cœnobii Regesto comprobatur, nondum evulgato. *Ludovici Pii* auspicia regiminis in eis inchoantur ab anno 814, &
in nonnullis chartis ab anno 813, quo pater eum in Comitiis 9.
Aquisgranensibus consortem Imperii allegit, & *Bernhardum* nepotem nuncupavit Italiæ Regem. Hæc est tertia *Bernhardi* Epocha. Quarta deducenda est ab anno 814, quo ipse a patruo *Ludovico Pio* palam confirmatus fuit. Anni *Bernhardi* in monumentis constanter numerantur ab anno 812. Id
evincitur quoque ex libris editis. Indictiones curiæ Ecclesia- 10 seq.
sticæ Mediolanensis a regiis distinxerat triennali anomalia *Puricellus*; alii eas venditaverant pro vagis & inconstantibus. Utrumque repudiat Noster, nec id sine ratione. *Sigonius*
& *Pagius* errarunt in minutis momentis haud raro. Cujus 14.
rei proferuntur exempla. In *Regesto Farfensi* post 29 Martii
diem A. 817 nulla amplius *Bernardi* occurrit mentio, cum ta- 18.
men anni *Ludovici Pii* ac *Lotharii* memorentur. Regesti
certe ejus fides est incorrupta. De initio Æræ Christianæ, in Di- 19.
plomata Imperatorum Regumque recepto, ita Noster: *Id ne-* 24.
gamus unum, in Diplomatum datis ante Crassum eam usurpatam fuisse. Quapropter Æram hanc, quoties in editis monumentorum datis apparebit, interpolatam perpetuo censebimus & dicemus. Amanuenses postea Diplomatibus, a sese descri-
ptis, eam sæpius ex more sequentis ævi intruserunt, ita, ut de 25 seq.
cetero sinceritati Diplomatum nil decedat, dummodo nulli alii
traluceant nævi. Epocha *Lotharii* ab anno 843 hic extra du- 29.
bium ponitur. Prima ab anno 839 initioque Maji est inchoanda, cum *Ludovicus* pater in Wormatiensi conventu Gallias in-
ter filios divisit. *Ludovici* junioris, ex *Lothario* nati, 12 epo- 47 seq.
chas hic allatas intelligimus, cujus *Pagius* tantum assignaverat quatuor. Qui arti diplomaticæ student, suis hic pascentur ferculis, & a promo condo tam largo ac diligenti complura expetent consimilia.

DECADES DUÆ CASUUM CLINICO-MEDICOrum, ex propria praxi enatorum, cura atque diligentia debita observatorum, collectorum, & nunc ad publicam rei medicæ utilitatem editorum, a Doctore quodam Medico, circa Herciniæ silvas habitante.

Nordhusæ, apud Jo. Henricum Grossium, 1738, 8.
Dec. I plag. $7\frac{1}{2}$, Dec. II plag. $10\frac{1}{2}$.

Bona mente, rectoque consilio, ignotus nobis Autor, Vir non indoctus, nec in morborum curatione infelix, in notando autem eorum decursu eventuque diligens, atque in veterum recentiorumque Medicorum monumentis versatus, ad consignandas has Observationes accessit, ut, cum, magnam esse earum utilitatem, omnium consensu constet, ipsemet rei medicæ incrementa dignitatemque pro sua etiam virili adjuvaret. Neque vero casus, quos dicunt, curiosos rarosque hic pollicetur, sed eos, qui Medico Pragmatico sæpius obveniunt, ut ex illorum accurata & assidua descriptione majus ad rem medicam emolumentum redundet. Refert igitur ægrotantis ætatem, sexum, temperamentum, vitæ rationem, consuetudinem, corporis habitum, vasorum capacitatem, vultus colorem, vires, caloris corporis mutationem, pulsum, dispositionem hæreditariam, ad animi pathemata proclivitatem, ægrotanti propriam, victum potumque consuetum, vitam desidem vel laboriosam, excretorum retentorumque rationem, morbos, quantum quidem indagare licuit, prægressos, & complicatos, somni conditionem, urinæ colorem, coctionem, præcipitationem, aliaque ejusmodi phænomena, notat, in dies data & applicata remedia, diætetica, pharmaceutica, chirurgica, eorumque successum, formulas medicamentorum, candide expromit, & cuivis historiæ momenta quædam pathologica & practica subnectit, aliosque scriptores, qui vel similes Observationes conscripserunt, vel de morbo generatim egerunt, commendat. De dicendi autem genere excusat se, quod de rebus agere medicis, non vero stilum Romanum docere, sibi esset constitutum. In *priori Decade* 1) affectus convulsivus singularis, qui est opisthotonos

tonos cum tetano alternans, a prætensa philtri propinatione, aut potius ab alia re venenata, ore accepta, vel intus concepta; 2) asthma hypochondriaco-spasmodico-cachecticum, cum hepatis vasorumque mesenterii infarctu; 3) apoplexia spasmodico-hysterica, a purpura chronica scorbutica neglecta & retrocedente; 4) affectus spasmodico-hysterico-lipothymicus in fœmina quoad corpus, & præcipue quoad animam, sensibili; 5) motus spasmodico-convulsivi hysterici ex tinea sponte siccescente; 6) asthma spasmodico-convulsivum cachecticum, ex polypo cum pectoris hydrope, in hydropem terminatum cum lethali eventu; 7) passio iliaco-colico-spasmodica; 8) colica spasmodico-flatulenta hæmorrhoidalis in nobili fœmina sene; 9) singularis spermatis virilis profusio a debilitato vesicularum seminalium tono ex manustupratione reiterata cum spasmo dolorifico vasorum spermaticorum & testium; 10) affectio hypochondriaco-spasmodica cum hepatis infarctu; in *Decade posteriori* 1) melancholia curata; 2) delirium melancholicum hypochondriaco-hystericum furiosum; 3) cachexia cum tumore & inflammatione erysipelaceo-phlegmonordea; 4) cachexia scorbutica; 5) cachexia variis morbis & symptomatibus, præcipue autem podagra, item febre intermittente, cardialgia, atque colica spasmodico-flatulenta, stipata & complicata; 6) cachexia incipiens; 7) icterus gravis, ad nigrum fere accedens, in vetula septuagenaria curatus; 8) asthma siccum spasmodicum, sæpius recurrens; 9) cardialgia spasmodico-hysterica cum colica spasmodico-convulsiva complicata, in virgine alias asthmate convulsivo graviore laborante; & 10) cholera, exponuntur, quas adeo Observationes junioribus præcipue Medicis profuturas esse, plane nobis persuademus.

ELOGIUM JOANNIS ORTWINI WESTENBERGII, JCti Batavi.

Amisit ante biennium, & quod excurrit, Academia Lugdunensis *Joannem Ortwinum Westenbergium*, Virum magnum, & solidioris Jurisprudentiæ fama celeberrimum, cujus vitam, & præclara in artem Themidos merita, paucis enarrabimus. In

lucem editus fuerat d. 28 Maji A. 1667 Neohusii, quod oppidum, non adeo notum, Comitatus Benthemiensis, in Westphalia, portio est. Patrem habuit ejusdem nominis, Medicum doctum, & Benthemiensium Comiti a valetudinis cura; matrem vero *Gertrudem, Joannis a Gesseler*, in Ulsensi apud Benthemienses territorio Quaestoris, & in oppido Neohusano mercatoris florentissimi, filiam. Prima literarum fundamenta, praeter parentem, publicae Benthemiensi, & deinceps Lingensi, scholae accepta retulit. Anno aetatis decimo quarto, raro modestiae, diligentiae, ac doctrinae, testimonio ornatus, ad Steinfurtense Gymnasium commigravit, & Philosophiae morali pariter ac civili, duce *Sim. Gerlaco Ebelio*, nec non Jurisprudentiae, doctore avunculo, *Jodoco a Gesseler*, operam strenue dedit. Bene ita praeparatus, decimum septimum agens annum ad illustrem Frisiorum Academiam alacri pede contendit, ubi cumprimis *Jacobum Gronovium* secutus est, ejusque auspiciis pleniorem Latini sermonis notitiam sibi comparavit, in altum Historiarum Antiquitatumque oceanum sese immisit, & magistri sui praesidio suffultus, Dissertationem philologicam, de duobus maxime insignibus *Lucii Flori* locis, in cathedra publica defendit. Et, cum persuasum sibi haberet, rectius longe atque felicius Juris tractari posse disciplinam, si Theologiae studium praecesserit, scholas frequentavit *Campegii Vitringae*, Theologi summi, quibus ad finem perductis, in Themidos castra transiit, saluberrimis *Gerardi Noodtii* & *Ulrici Huberi* doctrinis, veluti armis, instructus. Gravi morbo, studiorum causa, implicitus, relinquere istam Musarum sedem, & in patriam reverti, cogebatur; quamprimum tamen convaluerat, Harderovicenses adiit, & intermissum paulisper studiorum cursum, qua decet, diligentia continuavit, ac, postquam semel atque iterum, praesidente avunculo suo, *Jodoco a Gesseler*, *de Successione ab intestato* publice disputando, dexteritatis specimina edidisset, Groningam secessit, hic quoque subsidia conquisiturus, quibus collectus praeclarae doctrinae thesaurus augeri posset locupletarique. Nec felici destituebantur successu tot ejus sudores, totque lucubrationes, discendis Juribus perpetuo consecratae. Harderovicensis enim Academia ei A. 1687, defensa solenni

solenni ritu Dissertatione, Doctoris jura ac privilegia tribuit, quos deinceps honores anno post secuta est Pandectas docendi munus publicum, in Steinfurtensi Gymnasio ipsi demandatum, & Oratione, *de excellentia Juris Romani*, ab eo susceptum. Et hoc quidem Gymnasium, dici vix potest, quam mirifice, hujus Viri doctrina, ad justæ propemodum Academiæ celebritatem surrexerit. Hujus rei causa Comitis Benthemiensis gratiam magis magisque sibi conciliabat *Westenbergius*, & non tantum, præter Juris Civilis spartam, Historias & Eloquentiam docere jubebatur, verum etiam, imposito ipsius humeris munere longe splendidiori, in publicis quam sæpissime adhibebatur negotiis. Non potuit tanta virtus latere diu, quin potius ejus fama ad Harderovicensis Academiæ Curatores pervenit, utpote qui vindicabant sibi *Westenbergium* suum, illique ordinariam Juris Professionem offerebant, quam etiam A. 1695 Oratione concinna, *de ratione docendi & discendi Juris*, auspicatus est. Commonstravit ibi juvenibus singularem, qua Juri interpretando vacabat, sedulitatem, & publicis certaminibus eorum ingenia frequenter exercuit, Summum in illa Academia magistratum quinquies gessit, eo que abiturus, *de Jure Naturali; de Jure Civili ad fontem Juris Naturalis redigendo; de Jure Gentium; de licito non honesto;* & *de calculo Minervæ, seu lege ἰσοψηφίας, ejusque justitia*, disseruit. Vixerat ita unum & viginti annos apud Harderovicenses *Westenbergius*, cum Curatores Franequeranæ Academiæ, ingenti Viri celebritate commoti, eum invitarent, ut *Zachariæ Huberi* loco, quem Curia Senatorem sibi vindicaverat, Antecessoris provinciam ornaret in posterum. Accepit Noster conditiones, & A. 1716 solenni *de Jurisprudentia rationali* Oratione munus hoc novum aggressus est. Quatuor annis post Groningani proceres Academiam suam hoc Viro illustriorem reddere cupiebant, &, ut voti compotes fierent, lautissima ei pollicebantur præmia; quod simul atque intellexerunt Frisii, ne se expugnari pateretur, vehementer intercesserunt, amplumque, & ad mille quingentos Carolinos auctum, stipendium, cum summa honoris præfatione ipsi decreverunt. Non tamen valde diuturnum Frisiis fuit hoc gaudium, quandoquidem, prætérlapso septennio, intra quod temporis spatium Academiæ flori invigilaverat,

Digitized by Google

verat, eidemque, Rectoris dignitate fulgens, aliquando præfuerat, Academia Lugdunensis A. 1723 ordinariam Juris Civilis Romani & hodierni Professionem ipsi detulit, quam lubens quoque suscepit, recitata *de Philosophia JCtorum, & inprimis ea, quæ circa legum collisionem versatur*, gravi elegantique Oratione. Implevit ibi spem, quam de ipso conceperat Academia, imo longissime superavit, & sceptrum Academicum bis deposuit, publice habitis Orationibus, primum *de jure Rhadamanthi*, deinde *de Jurisprudentia Quinti Cerbidii Scævolæ*. Matrimonium A. 1697 iniit cum *Mathilde a Gesseler*, amitina sua, quæ cum altero statim anno eriperetur ipsi, A. 1710 conciliavit sibi *Annam Gertrudim, Gerhardi de Witt*, apud Vesalienses Judicis & mercatoris primarii, filiam, & diuturna ejus consuetudine gavisus est. Liberi, quos sustulit ex eo matrimonio, in ipsis vitæ principiis fuerunt demortui. Sanguinis humorumque intemperies, quæ usitata Medicis appellatione scorbutus dicitur, & nimiæ lucubrationes, quas ne senex quidem intermisit, effecerunt, ut Vir eximius inopinato prosterneretur, & convulsivi motus tantum non omnia ejus membra concuterent, omnemque sensuum usum ad longum temporis spatium ipsi adimerent. Quam licet calamitatem superasset favente Numine, & idoneorum remediorum ope, consimili tamen morbi furore iterum correptus, ultima mensis Junii nocte anni hujus Seculi septimi & trigesimi, septuagesimo primo ætatis anno, vitam cum morte commutavit. Scripta reliquit egregia, quæ summo cum applausu exceperunt JCti elegantioribus literis probe instructi. Nos, præter ea, quorum jam mentionem injecimus, illorum indicem damus: Diss. *de Usuris*, Harderovici, 1687; *de Servitutibus*; *de Emphyteusi*; *de Querela inofficiosi testamenti*; *de Fructuum perceptione*; *de Consuetudine*; *de Foro competenti*, quæ omnes in Gymnasio Steinfurtensi prodierunt; *de Portione legitima, parentibus, liberis, & fratribus, relinquenda*, Dissertationes quatuor; & novem *de Causis obligationum*, Harderovici defensæ; Oratio *de Jurisprudentia Pauli, Apostoli*, ibidem recitata, & superiore anno Baruthi recusa; *Principia Juris secundum ordinem Institutionum*, Amstelodami, 1699, 8; *Principia Juris secundum ordinem Pandectarum*, Harderovici, 1712, 8; *Dissertationes ad Constitutiones Marci Aurelii Antonini, Imperatoris*, Lugduni Bat. 1736, 4, de quibus proxime dicemus. Memoriam Viri optimi, & Jurisprudentiæ bono nati, Clarissimus Lugdunensium JCtus, *Joannes Georgius Ruckerus*, publica Oratione, vitam & merita *Westenbergii* eleganter commemorante, d. 23 Sept. A. 1737 recitata, posteaque typis commissa, seræ posteritati commendavit.

INDEX AUTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recensentur.

I. *Libri Theologici, & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

II. *Libri Juridici.*

Meril-

III. *Libri Medici & Physici.*

IV. *Libri Mathematici.*

Hodgso-

V. *Libri Historici, Geographici, &c.*

VI. *Libri*

VI. *Libri Miscellanei.*

Hugo

****

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

B.

S. Be-

Ceno-

In

For.

H.

De

La-

De

No-

Poly-

Schrœ-

1 Reg.

Eccles.

INDEX

Matth.

Secken-

U.

De



Erro-

Errores Operarum.

Pag. 15 *lin.* 14 pro *adulteria* lege *adulterii*; *pag.* 58 *l. ult.* pro *et* leg. *ut*; *pag.* 71 *l.* 33 dele *eum*; *pag.* 76 *l.* 3 pro *Hephæstione* leg. *Hephæstione*; *pag.* 108 *l.* 3 pro *imputandum* lege *imputandam*; *pag.* 154 *l.* 24 pro *liberrima* leg. *liberrima*; *p.* 170 *l.* 19 pro *experti* leg. *expertes*; *pag.* 211 *l.* 23 pro *redenut* leg. *redeunt*; *pag.* 235 *l.* 19 pro *commerorabimus* leg. *commemorabimus*; *pag.* 278 *l.* 32 pro *Uliorum* leg. *Ubiorum*; *pag.* 282 *l.* 2 pro *aram* leg. *aream*; *pag.* 309 *l.* 33 pro *designase* leg. *designasse*; *ibid. l.* 34 pro *nnium* lege *lennium*; *pag.* 386 *l.* 10 pro *visns* leg. *visus*; *pag.* 409 *l.* 1 pro 809 leg. 409; *pag.* 415 *l.* 16 pro $\frac{A}{q\,n}$. leg. $\frac{A}{p\,n}$.; *pag.* 416 *l.* 19 lege $\frac{Z\,dy^n}{dx^n}$.; *pag.* 417 *l.* 22 lege $2nx\,dx^n\,dy\,ddy\,(dx^2+dy^2)\frac{n-1}{2}$.; *pag.* 432 *l.* 23 pro *pertraheret* leg. *protraheret*; *ibid. l.* 24 pro *postulabant* leg. *postulabat*; *ibid. l.* 25 pro *merebatur* leg. *merebantur*; *pag.* 446 *l.* 11 pro *ex templo* leg. *extemplo*; *pag.* 465 *l.* 5 pro *Jacobi* leg. *Jacobi*; *pag.* 494 *l. ult.* pro *geueralis* lege *generalis*.



Österreichische Nationalbibliothek
+Z171844700

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google